775
200
975
2)

ENCHIRIDION
RACTICVM
MEDICO-CHIRVRGICVM.

SIVE

INTERNORVM EXTER-
VMQVE MORBORVM CVRA-
one, breues, ſed accurati
Tractatus duo.

agni Authoris opus poſthumum, vt luculenter
a ad Lectorem declaratur.
lmetei olim apud Anicienſes Chirurgi ce-
Manuale Chirurgicum ſummariis theo-
apitibus præfixis.

BVS TAM MEDICI-
VRGIAM FACIEN-
tarium.

m quamplurium
,priore

ACCADEMIA DI MEDICINA
DI
TORINO

ENCHIRIDION PRACTICVM MEDICO-CHIRVRGICVM.

SIVE

DE INTERNORVM EXTERNORVMQVE MORBORVM CVRATIONE, breues, ſed accurati Tractatus duo.

I. *Incerti, at magni Authoris opus poſthumum, vt luculenter in Epiſtola ad Lectorem declaratur.*

II. *Anthonij Chalmetei olim apud Anicienſes Chirurgi celeberrimi. Manuale Chirurgicum ſummariis theoricis ſingulis capitibus præfixis.*

OPVS OMNIBVS TAM MEDICINAM QVAM CHIRVRGIAM FACIENTIBUS ſummè neceſſarium.

Acceſsit huic nouæ Editioni, præter locorum quamplurium Emendationem, Nouus Capitum & Morborum, priore Enchiridio contentorum perneceſſarius Index.

GENEVÆ,
Apud Petrum & Jacobum Chouët.
cIↄ. Iↄc. XLIV.

LECTORI CANDIDO S. P.

NE tibi praxeos medicæ viam inſiſtenti numeroſa librorum ſuppellex moram tædiúmve pareret, Amice Lector, hoc tibi Viaticum apparare placuit, leue pondere, momento tamen graue & rebus vſui medico neceſſarijs inſtructum, ex quo tibi ad cuiuſcumque generis affectus auxilia ſuppetant, in duos ideo Tractatus diuiſum, quorum primus internorum, alter externorum accuratiſſimam deſcriptionem curationemq́ꝫ continet. Illius incertus author eſt, cui tamen (ſi in dubio conijcere conceditur) prima lineamenta à Fernelio data ſtyli grauitas & methodica diſpoſitio videtur indicare. Diu poſteà latuit inter Iulij Palmarij celeberrimi olim apud Gallos medici, ac ipſius Fernelij diſcipuli ſchedas à quo excultus, auctus eſt, & locis aliquot etiam præter præceptoris mentem immutatus, non plane tamen elaboratus, vt facta in tractatu morborũ particular. cap. de colica biliosa honorifica de palmario mentio teſtatur. Poſt cuius obitum à

Palmarij nepote apud Pariſienſes non infirmi ordinis medico, ex auunculi muſæo liber erutus, & multis communicatus eſt. Vltimam operi manum quis addiderit ignotum eſt, certum tamen Cahagnæi Palmarij olim diſcipuli nomine tractatum de febribus in lucem nuper editum, Quiſquis ille ſit, vir fuit ſummus & de re medica bene meritus, digníſque cuius labor poſteritati commendetur. Eo fruere lector, & vtere, eique per quem fructus iſtius gratia tibi confertur, licet nomen hic non adſcribenti, gratum te præbe, ab eo propediem magis curioſum aliquid ſed vulgare minus expectans. Tractatus alter eſt Anthonij Chalmetæi Chirurgi clariſſimi, antea quidem typis excuſus, ſed nunquam loco dignitati ſuæ tam bene debito collocatus, adde quod

Quæ bona ſunt etiam decies repetita placebunt,

Diligentiam hanc noſtram tuo nomine ſuſceptam æqui bonique conſule, & Vale.

NE SE-

NE SEQVENTES PAGINÆ vacarent pauca quæ ſequuntur addere placuit, ex Ioannis Fernelij Ambiani in ſuam medicinam præfatione deſumpta, vbi de eius vtilitate, vſu, & præſtantia diſſerit.

SI omnes omnium artiũ commoditates, facultates atque copias diſpicis, nihil eſt medicina melius, nihil optabilius, nihil hominũ generi datũ præſtabilius. Nã ſi eſt vita cũctis mortalibus chariſſima, ſi lux ea cũ primis expetenda in qua viuimus, ſpiramus, & iucunda conſuetudine inter nos coniungimur, ſi ea primũ eſt & præſtãtiſſimum munus animãtibus attributum: ars quæ illam ſeruat, continet, ac tuetur, quo pacto non ſit omnium præſtãtiſſima? quid ea poteſt homini magis in votis eſſe, quæ infeſtiſſimos humani generis hoſtes, morbos (inquam) & aduerſam valetudinem propulſat? quæ vitam incolumẽ ab omni ærumna & lãguore liberam quàm diutiſſimè tutatur? Vt corporis firma cõſtitutione nullæ opes, nullæ fortunę am-

pliores: ſic imbecilla & labante illa nihil laborioſius: nihil calamitoſius. Qui ergo in hoc periculum diſcrimenq; adductis ſubuenire & opitulari queat, tantum abeſt vt in illorum offenſionem incurrat, vt etiam illos ſumma conſuetudine & amicitia ſibi coniungat, atque quaſi pro numine, inquit Hippocrates, colatur, qui tantas opes reſtituerit, per quas externæ quoq; fortunæ obtineri poſſint, illarumque vſus iucundus atq; dulcis habeatur. Cæterum ad ea quæ medicina ratione perluſtrat conuerſus, quàm præclara & nobili contemplatione rerum plurimarum naturas perſequatur atque peruestiget, intelliges. Vt enim admirabilẽ hominis fabricam naturámque explicat & euoluit, ita rerum cũctarum ortus & occaſus, ipſamq; omnium ex elementis cõpoſitionem, animalium ſtirpiumq; proprias vires (tametſi non abſolutè, quatenus tamen homini ſalutares ſunt aut peſtiferę) inquirit atq; parat. Quin & altiùs ſubiens quæcunque, ex patefactis terræ faucib. eruuntur, ſcrutatur, indéq; ſublata cœlorum & ſyderum conuerſione, & quæ inde fluunt dimanántque virtutes orbis

orbis inferioris moderatrices obſeruat. Hæc autem quia non aliter quàm certa demonſtrādi ratiocinandíq; via obtineri poſsūt, quis eat inficias mathematicas arteis, & dialecticam aditum ad hæc patefacere? ac multò etiam magis rhetoricen atque grammaticen deſiderari, ſine quibus non modò copioſè ornatéq; dicere, ſed ne emendatè loqui quidem liceat? Quòd ſi eæ vel neceſſariæ ſunt, vel opis quiddam & auxilij cōferunt, & ceu gradus quidam & aditus ad medicinam iaciuntur atque patent, medico quidem omnes erunt perdiſcendæ: quòd (vt inquit Ariſtoteles) eiuſdem ſit finē ipſum & ea quæ finis gratia ſunt cognoſcere. Quis enim eum pictorem non in magna gloria & laude ponat, qui præter operis lineamenta & pigmentorum aſperſionem, nouit tabulam perpolire, colores iuſta temperatione permiſcere, penicillum in omne varietatis genus confirmare? contrà verò cū non vituperet, & tanquam rudem ignarúmque damnet, qui nullam iſtorum cognitionem habet, ſine quibus maiora percipi non poſſint? Idem quoque de medicina ſtatuo, vt nemo hanc tentet vel à limine ſa-

lutare, qui non antea illis diſciplinis meritam & iuſtam operam impenderit, ſitq; illarum inſtitutis liberaliter informatus. Tanta igitur rerum cognitione pręcellit medicina, vt omnium quę mũdus complexu ſuo coërcet, naturam atq; vires ſolerter conſequatur, quas demùm ad vnius hominis (cuius præcipua illi cura eſt) commoda ſalutémque referat, vt illorum vſu & appulſu integram corporis valetudinem conſeruet, aduerſam depellat: quanquam non ſemper hunc ipſum finem attingit. Hinc nos ſic illi definitionẽ adhibebimus. Medicina eſt ars ad humani corporis ſanitatem tuendam, profligãdoſq; morbos comparata. Quoniam enim quæcunque medicina ratione perluſtrat, ad hominum vtilitatem refert & accommodat, artis nomine vniuerſam contineri par eſt. Non enim vt quiſpiam exiſtimauerit, partim ſcientia, partim ars dicẽda, tametſi conſtet ex multis theorematis, quæ ipſa quidem ſola per ſe ſcientia continentur. Verùm quoniam omniũ medicinæ partium inter ſe quàm aptiſſimè cohærentium & concordantium ea eſt conſpiratio, is conſenſus, vt homo ſaluus & incolumis

lumis ſeruari poſſit, æger autem in integrum reſtitui, ex ipſo fine vniuerſa artis nomen accipiet. Porrò autem vt cuiuſq; artificis intereſt, ſubiectá, quam tractat, materiam omnino perſpectam habere, quò expeditius in omnẽ artificij ſpeciẽ & decorẽ flectere illam poſſit & torquere: ita & medico humani corporis natura primùm cognoſcenda eſt omnib. ſuis partibus abſoluta, quod ſanè totius medicinæ ſubiectam materiam eſſe confirmamus, non autem morbos ac vulnera. Vt enim dum fictor in rudi adhuc & informi ære Herculis effigiẽ imprimit: hęc artificium eſt & ſummum artis opus, æs verò materia quã variè tractat: ita & dum medicus ex ægro corpore ſanum facit, vnum idemq; corpus manet, quod ſubiectũ eſt & materia. Quæ depulſa ægrotatione comparatur ſanitas, ſpecies eſt & forma: huius autem efficiẽs cauſa, medicus aut potius ars medẽdi: Dum enim hæc præceptiones tradit vnde procuratio eſt valetudinis, dicitur ſanitatem efficere. Sic enim Ariſtoteles artem nimirum id eſſe ſtatuit, à quo demum omnis motio proficiſcitur. Medicus eſt artis perinde atq; naturę miniſter: cuius eſt offi-

cium curare appoſitè ad ſanandum. Finis autem cuius gratia ſanitas procuratur, eſt vitæ functionum integritas. Itaq; totus in hæc duo incumbit, vt ſanitatem in corpore conſeruet, vt morbum depellat. Atqui neutrum planè conferre poteſt, niſi eorum quot differentiæ ſunt & genera, quæ cauſæ, & quibus ſignis noſcuntur, iam antè perſpectum habeat & cognitum. Quocirca totius medicinæ partes quinque ſi ordine collocabuntur, omnium prima exiſtet φυσιολογικὴ, quæ hominis integrè ſani naturam, omnes illius vires functionéſque perſequitur. Altera παθολογικὴ morbos & affectus indagans, qui præter naturam homini poſſunt impendere, & quæ illos cauſæ efficiant, quæ ſigna demonſtrent. Tertia προγνωστικὴ ſigna explicans, quibus medici futura præſentiunt, & quis morborum decurſus, quis exitus ſit futurus. Quarta ὑγιεινὴ quæ firmam corporis conſtitutionem bona viuendi lege conſeruat, & imminentia mala arcet, ſimul ægrotis propriam & accommodatam victus rationem decernit. Omnium poſtrema pars θεραπευτικὴ ægram corporis affectionem ſalutariũ vſu & admotione

propulſat

propulſat ſanitatémque reſtituit: quæ vt ſumma totius medicinæ artem via & ratione condit, variáque præſidia ſuggerit, quibus tum toti corpori, tum cuique laboranti particulæ opportunè ſuccurrit. Ex his igitur quinque partibus medicina conſtituitur: quarum tres priores in contemplationem & ſimplicem rerum cognitionem feruntur, duæ poſteriores omnino in actione cõſiſtũt, omne ſtudium in tuenda ſanitate aut abigendis morbis collocantes. Vnde à quibuſdam quinque partes in duas redactæ ſunt, theoreticen & practicen, quarum hæc opus omne perficit, aut lege viuendi, aut medicamentorum viribus aut manus opera & adminiſtratione, quæ imponit, ſecat, incîdit, vrítque ferramentis. Vnde iam practicæ non partes, ſed ſpecies tres ſtatuentur, διαιτητική, φαρμακευτική, χειρουργική. Etenim affectionum varietas tot curandi genera peperiſſe creditur. His ita in genere primo aditu ſtrictim breuitérque conſtitutis, ſingula deinceps accuratiùs perſequi par eſt, primumq́; totius hominis natura qualis ſit explicanda.

INDEX CAPITVM, ET ORDO MORBORVM, QVORVM Cura priore hoc Enchiridio Medico continetur.

CAPITIS AFFECTVS.

Cephalalgia pag. 1
Cephalalgia ſympathica 11
Hemicrania 13
Phrenitis 14
Sopor nimius 17
Vertigo 21
Epilepſia 23
Epilepſia puerilis 29
Incubus 32
Conuulſio 34
Oris tortura 41
Paralyſis 42
Tremor 49
Catarrhus 52
Oculorum taraxis 57
Ophthalmia 58
Epiphora 62
Aurium phlegmone 68
Tinnitus 74
Surditas 76
Obſtructio meatus auditorij. 79
Parotis 81
Narium Aegilops 83
Polypus 88
Ozæna 91
Fœtor 93
Coryza 95
Sternutatio ibid.
Hæmorragia 98
Faciei rubor 103
Labrorum fiſſuræ 105
Mutilatio 106
Gingiuarum paruulis 106
Epulis 107
Excreſcentia 108
Imminutio & corroſio 108
Oris aphtæ 111
Fœtor 112
Dentium dolor 118
Exeſio 118
Vermes 121
Mobilitas ibid.
Longitudo 123

Oda-

Odaxiſmus 124
Linguæ ſtupor 125
Rauunculus ibid.
Tonſillarum tumor frigidus, inflammatio, & vlcus 126
Columellæ inflãmatio 128
Relaxatio 129
Gutturi ſpinæ infixæ 131
Faucium Angina 132

THORACIS, PVLMONVM, & CORDIS AFFECTVS.

Aſthma 135
Peripneumonia 139
Phthiſis 141
Pleuritis 144
Empyema 150
Sputum ſanguinis 153
Syncope 161
Palpitatio cordis 162

VENTRICVLI AFFECTVS.

Intemperies frigida & humida 172
Intemperies calida & ſicca 175
Imbecillitas, Cruditas, Inflatio, Ructus 177
Dolor ventriculi 179
Phlegmone, abſceſſus, vlcus 182
Lapſus ventriculi 185
Cardialgia ibid.
Inappetentia 187
Pica & Boulimus 188
Canina appetentia 191
Sitis 192
Singultus 193
Nauſea & vomitus 195
Vomitus ſanguinis 198
Cholera 201

HEPATIS AFFECTVS.

Intemperies calida & ſicca 202
Intemperies frigida & humida 205
Corruptio ſubſtantiæ iecoralis 206
Imbecillitas iecoris 208
Obſtructio iecoris 212
Scirrhus hepatis 214
Inflammatio iecoris 217
Muſculorum Abdominis tumor 219

LIENIS AFFECTVS.

Inflammatio, obſtructio, ſcirrhus 221

MESENTERII AFFECTVS. 226

Icterus 227
Melancholia hypocondriaca 230
Atrophia 233
Cachexia 235
Hydrops anaſarca 236
Tympanites 237
Aſcites 238

INTESTINORVM AFFECTVS.

Obſtructio 242
Phlegmone 244
Colica ibid.
Ileus 250
Cita alui deiectio 251
Cœliaca 252
Lienteria 253
Diarrhœa 254
Dyſenteria 255
Teneſmus 258
Vermes 259

SEDIS AFFECTVS.

Procidentia Ani 261
Inflammatio ſedis 262
Ragades, fiſtula ani ibid.
Hemorrhoides 263

RENVM VITIA.

Inflammatio & vlcus 266
Nephritis 269

VESICÆ VITIA.

Lapis 272
Phlegmone & vlcus 274

PVDENDORVM VITIA.

Coeundi impotentia 276
Gonorrhœa 27[illegible]
Vlcus penis, & caruncula 281
Diabetes 283
Vrina incontinentia 285

Iſchu-

Iſchuria 286
Dyſuria, ardor vrinæ 287
Sanguinis mictus 289
Scroti & teſtium phlegmone 291
Enterocele 293
Epiplocele 297
Hyerocele ibid.
Pneumatocele, Sarcocele, Cirſocele 298
Omphalocele 299

VTERI AFFECTVS.

Phlegmone 301
Vlcera 304
Scirrhus 305
Mola 306
Hydrops tympanites 308
Aſcites 310
Menſium ſuppreßio 311
Fluxus immodicus 314
Fluor albus 316
Vteri ſuffocatio 321
Procidentia, præcipitatio 323
Sterilitas 326
Abortus 328
Partus difficultas 331

RATIO REGENDARVM PVERPERARVM.

RATIO REGENDARVM PVERPERARVM. 344

DE ARTHRITIDE.

DE ARTHRITIDE. 340
Iſchias 342

FEBRIVM CVRANDARVM METHODVS.

FEBRIVM CVRANDARVM METHODVS. 344
Tertiana intermittens legitima 347
Tertiana notha 354
Tertiana duplex 360
Quotidiana 361
Febris erratica 363
Quartana, ab aduſta bile 364
Quartana, à ſucco melancholico 369
Obſeruanda in cura febrium intermittentium 384
Ephemera 391
Synochus imputris 394
Synochus bilioſa 401

Synochus putrida 403
Continua febris 405
Symptomatica 419
Cauſus febris ardens 425
Hectica 434

DE SYMPTOMATIS FEBRIUM. 447

Rigor, horror, frigus 448
Inquies 452
Dolor capitis 454
Vigliæ 459
Delirium 461
Sopor 463
Surditas 466
Parotides 467
Guſtus deprauatus 468
Deglutiendi difficultas 472
Tuſſis 473
Dyſpnœa 474
Syncope 475
Inappetentia 477
Boulimus 479
Sitis 482
Nauſea & vomitus 481
Singultus 482
Lumborum dolor & grauitas 484
Hemorrhagia 485
Sudor 486
Alui fluxus 491
Alui adſtrictio 493
Icterus ibid.

Finis Indicis Capitum, & Ordinis Affectuum.

CAPITIS

CAPITIS AFFECTVS.

CEPHALALGIA.

CApitis dolor, alius eſt primarius; alius ſecundarius, & vterque vel recens vel vetus. Primarius fit vel à ſanguine, vel à bile, vel à pituita; frigida & humida membranatum capitis intemperie. Cephalalgia quæ fit à ſanguine ſua quantitate potius quam qualitate dolorem ciet. Conſentientibus cæteris indicationibus venæ ſectionem poſtulat, aluo prius vel ſuppoſitorio vel œnemate, vel leui aliquo cathartico ſubducta. Secabitur autem Baſilica, ſi æger ſit plethoricus, & poſt ſaphena, ſi dolor illi contingit à menſium ſuppreſſione, vel etiam hæmorrhoidum. Si plethora adſit, ſecanda cephalica ſita è directo partis capitis quæ dolet, per eam enim fit reuulſio & euacuatio. Quinetiam intactis neruis & arteriis tuto percuti poteſt: quia autem eſt obſcurior,

maximè in pinguibus ferienda pro ea Mediana eſt, ſed digito appreſſo ei ramo Baſilicæ à quo ſit Mediana, vt ſanguis è ſola cephalica vacuetur. A venæ ſectione purgationi etiam locus eſſe poteſt. Pòſt admoueantur cucurbitulæ ſcapulis ceruici, aut ad latera colli, & ſi opus ſit, repetantur. Interim fronti & anteriori parti capitis admoueantur oxyrrhodina ex ol. roſ. ℥ ij. & aceti ℥ ß. quibus miſcetur aqua plantaginis, cum metus eſt ne oleum, quod facilè calorem concipit, calefaciat magis. Pòſt capiti admoueantur quæ calorem non naturalem contemperant & vapores digerunt, vt ſunt pulmones veruecis aut alterius animalis recens mactati, vel gallus viuus aut pullus per medium diſſectus, qui dum per duas horas capiti inhæſerit adimendus, ea cautione adhibita, vt caput benè detergeatur. Intrò ſumuntur quæ ſanguinis feruorem temperant, vt ſyrup. limon. acetoſ. violac. Emulſiones ſemin. frig. maior. hordei mundat. & ſimilia. Doloris atrocitas interdum vti cogit narcoticis, quæ tamen non temerè admouenda, ne frigidi morbi oriantur. Poſſunt ad ſopiendum cerebrum admoueri naribus noduli immerſi in ol. chamomill. in quo quid opij ſit diſſolutum. Fronti etiam admouentur frontalia ex conſeru. roſ. nymph. quibus tantillum opij admiſceri poteſt. Sed tamen his Narcoticis extrinſecus adhibitis magna cautione vtendum. Si dolor hic ſit criticus, nulla imperanda vacuatio,

cuatio, nihílque capiti imponendum, ne motus naturæ interturbetur. Si verò citra criſin ſuperuenerit alicui morbo, in quo ſanguis abundè miſſus fuerit & corpus exquiſitè purgatum, prætermittendæ prædictæ euacuationes & ſola topica admouenda. Si à bile dolor capitis procedat, bilis priùs præparetur apozematibus factis ex rad. plantag. oxalid. cichor. oxilap. gramin. aſpar. Iuiub. paſſular. tamarind. fol. lactuc. ſcariol. pimpinell. ſem. frigidis. Purgabitur Caſſiâ, cathol. fol. ſen. Rhabarb. & ſimilibus. Poſt purgationem mittetur ſanguis è mediana vel cephalica lateris magis dolentis. In bilioſis enim morbis vena, vtiliter ſecatur, contra quam conſueuerunt Arabes, vt exponemus, in cura febris ardentis. Topicis etiam ab initio reprimendus eſt ille humor, initio à leuioribus facto.

℞. Ol. viol. nenuphar. & lact. muliebr. ana ℥ j ß. aq. roſ. & aceti ana ℥ ß. Miſce fiat oxyrrhodinum fronti, ſyncipiti & temporibus illinendum. Fronti eiam admouetur vnguentum populeum vel ceratum refrigerans Galeni, idque renouatur dum marceſcere incipiat. Admoueatur ſæpe hoc pomum naribus.

℞. Pulu. viol. roſar. nymph. ana ʒ iii. caphur. ℈ ß. cum gummi Tragacanth. in aq. roſar. diſſolut. fiat pomum. Admouetur etiam frontale cum foliis lactucæ, floribus roſarum, viol. nymph. ſem. papauer. quæ ſi non ſufficiant ad Narcotica confugiendum, ſi dolor ſit into-

lerabilior. Interim aluus ſi mollis non ſit, Clyſteres emollientes, refrigerantes & leniter purgantes plurimum commendantur, adeóque alternis diebus ſunt iniiciendi. Hic dolor capitis à bile, ſi diutius perſeueret, phrenitim accerſit. Si dolor capitis à pituita procedat, vacuetur & primum per leues pillulas, quales ſunt pillul. ex hyera ſimpl. vel pil. aſſaiereth. aut communes. Hic quæritur. An proximè ante cibum, an longè à cibo pillulæ ſumi debeant. Nam quidam proximè ante cibum dari nolunt, nec proximè poſt, quia contrarij motus fierent medicamenti & partium, quos natura non ſuſtineret, & quòd cibi fieret quædam corruptela: & quòd vt oſtendit Anatome nulla ſit via, per quam cum habitu ſiue vapore cibi ingeſti, vis medicamenti ad caput feratur. Alij tutò dari poſſe putant, quod cum non ſint valde efficaces vehiculo aliquo egent, vt longè vis earum ferantur, veluti cibi vapore & halitu. Via autem commoda eſt per gulam & meatum in palato apertum ad nares & cerebrum, vt apparet poſt ebibitum vinum meracum. Nec aliter ex ventriculo ad caput vapor aſcendit, quam à cerebro in ventriculum humor deſcendit. Tum hiera non eſt ventriculo inimica, nec cibos corrumpit. Denique docet experientia ſæpe fœlici ſucceſſu pillulas ex aloë ante cibum & cum cibo deuorari. Alia verò ratio eſt violentiorum pillularum. Ergo leniorum pillularum vſus proximè poſt cibum

eſſe

eſſe poteſt & ante ſomnum, quæ verò ſunt efficaciores à ſomno potiùs matutinos tempore dandæ. Purgata leuiter prima corporis regione pituita craſſa & lenta præparanda eſt cephalicis incidentibus & attenuantibus ac detergentibus, vt ex apozemate facto ex Rad. Pœon. apij, petroſel. fœnicul. fol. angel. hyſſop. bethon. origan. agrimom. ſalu. ſeminib. calidis. Diſſoluitur ſyrup. de ſtœchad. aromatizatur cinamom. & nuce moſchata. Ita præparata purgatur catharticis propriis, vt pillulis cochiis, aureis, hac formula.

℞. Maſſæ pilul. cochiarum, de agarico, & aurearum ana ℨ ß. malaxentur ſimul cum ſyrup. de ſtœchade, fiant pillulæ 5. capiat poſt primum ſomnum. Loco pillularum dari poteſt ℨ ß. diacarth. vel per ſe, vel diſſolut. in vino albo, vel in aq. ſaluiæ. Aut fiat hæc potio.

℞. Aq. ſaluiæ ℥ v. in quibus infund. agaric. ℨ iij. cinamom. ℨ ß. florum cordialium ana p j. in expreſſ. diſſolu. diacharth. aut diapr. laxatiu. ℥ ij. Si ventriculus ſit valde frigidus & iecur calidum, non ſunt dandæ pillulæ aut Elect. quæ vim illius diſſoluunt, & iecur calfaciunt, ſed potio cephalica & ſtomachica in febre etiam accommodata. Cuius hæc ſit formula.

℞. Polypod. ſem. cartha. paſſul. ana. ℨ ß. agrimon. ſalu. beton. ſtœchad. ana. m. ß. ſem. aniſi, melon. & liquirit. ana ℨ j. florum cordialium ana p j. fiat decoctio pro vna doſi, infunde in colatura ſen. mundat. ℨ iij. rhabar. agaric. ana,

℥ i ß. cinamom. ℥ ß. In expreſſ. diſſol. ſyrup. de ſtœchad. ℥vj. Quod ſi æger ſit robuſtior nec febricitet, adde diaphœnici vel diacarthami ℥ ij. Si caput ſit frigidum & humidum, iecur verò calidum, aptiſſima erit purgatio per caſſiam & diaprunum laxatiu. Purgetur verò æger ex interuallis breuioribus ſi dolor vrgeat, longioribus ſi ſit mitis. Quòd ſi plethora adſit, poſt vnam aut alteram purgationem ſanguis detrahitur. Lenes cucurbitulæ ſcapulis & ceruici vtiliter imponuntur ſemel biſve quoquo die & plures dies continuandæ, vt profectus accedat. quibus ſi non cedat capitis dolor, qua parte grauius torquet cornea adhibenda eſt & inciſâ cute noxius humor exſugendus, eáque cornea repetenda, dum ſatis humoris extractum ſit. Si his repetitis dolor non cedat, ſequens cura adhibenda, qua etiam ſola plerumque liberentur, cum vel æger cathartica repudiat, vel vterus geſtatur, vel puer eſt vel ſenex vel aliter imbecillus quancumque capitis partem dolor obſideat. Fomentum hoc ſiccum omnibus naturis, ætatibus & ſexibus accommodatum eſt, attenuat, calfacit, reſoluit, frigidam intemperiem emendat & caput roborat. ℞. Milij ℔ j. ſalis communis ℔ ß. fol. ſalu. roriſmar. lauendul. maioran. ana. p j. ſem. aniſi, cumini, fœnicul. ana ℥ ij. baccarum lauri ℥ j. his in ſartagine torrefactis & poſt in ſacculos coniectis ſiccetur & confricetur calidiſſimè caput per ſeſquihoram. Magis efficaces ſunt ſi raſis capillis applicentur. Quidam auena & ſale ſimul in

in ſartagine torrefactis horum loco vtuntur. Bis etiam vel ter quotidie igni opponi poteſt caput, eiuſque calor aliquandiu ferri; quo ſolo remedio plures à catarrho liberati. Sed priùs purgetur corpus. Repetantur ſacculi mane quotidie dum doloris cauſa ſit exhauſta. Præterea poſt frictionem capitis per ſacculos inſpergitur hic puluis cottone aut lana ſuperpoſita.

℞. Nucis moſchat. garyophyll. piperis, pyrethri ana ℥ ß. fol. ſalu. baccarum lauri ana ℥ ij. ſem. ſynapi, naſturtij contuſi ana ℥ vj. fiat puluis, inſpergatur capiti, vt dictum eſt, & mane pectatur caput ante vſum ſacculorum, vt puluis pridie inſperſus excidat. Præſcribantur errhina, apophlegmatiſmi & ſimilia. Errhina fiunt ex ſuccis betæ, mercurial. anagall. ireos quibus vinum album interdum additur, vt facilius ſubeant.

℞. Rad. ireos noſtratis ℥ ß. betonic. bet. mercurial. maioran. ana M. ß. tunde ſimul cum affuſione vini albi, fiat expreſſio quæ ſeruetur in phiala pro errhino. Vel ſic:

℞. Succi betæ, maiora. & anagallid. ana ℥ iiij. mell. roſat. ℥ ij. Miſce pro errhino, quod vola manus exceptum naribus attrahatur tepidum.

Apophlegmatiſmorum variæ ſunt formulæ, vel enimin nodulis ſumuntur, vel inſtar gargariſmi, vel in paſtillorum forma. Interdum ramuſculi herbarum vel radicum manducantur, vt ramuſculi roriſmarin. pyrethri Interdum ſemina, vt piper. garyophyll. & ſimil. Apo-

phlegmatiſmi primi generis fiunt ex puluer. ſtaphiſagr. piper. Zingiberis, cardamom. cubebar. baccarum lauri & iuniperi: horum duorum triumne puluis ad ʒ ß. in paruo nodulo ex ſyndone ponitur, fitque maſticatorium. Poteſt miſceri Therica vel Mithridatium. Hos nodulos interdum baculo alligamus & totum palatum fricamus, vt in apoplecticis. Iidem pulueres ſi excipiantur maſtiche liquata, fient paſtilli vel trochiſci manſiles. Sunt qui fotibus humidis & lixiuiis vtuntur, quibus cum ſpongiis caput abluunt. Sed ab his abſtinendum cenſeo, quia defluxiones excitant. Potiùs cucuphis caput roborandum, quarum hæc eſt formula.

℞. Beton. roriſmar. ſtœchad. ſalu. ana. m. ß. Rad. irid. florent. calam. aromatic. cyper. ana ʒ j ß. nuc. moſch. garyophyllor. ana ʒ j. fiat puluis, ex quo cum cottone fiat cucupha interbaſtata, id eſt reticulatim conſuta. Præſcribatur etiam hic ſuffitus ſiccans & roborans & generationem pituitæ impediens.

℞. Vernicis, ariſtoloch, thuris, benioini ana ʒ j ß. fol. ſicc. ſalu. menth. roſ. rub. ana. p j. nuc. moſchat. garyophyll. ana ʒ j ß. fiat puluis groſſus pro ſuffitu, qui in prunas accenſas miſſus fumum reddit, qui tegumentis capitis excipitur. Poteſt etiam portio eius per nares hauriri.

Inueteratus capitis dolor cauſam exhibet altè demerſam. Ad eius curationem cum præceſſerunt quæ ſunt ante dicta in cura cephalalgiæ à frigido

frigido humore, ſingulis matutinis fricetur cuput & eo incaleſcente & deraſo Emplaſtrum imponatur, quod craſſos humores inſigniter attenuet, frigidos calfaciat, altè latentes ad cutem euocet & reſoluat, caput frigidum & humidum calfaciat & roboret.

℞. Sem. ſynap. in aq. vitæ macerat. horas 12. ℨ ß. nucis moſchat. garyophyll. piperis ana ℨ ij. ſtaphiſ. pyrethr. ana ℨ j. Rad. ireos florent. ℨ ij. picis nigræ, terebinth. ana ℥ j. ol. rutat. laurin. q. ſ. fiat Emplaſtrum, cuius portio quædam extenſa ſuper alutam capiti imponatur ea lege, vt quarto quoque die renouetur. Sunt qui Emplaſtrum de Vigo cum Mercurio commendent, quòd multis pituitoſis humoribus per ſputa euacuatis inueteratos capitis dolores interdum finiri viſum eſt. Quod ſi his dolor neque vincatur neque ſolum caput, ſed & totum corpus crudis ſcateat humoribus, cum deſcriptis remediis adiungatur guaiaci decoctum, cuius ℥ vj. mane quoque die hauriantur, & æger in lecto duas horas quietum ſeſe continebit: donec ſudor defluxerit. Admouebuntúrque plantis pedum maximè ſi hyemis ſit, ſi æger vix ſudet aut titiones aut lapides candentes vino extincti, mox ab hauſtu Guaiaci, vel calida lintea vel ſacculi ſeminibus calidis pleni capiti & ceruici imponuntur, vt illinc quam à reliquo corpore ſudores vberiùs emanent. Qui denſo ſunt corporis habitu & frigidis craſsiſque humoribus referti, æger primis

diebus ſudare ſolent. Dein verò præparati humores decocto Guaiaci cùm incaluerunt faciliùs ſudant. Sudoribus deterſis caput oleo calefaciente, quale eſt irinum rutaceum aut ſimile inungendum. Item Emplaſtrum ſupradictum debet admoueri. Rurſum circa quartam horam pomeridianam æger Guaiacum hauriet & in lecto ſeſe continebit, vt dictum eſt. In paſtu loco vini vtatur ſecundario decocto Guaia, vel decocto Salſaparill. Abſtineat à vino, quia vinum caput vaporibus replet & illius dolores exaſperat. Quidam ad inueteratos capitis dolores poſt vnam aut alteram vacuationem ad hydrargyrum confugiunt; quo caput & cæteras partes dolentes vngunt: hi etſi dolorem interdum tollunt, cauſſam tamen ſemper augent cerebrúmque magis refrigerant & humectant. Extrema remedia ſunt veſicatoria & ſetacea. Veſicatoria inter cutem & epidermida humores ex alto euocant, vnde veſiculæ emergunt. Cauteria verò cutem & ſubiectas partes adurunt, faciuntque vlcus per quod apertum excrementum capitis debet expurgari. Setacea ceruici ſic transfiguntur, vt alterum extremum ſurſum, alterum deorſum ſpectet, multa per ea admota ſanies è capite effluit. Applicantur cauteria capiti vel in vtroque brachio ſupra cubitum ad 4. digitos in parte exteriori carnoſa. Experientia demonſtrat hæc tria remedia efficaciſſima eſſe in externis capitis affectibus, cum ſcilicet aut tumor mollis & œdematoſus ſynciput infeſtat aut partem aliquam capitis dolor immanis

immanis exercet, qui digitis admotis percipi poteſt.

CEPHALALGIA SYMPATHICA.

INterdum Capitis dolor excitatur partium inferiorum conſenſu. Tanta enim capitis cum ſubiectis partibus eſt familiaritas, vt his affectis illud promptè condoleſcat. Sæpe autem ventriculus capiti ſua vitia impertit, hinc iecur & lien, ab his vterus, raro thorax & pulmones, externæ partes rariſſimè. Dolor hic vix continenter affligit vt primarius, ſed ex interuallis. Nam pro partis communicantis affectu augetur & minuitur. Frequentiſſimè autem bilis in cerebrum irrepens dolorum illum facit. Interdum humor putris in vtero aut alia parte contentus, vapore venenato cerebrum concutit. Interdum & venenata qualitas ſine materia cerebrum ferit, vt in morſibus venenatorum animalium alteratis per continuitatem partibus. Si ex ventriculo excitatus vapor dolorem illum facit, in eo vel bilis vel pituita multa collecta eſt, & ad curationem diligenter internoſcendum eſt, num è iecore, liene, aliáue parte in ventriculum humor ille affluat, an ab ipſius propria affectione, an à cibo vitio gignatur in ventriculo putrefacti (quod accidit) vel ventriculi errore. Si cibus vltra ſatietatem ſit ingeſtus, aut ſi putredini ſit opportunus. At ſi jecur impensè ſit calidum aut obſtructum & ſchirroſum ſuſpicio eſt ex illo bilem influere in

ventriculum. Quod ſi præterea vomitur bilioſus præceſſerit, faciei puſtulæ, oris amaror, ſitis, à iecore fons mali oritur. Si febris quartana proceſſerit, ſitque hypochondrium ſiniſtrum durum & tenſum, facies plumbea ſine ſiti & cum multa appetentia. Lien dedit initium. Porrò capitis dolor, qui accidit ob ſympatheian inferiorum partium curatur remediis primum admotis parti affectæ, dein cerebro. Quomodo autem occurrendum ſit capitis dolori, qui fit per conſenſum totius corporis, vt in febribus tum continuis tum intermittentibus, dicemus capite de febrium ſympromatib. Capitis dolori ab Ebrietate ſic proſpicitur. Vomitus ſtatim cieatur, ſomnus longior imperetur. Hic enim coquit. Commodum eſt Braſſicæ folia in aqua tepida macerata Capiti imponere & circumligare, hæc enim vaporum aſcenſum prohibent. Ebrietati naturali proprietate repugnant amygdal. amar. quæ dicuntur ebrietatem arcere ſi ſex aut ſeptem ſumantur ieiuno ventre, vt & nuclei perſicorum. Puluis etiam ante potum ſumptus ebrietatem arcet ex coriandri præparati ℥. ij. ſem. braſſic. cydon. plantag. gran. berberis ana ℥. j. huius pulueris ℥. ij. dentur cum ſacco granatorum, limonum aut omphacio. Si inueteratus ſit capitis dolor ante curationem diligenter internoſcendum, num à lue Venerea ſit contractus, quod dignoſces, ſi præceſſerit gonorrhæa virulenta. Si puſtulæ quædam

quædam latæ & ſiccæ in fronte, facie & capite emergunt. Si ſentiatur dolor in habitu corporis totius, ſitque dolor ille atrociſſimus noctu, interdiu autem aut paruus aut nullus. Quæ ſi adſint conſtanter affirmari poteſt luem Veneream hanc capitis dolori occaſionem dediſſe. Tunc ſudores promouendi decocto Guaiacino bis in die, ita tamen vt quarto quoque die relinquatur huius decocti vſus, purgetur æger cathartico aliquo accommodato, vt craſſi & pituitoſi humores, qui per ſudores euacuari nequeunt, expurgentur, poſtque confugiendum ad certum & verum luis Venereæ alexiterium, quod eſt hydrargyrum. Lues enim Venerea omniaq; ſymptomata & ſudoribus per guaiacum commotis & litu ex hydrargyro delentur.

HEMICRANIA.

VEteres hemicraniæ cauſam ad frigidum humorem media capitis parte collectum referunt & ad eum reſoluendum, calfaciendum & attrahendum multa remedia præſcribunt. Qualia vſurpetur ad Cephaleæ inueteratæ purgationem: nam à frigido humore capiti impacto prodit. Verum in dignotionem cauſæ hemicraniæ erratur. Sic enim hemicrania fit à ſubiectarum partium euaporatione, quoties acres & bilioſi humores in hepate aut venis collecti acres vapores per

venas & arterias ad interiores partes capitis effundunt, qui membranis compunctis hemicraniam excitant. Itaque propria hemicraniæ curatio fit his medicamentis, quæ ventriculum exquiſitè tergent, obſtrictiones viſcerum tollunt, omnemque præcordiorum impuritatem in aluum deducunt & calidam ſiccamque humorum, & viſcerum intemperiem demulcent. Commendantur ergo apozemata tum præparantia tum laxatiua. Præparantia fiunt ex Rad. cichor. granis aſparagi, oxalyd. oxilapat. & ſimil. In quibus ſi infundantur fol. ſen. & Rhabarb. fient laxatiua. Conuenit etiam caſs. cathol. & victus refrigerans ac humectans. Dolor dum atrocius affligit, facilè compeſcitur ſi immiſſo in faucem digito excitetur vomitio, vel calamo oleo intincto vel aqua tepida. Ad hunc dolorem compeſcendum nihil æquè poteſt atque ſomnus. Venarum temporalium ſectio interdum hemicranicis doloribus finem adferre viſa eſt; vt & frequens vſu ex aloë lota in aqua cichorij, pulu. elect. triaſantal. Rheo, agarico, malaxatis omnibus cum ſyrupo de cichor. ſimplici aut compoſito.

PHRENITIS.

PHrenitis cum ſit morbus acutiſſimus, ſine vlla cunctatione curandus eſt. Promptè ergo ſecanda vena, eaque vel cephalica vel

vel mediana, & ſanguis quam copioſè per vires licebit, detrahendus, vt compeſcatur bilioſi ſanguinis feruor, prohibeaturque Eryſipelatis vel abſceſſus generatio. Repetitur autem ſanguinis miſſio, pro ratione virium ægri, & magnitudine morbi. Ne autem vena chirurgum eludat, contineatur æger vel à famulis, vel à vinculis. Sunt qui iubent anguſtum fieri foramen, ne maior fiat, quam par ſit ſpiritum diſſipatio. Eſt enim Phrenitis malum in ſyncopem propenſum. Vtque vulnus celerius coaleſcat, miſſo quantum videbitur ſanguine, vulnus forti ligatura ſtringendum, & ſi ita ex vſu videatur, obducetur litu ex aloë, albo oui, & pilis leporinis confecto, ne petulanti ægri agitatione reſecetur. Poſt venæ ſectionem prouocetur ſomnus. Nam ſi à ſanguine euacuato ſuccedant vigiliæ, de nouo accenſis humoribus æger ferocior euadit. Conciliatur autem frontalibus ex herbis & ſeminibus frigidis tritis affuſ. aq. roſar. & aceto, cuius vis augetur miſto populeo recenti, antiquum enim calfacit. Potionibus ex decocto lactucæ, ſem. papau. in quibus diſſol. ſyr. roſ. ſicc. & papauerinum. Hordeatis potius quàm amygdalatis, quia amygdalæ promptè incenduntur. Recipiant autem hordeata, ſem. papau. tritum. Interdum cum intenſiſſimæ ſunt vigiliæ, vti cogimur narcoticis, vt opio, athanaſia, (confectione, quæ ad philonium accedit) philonio, quæ tamen tutius extra ad-

mouentur, quàm intrò ſumuntur. Somnum
etiam accerſunt refrigerantia, & repellentia
capiti raſo extrinſecus admota, quorum loco,
idque cum maximo profectu, admouere ſoleo
catellos, pullos columbinos exenteratos, &
per medium ſectos, vel pulmonem arietis vel
vituli adhuc calentem, quia calore ſuo tempe-
rato, & noſtro familiari ſine vlla noxa igneum
temperant, adeóque refrigerant, & propterea
ſomnum conciliant. Si his non remittitur
Phrenitis, frontis vena ſecanda eſt, cucurbi-
tulæ cum ſcarificatu ceruici & ſcapulis admo-
uendæ. Alternis diebus ſi aluus ſit tardior,
dentur clyſteres refrigerantes, & remollien-
tes, in quibus diſſolue Looch de Caſſia, ca-
thol. vitatis calidioribus, vt benedict. laxatiu.
diaprun. laxat. quia hæc febrem augent, & hu-
mores exagitant, vitatis etiam oleis quæ faci-
lè imflammantur. Conueniunt etiam purga-
tiones lenientes. Obſerua tamen an in diebus
criticis aliqua criſis ſequutura ſit, aut ſudore
aut alui deiectione, aut multa vrinarum pro-
fuſione. Nam non oportet impedire naturæ
conatum Errhina in hoc affectu non conue-
niunt, vt neque ſternutatoria, quia vehemen-
ter cerebrum agitant, neque tamen noxium
humorem euacuant. Victus ratio humectet,
refrigeret & adſtringat, vt vna & eadem ra-
tione bilis refrigeratur & condenſetur. Vino
prorſus abſtinendum. cuius loco vtetur æger
aqua communi ſaccarata, ptiſana &c. Nocet
abſti-

abſtinentia cibi, quia ieiunio bilis magis excandeſcit. Videtur omnis motus vehemens, tum animi, tum corporis. Continentur æger in loco frigido, eóque obſcuro ſi luce oſtenditur, vel lucido ſi tenebræ eum deterreant, Arceantur quæcunque eum poſſunt irritare vrina in hoc affectu interdum cohibetur, à qua ſuppreſſione, quia vitæ periculum impendet ea cienda eſt. At verò quia vrina potius delirij vitio, quàm alicuius obſtrictionis cohibetur. Dum mens aliò abducitur, ideò diureticis non valde opus eſt: huc accedit, quod ea calida ſint & ob acrimoniam vigilias intendunt: ſed veſicæ regio fouenda eſt vel aqua tepida, vel ſimplici, vel in qua malua, bis malua, parietar. chamæmel. melilot. anethum cocta fuerint, dein manu preſſa vrina propellenda. Dein eadem veſicæ regio liniatur oleo ſcorpionum, vel ſolo, vel miſta pinguedine cuniculi, quæ vias aperit. Naſturtium aquaticum frictum cum vino albo & ſuper linteum ad veſicæ regione appoſitum prodeſt. Si phrenitis ſuppuret, lethalis eſt, niſi propè narium aut aurium meatum factus ſit abſceſſus, quibus partibus ruptis aut acrimonia puris exeſis pus foras euacuatur.

SOPOROSI AFFECTVS.

In cura ſoporoſorum affectuum, id imprimis enitendum, vt æger excitetur. Nam ſi diu perſeueret ſopor, calor innatus nimia hu-

moris copia obrutus extinguitur. Excitatur frictionibus validis cum panno nouo & aſpero, forti extremorum ligatura, pilorum tum capitis, tum pubis, tum menti euulſione, crebra acclamatione, commotione totius corporis, odoribus fœtidis, naribus admotis ex aſſa fœtida, galbano, ſulphure &c. Incenſis maximè ſi ſopor ille non ſit apoplecticus. Suffitus enim periculoſi, vbi adeſt reſpirandi difficultas. Sternutatoriis ex puluere hellebori, zingib. per calamum in nares inſufflato, errhino ex ſucco anagallidis, betæ, vino albo, melle roſato. Ad idem aqua vitæ in nares iniicitur, vngitur palatum ex ſinapi. Infunduntur clyſteres acres, ex decocto origani, ſaluiæ, ſampſuch. centaurij, rutæ, baccarum lauri, ſemin. cumini, carui, dauci, in quo infunditur pulp. coloquint. ad ℥ ß. ℥ j. ℥ j. ß. ℥ ij. diſſolu. benedict. laxatiu. hieræ diacoloquint. mel anthoſat. oleum irin. rutac. Oleis tamen vis medicamentorum obtunditur, & ad maiorem irritationem virtutis expultricis additur ſal gemmæ. Induntur ſuppoſitoria acrij, eáque ſatis longa ex pul. hieræ, & diacoloquint. ℥ ß. caſtos. ℈ ij. ſal. gem. ℈ j. cum mel. anthoſat. q. ſ. Fiunt purgationes ex pill. aureis, cochiis, Trochiſcis alhandal. diſſolut. in aq. vitæ, rutæ, ſaluiæ, & ſimilibus, eæque in gulam ex cochleari infunduntur. Secatur vena maximè ſi adſit plethora, vel alia indicatio mittendi ſanguinis. Alioquin ſi ſopor ab humoribus craſſis frigidis

dis abſtinendum à ſanguinis miſſione. Cucurbitulæ poſt venæ ſectionem & purgationem admouentur. Primùm initio ceruicis ad primam vertebram & ſecundam, ac dein ſcapulis, dorſo, & lumbis. Emplaſtrum etiam calfaciens ex alto attrahens applicatur capiti raſo comparatum ex pice nigra, gummi ammoniaco, ſinapi in aq. vitæ macerato, & ceræ q.ſ. Sunt etiam qui ad excitandam vim cerebri, & colliquandos humores illos craſſos commotos in cerebro, quam proximè ſartaginem candentem capiti raſo admouent, ita tamen vt non exurant. Quod ſi ob muſculorum maxillarium conuulſionem arctè os concluditur, & metus ſit ne æger morſu linguam diuidat, aut non ſatis reſpiret, aperiendum eſt inſerto baxillo. In quibuſdam autem ſoporoſis affectibus, reſpiratio interdum ita debilis, vt nulla prorſus videatur, ægérque mortuo ſimilis ſit. Reſpirationem autem & vitam teſtantur ſpeculum terſiſſimum, & naribus admotum, ſi maculis, & veluti ſitu obducatur, aut goſſypium carptum, vel accenſa candela ori & naribus admota, vel cyathus aqua plenus pectori admotus, ſi mouetur, reſpirationis, & per hanc vitæ certiſſimum indicium, quia reſpiratio à vita, & vita à reſpiratione ſeparari nequit. Quanquam autem nulla vitæ indicia appareant, non tamen primo quoque die ſepeliendi, quia horum plurimi præſertim mulieres, & qui cor-

de minus ſunt calido reuixiſſe ſunt viſi. In iis
enim reſpiratio natura minor eſt, cumque mi-
nima reſpiratione indigeant, mortui videntur,
cum tamen viuant. At verò non reſurgunt apo-
plectici (vt eſt in aphoriſm. 24. ſect. 2.) quibus
ſpuma circa os colligitur, ſed epileptici re-
deunt, quia in epilepſia ſpuma fit ab agitatione
humoris morbifici è cerebro educti. At in
apoplexia fit ſpiritus viam ſibi è pulmone quæ-
rentis interceptione. Et hæc generaliter ſunt
facienda ad excitandos ægros ſopore corre-
ptos. Particulatim verò ratio habenda eſt cau-
ſæ à qua ſopor procedit. Si enim à vermibus,
illi ſunt educendi. Si à cicuta aut opio, vomitus
procurandus, dandúmque alexipharmacum.
Si ab vtero ei eſt proſpiciendum. In ſumma ſi
ſopor alteri affectui accidat, eius primùm ra-
tio habenda eſt. In his affectibus notandum
eſt, quod phrenitidi lethargus ad malum ſucce-
dit. Acutus enim morbus acuto ſuccedens le-
thalis eſſe ſolet, quod Catalepſis in melancho-
liam facilè degeneret, quod ſopor à capitis
ictu, vt plurimum lethalis eſſe ſolet. Et quod
vt habetur aphor. 42. ſect. 2. Apoplexia fortis,
quia reſpirationem tollit, incurabilis eſt. Leuis
autem ſi curetur ſoluetur in paralyſin alterius
lateris, in quod humor decubuit, quæ paraly-
ſis Hippocrati παραπληξία appellatur. Sunt ta-
men quidam, qui ab apoplexia ita reſtituun-
tur, vt nulla in corpore præcedentis morbi
manifeſta veſtigia relinquantur, niſi fortè ali-
cuius

cuius partis leuis ſtupor vel linguæ aliquod impedimentum.

Vertigo.

Vertigo vel eſt primaria, vel ſecundaria. Cauſa alias eſt calida, aliàs frigida. A quacunque autem cauſſa fiat vertigo fugiatur aër nebuloſus, pluuioſus, verſpertinus, & nocturnus, quia caput replet humoribus, humores cerebri commouet, vt & auſter, & radij Lunæ. Vitentur etiam quæ humores variè impellunt, extenuant, & concitant; vt vigiliæ vehementes, animi perturbationes, immodica exercitatio, ſolis æſtus, & capitis è qualibet re commotio, vt etiam ante luculentum ignem calefactio. Calor enim immodicus vapores & humores colliquat. Vitentur etiam profundorum ex alto intuitus, vt etiam eorum quæ in orbem mouentur, vt rotæ, quæ circumuertitur, aut vorticis, qui in aquis circumuoluitur, aut alius cuiuſlibet rei ſimiliter in gyrum actæ. Cibi ſint euchymi, coctu faciles, non vaporoſi, non calidi, non flatulenti. Abſtineat ergo æger ab alliis, porro, cæpe, ſinapi, napis, caſtaneis, raphano, vino hypocratico, moſcatellino, & ſimil. Nocet admodum inedia. Nam in alimenti penuria calor noxios humores exagitat. Noxius eſt & ſomnus diurnus, vt & coitus immodicus, vbi plurimum inuaſit acceſſio æger contineatur in loco obſcuro. Lux enim in paroxyſmis fugienda, quia ſpiritus exagitat.

ſola verò quiete & tranquillitate tum animi, tum corporis, ab acceſſione liberatur. Quod ſi cauſſa vertiginis ſit intemperies cerebri calida, & humor feruidus & ſpumoſus in venis & arteriis contentus. Victus refrigeret, & humectet. Frequens adſit purgatio eiuſdem humoris. Secetur cephalica, mediana, & etiam vena temporum. Occurratur etiam iiſdem remediis quæ iam dicta ſunt in cura Cephalalgiæ in calida cauſſa, & quæ poſtea intemperiei calidæ, iecoris exponentur. Sin verò cauſſa vertiginis ſit intemperies frigida & humida cum multo pituitoſi humoris affluxu: purgetur pituitoſus humor. Roboretur cerebrum, ſaccilis, cucuphis frictionibus. Imperetur decoctio Guaiaci: fiant & alia quæ tradentur in cura intemperiei frigidæ & humidæ cerebri. In vtraque cauſſa occipitio ad ſuturam lambdoidem applicetur cauterium, quod diu fluere ſinatur, & vermis ſericus ſiccatus in furno & tritus vertici capitis inſpergitur. Si fiat conſenſu ventriculi, vide vtrum bilis an pituita huic morbo originem dederit. Si enim bilis cholagogis educatur. Si nauſea adſit dentur vomitoria. Sin pituita, ea coquatur, concocta purgetur, temperetur. Inſtituatur victus vti dicetur in cura intemperiei ventriculi frigidæ & humidæ, calidæque. In vtraque cauſſâ datur puluis à paſtu, qui vapores ſurſum elatos reprimit, & flatus diſcutit. Ex coriand. præparato, roſis, cinamom. raſ. ebor. pulu. glycirrhizæ, & ſaccharo roſato

roſato. Sin vitio alterius partis, vt lenis, vteri, aut totius corporis. Eius partis primariò effectæ ratio primum eſt habenda. Facilis autem tranſitus eſt à vertigine in Epilepſiam, vnde & veteres vertiginem paruam Epilepſiam dixerunt.

EPILEPSIA.

AD curandam Epilepſiam duo tempora obſeruanda. Vnum paroxyſmi, alterum intermiſſionis. In paroxyſmo enitendum, vt is citiſſimè ſoluatur. Vt autem ſoluatur puluis Ellebori in nares immittitur, vt & ſuccus rutæ, & quæ aduerſus Epilepſiam vi quadam arcana pollent, vt & oleum roriſmarini, & aniſi, aut ſaluiæ arte chymica extractum, quod etiam in aures immittitur. Vinculis dolorificis extremæ partes ligentur ad reuulſionem. Aſperæ fiant frictiones artuum, euellantur pili, indantur clyſteres acres ex rad. fœnicul. ireos, pœon. rutæ, abſinthij, & ſimilibus. Infunditur pulpa colocynth. ad ʒ. j. ʒ j ß. ʒ. ij. diſſol. bened. laxat. ad. ʒ. ß. ʒ. vj. ℥ j. ℥ j ß. Fit ſuffitus ex caſtoreo, aſſa fœtid. gummi ammon. ſagapeno, galbano, & ſimil. igni traditis. Hæc enim vapores tetros ad ventriculos cerebri penetrantes, & humorem craſſum Epilepſiæ cauſſam in cerebro contentum ſua ſiccitate abſorbent. Et hæc vt humore commoto Epilepſiam

concitant: ſic eam commotam diſcutiunt. Dentes ſi arctè ad inuicem conſtringuntur, vi ſunt diducendi, tum vt libera ſit reſpiratio, tum vt praua fuligo exitum habeat, & his diductis percochlear in os inditur aqua vitæ, aq. cinamom. aq. theriacalis, aq. angel. ſuccus rutæ. Iniicitur etiam potio ex mithridat. ℥ ij. Theriac. ℥ j. caſtor. ℈ j. diſſolut. in aq. vitæ, rutæ, & ſimili. & palatum theriaca, & mithridatio aut ſinapi illinitur cum penna. Quod ſi in ipſo inſultu æger vehementer commoueatur, & conuellatur, inhibeatur aliqua ex parte, refrænetúrque motio vehementior, ne corpus nimium defatigetur. non verò, etiamſi id fieri poſſet in totum prohibeatur, ne retardetur paroxyſmi ſolutio. In ipſa enim partium concuſſione cauſſa Epilepſiæ diſcutitur. Quod ſi ventriculi vitio fiat Epilepſia, vomitus prouocetur. Sin vteri, ſitque mulier prægnans non adhibeantur naribus fœtida, hæc enim fœtum excutiunt. Sed in his ſatis ſit concuſſionem nimiam inhibere. Sin fiat per conſenſum digitorum manus aut pedis, ligetur validè brachij ſuperior pars, & femur, & tibia, quia ſcilicet ſuperior brachij pars & femur vno tantum oſſe conſtant. Cubitus verò & tibia duobus, igitur minus arctè hæc pars ligari poteſt. Vaſa enim quæ inter duo oſſa latent firmiter conſtringi nequeunt. In intermiſſionis tempore prouidendum, ne repetat paroxyſmus. Id fiet purgatione pituitæ, quæ Epilepſiam fouet, prius tamen ad excretionem præpa-

præparatæ, id eſt inciſæ, attenuatæ & concoctæ. Præparatur apozema ex rad. polypod. quer. pœon. Enul. campan. acori, gentianæ, angelicæ, cyperi (omiſſis radicibus aperientibus, quæ humores nimis concitant) fol. beton. maioran. thymi, mentæ, oripani, calamenthi, chamædrios, chamæpythios, hyſſopi, rutæ, ſem. pœon. aniſi, rutæ, fœniculi, carthami, viſci quercini, florib. roſmarini, ſtœchados. Additur in colatura mel roſat. aut ſyrup. capill. veneris. Aromatizetur cum nuce moſchata, & pulu. diamoſch. dulc. ana ʒ j. Æger his præparatus purgabitur ex maſſa pillul. cochiar. & ſine quibus ana ʒ ß. rad. pœon. & viſci quern. ana gr. 4. Malaxatis omnibus cum ſyrupo de ſtœchade. Vel fiat doſis ex rad. fœniculi, ireos, pœon. ſem. cartham. ana ℥ ß. fol. rutæ, abſynth. beton. hyſſop. ana M. ß. ſem. pœon. ʒ ß. fiat decoctio ad ℥ vj. infunde ſen. mundat. ʒ iij. garyophyl. ʒ ß. diſſolu. confect. Hamech. ʒ ij. aut diaprun. laxatiu. ʒ iij. Fit & ſyrupus ſolemnis quem magiſtralem vocant ex rad. herb. & fol. dictis in apozemate præparante, in quorum decoctorum ℔ j. infunde fol. ſen. mund. ℥ iiij. garyophyll. ʒ ß. agar. alb. ʒ ij. cinamomi. ʒ ij. Thurbith. ℥ j. zinzib. ʒ ij. Rhei. ℥ j ß. in expreſſ. diſſolu. ſaccari albi. ℔ j. Doſis ℥ ij vel ℥ iij. ex cochleari vel cum ptiſana, vel cum aqua rutæ, vel decocto conuenienti bis aut ſemel in quacunque hebdomada. Interdum in doſi huius ſyrupi magiſtralis diſſolu. confect. Hamech. vel diaprun. laxat.

vel diacatholici ſuff. quant. Hic ſyrupus obſtructiones viſcerum, quæ fortè huic morbo materiam ſuppeditant, ſoluit. Infunditur etiam in potionibus, apozematibus, & ſyrupis rad. hellebori nigri præparati ad ℨ ß. ℨ j. pro quaque doſi. Sic autem præparatur.

℞. rad. hellebori ℥. ß. infundatur horis 12. in aceto, & ol. amygdalarum dulcium, cinamom. & nuc. moſchat. ana ℨ j. Biduo aut triduo ante ſolitum paroxyſmum purgetur æger, vt morbi materia ſubtrahatur. At verò ad antecedentis ſublationem, & humoris craſſi inciſionem, vtatur frequenter hac maſſa pillul. quarum vſu inueteratæ Epilepſiæ non ad longum tempus protrahi viſæ ſunt.

℞. Gummi ammoniaci liquari in aq. mellis, & colat. ℨ ß. ſagapeni, bdellij, opopanacis, ana ℨ iij. caſtor. aſſæ fœtid. ana ℨ j. ſemin. pœon. granor. iuniperi, rad. gentian. & ariſtoloch. rotund. ana. ℨ ß. fiat maſſa pill. addendo aloës. ℥ j. mithridat. ℨ ij. ſyrup. de ſtœchad. q. ſ. fiant pillul. iiij. pro doſi manè tribus horis ante cibum.

Huc pertinet decoctum Guaiaci, quod incidit, attenuat, ſiccat, & propterea malam qualitatem, quæ hic ſuſpecta eſt, tollit.

℞. Limaturæ Guaiaci ℥. iiij. corticis eiuſdem. ℥ ij. macera in vj. aut vij. ℔. aquæ horis 24. Deinde coque igne lento in vaſe diligenter obturato hoc ß ij. aut tribus. adde ſub medium tempus, decocti rad. pœon. ℥ j. angelic. ℥ ß.

ʒ. ß. fol. ſalu. M. j. aromatizetur cinamom. & per manicam. Hippocr. tranſmittatur, hauriat ℥. vj. bis aut ſemel in die. Fæci decoctionis ſuperioris, affunde aq. optimæ. ℔ viij. ad duarum conſumptionem coque. Addi poterunt Salſæparillæ ℥ ij. Particulariter etiam per apophlegmatiſmos & errhina purganda erit pituita. Apophlegmatiſmus ex maſtich. ʒ. ß. pyrethri. ʒ ij. exceptis cera q. ſ. Errhinum ex ſucci betæ, ana gallid. maioran. ana ℥ iiij. vini albi ℥ ij. mellis roſati ℥ iij. & cum iniicietur in nares, os aqua repleatur. Victus ratio ſit talis. Abſtineat à multis iuſculis, fructibus, lacte, caſeo, braſſica, caſtaneis, pyris, & ſimilibus vaporoſis, quæ cerebrum replent fumis: vt & alio, cæpe, ſinapi, porris, vinis accerimis, vt etiam à ſalſis & piperatis. Nocet admodum inedia, quia humores exagitat. Crapula quæ pituitoſis humoribus caput replet. Aër humidus vento vel boreali, vel auſtrali agitatus. Auſter enim excrementitio humore caput grauat. Boreas intenſo frigore conſtipat, nocent & radij Solis & Lunæ, & quæcunque vehementer exagitant cerebrum & ſenſus. Ideò vitandum & inſignis ſtrepitus, ventorum perflatus, corporis in gyrum commotio, intentus in rem aliquam intuitus, ſplendores vehementiſſimi, candor corporum niue conſperſorum, conſpectio ab alta ſpecula, & eorum quæ in orbem mouentur intuitus. Auicennas in hoc affectu apium, vt venenum fugiendum eſſe cenſet, quod proprietatem

quandam habeat (inquit ille) detergendi Epilepſiam. Contra Galenus eius vſum laudat & probat, quas contrarias opiniones ſic conciliat Montanus. Quod Galeno apium noſtrum eſt petroſelinum, quod in Epilepſia tutò dari poteſt: Apium verò Auicennæ eſt, quod Galli vocant, *Ache*, in hoc affectu fugiendum. Vitentur omnia animi pathemata. Multi enim ex vehementibus & repetitis animi affectibus inſultu epileptico corripiuntur. Somnus meridianus & matutinus. hic enim retinet, ille generat excrementitios humores. Exercitia vehementiſſima, quæ cerebrum nimis concutiunt. Potius ſit pomaceum ſecundarium, vel aqua ſaccarata.

℞. aquæ coctæ ℔ j. colatur per manicam Hypp. cum ℥ iij. ſaccari, & ʒ ij. cinamomi, vel hydromel, cuius hæc ſit formula.

℞. aquæ ℔ viij. mellis ℔ j. coque ad conſump. tertiæ partis, aromatizetur ℥ j. zinziberis. (Bibat tamen quam minimum poterit.) Cœna prandio ſit parcior, copioſa enim caput replet. Noctu caput probè contegat. Aluus ſemper ſit libera. In fine paſtus puluis hic datur, qui coctionem adiuuat, cerebrum roborat, & vapores repellit.

℞. raſ. ebor. vſti. ʒ j ß. raſ cornu cerui. ʒ ß. ſem. fœnicul. dulc. ℥ ß. coriandri præparati. ʒ ij. ſem. pœon. mund. & contuſ. ʒ iij. cranij humani pulueriſati, & viſci quercini ana. ʒ j ß. ſaccari roſati quadruplum, fiat puluis tenuiſſimus. Præſcribun-

ſcribuntur etiam Opiatæ ad roborandum cerebrum ex conſeru. acori, florum ſaluiæ, roriſmar. ſtœchad. roſar. bugloſſ. borrag. mithridat. Theriaca, cortic. citri condit. cum cinere cranij hominis diamarg. frig. cuius hæc ſit formula. ℞. conſeru. flor ſalu. roſmarin. ſtœchad. ana ℥ j. cortic. citri condit. ℥ ß. cineris cranij humani ʒ j ß. granorum pœon. ʒ ß. ſyrup. de ſtœchad. q. ſ. fiat Opiata, cuius doſis ʒ j ß. hora ſomnij. Interim applicetur cauterium vel in fine occipitis, vel vtroq; brachio ad muſculum deltoidem, vulnus in longum tempus apertum teneatur. Sũt qui ceruici ſetonẽ adhibent, cuius tamẽ longè moleſtior eſt vſus quam cauterij.

EPILEPSIA PVERILIS.

PVeri Epilepſiæ ſunt obnoxij, tum quod humidum habeant cerebrum, multiſque cibis ſeſe ingurgitant, tum quod in eorum inteſtinis vermes contineantur, à quibus elati venenati vapores, & putridi Epilepſiam concitant. Si à vermibus, injiciantur Clyſteres ex ℥ iiij. ℔ ß. lactis ℥ ß. looch de caſſia, vitello oui vnius, & ſaccari. ℥ ij. detur ſyrup. de cichor. cum Rhabarb. Adhibeatur ſuper vmbilicum vnguentum ex aloë, felle bouis, abſinthio. Fiant denique alia, docenda in capite de vermibus. Si à copia pituitoſorum humorum imperetur nutrici idonea victus ratio, quæ laudabile lac generet. Puero appendatur amuletum ex rad. pœon. in taleolas diſciſſæ, & tranſfixæ filo. Hic etiam nodulus collo geſtari poteſt.

℞. Sem. pœon. rad. eiuſdem, viſci quercini, corall. rubr. ana ℥ ij. fiat ſacculus collo geſtandus. Indatur ſingulis matutinis in os pueri aq. angel. vel rutæ, vel rad. pœon. vel florum roriſmar. vel ſalu. vel hyſſop. vel cardui benedict. Suffitibus pileus nocturnus ſuffumigetur. hæc etiam cucupha capiti applicetur.

℞. rad. ireos florent. cyperi, ana ℈ ij. vel ʒ j. ſem. pœon. ʒ ij. florum anthos. m j. macis. cinamom. ana ʒ j. fiat puluis pro cucupha. Purgetur interdum cum ſyrupo de cichor. compoſ. cum Rheo. Prohibeatur omne obiectum ſenſus inſigne & ſubitum, ſeu inſignes ſenſuum mutationes, vt ſonitus vehementes, curruſcationes, terrores, & quæcunque ſpiritus repentè perturbant. Quidam enim pueri epilepſia corripi viſi ſunt, repentino clangore tubarum, lapſu aut ſubita mentis conſternatione. Rondelet. iubet applicari cauterium in occipite, ne fiat humorum attractio ad cerebrum. Si Epilepſia à ventriculi vitio prouenit, quod ex mordicatione, nauſea, cibi alieni appetentia, ante paroxyſmi inuaſionem cognoſcitur, vomitu vacuatio tentanda: maximè ſi eo natura vergat. hæc enim vna efficaciſſima, & in primis accommodata his vitiis expurgandis, quæ ventriculo & vicinis partibus diutius & tenacius inſederunt, cietur autem ex penna oleo illita, & in gulam immiſſa: ex potione aquæ tepidæ, aut oleo communi ex butyro recenti colliquato. Efficaciſſimum autem vomitorium erit ex ʒ j. rad. aſari pulueriſatæ, diſſolutæ vel in vino albo, vel in hydromelite. Et ante ſolitum acciſſionis

ceſſionis tempus dentur cathartica, quæ primam corporis regionem expurgant, infuſ. ex fol. ſen. turbith. Rhei agaric. in decocto conueniente, & cum opus eſt diſſolue diaprun. laxatiu. diaphœn. confect. hamech. &c. Fit & maſſa pillul. ex pulu. hieræ. ℥ ij. agaric. trochiſcati, Rhei. ana ʒ j. maſtich. ʒ ß. incorporatis ſimul cum ſyr. capill. vener. Et ad deterſionem humoris bilioſi, & obſtructionis viſcerum apertionem detur ſyrup. de abſynth. cum decocto rad. enul. campan. & fol. abſinth. Ad idem etiam conueniunt vinum Enulatum & abſinthites. Poſt conuenientes purgationes roboretur ventriculus, & inteſtina ne poſtea humores colligant, aut humores ſurſum emittant. Roborantur his aſſumptis, vino abſinthite, enulato, elect. diarrhod. abb. Triaſantal. cum Rheo. Interim manè offeratur cochlear pulueris ex ſeminibus fœniculi dulcis, coriand. præparati, ſem. pœon. viſc. quercin. cranij humani, & ſimilibus. Fiat opiata ex conſeruis anthos beton. ana ℥ ß. mithridat. veteris. ʒ ij. theriac. ℈ j. viſci querc. ſem. pœon. cranij hominis, ana ℈ j. Si ab vtero fiat Epilepſia, id accidit vel ob imprægnationem. Multæ enim grauidæ Epilepſia corruiſſe viſæ ſunt, expeditæ vero à partu nunquam, vel ob retētionem & corruptionē ſeminis, menſium, & ſecundinarū. Si ob retentos menſes, illi ſunt prouocandi, tum aſſumptis tum admotis, quæ poſtea exponentur. Si à retentione, & corruptione ſeminis vel ſecundinarum procurandum, vt tum ſemen, tum ſecundinæ, remediis alibi dicendis foras euocentur.

Quod

Quod ſi ab aliqua parte externa fiat Epilepſia, ita vt ea pars ligari poſſit, ligatura fortis ſupra locũ affectum iniiciatur, vt auræ illius venenatæ aditus ad cerebrum prohibeatur. Parti verò affectæ in qua mali origo creditur conſiſtere, imponatur emplaſtrum ex alto trahens, vel ſinapiſmus factus ex ſeminibus naſturtij, ſinapi, vrticæ, fermento veteri: vel veſicatorium ex puluere cantharid. fermento veteri, ſapone nigro. hoc veſicas excitat, quibus ruptis vlcus diu apertum tenendum. Apponitur etiam cucurbitula, qua ſublata applicatur mithridatium vel theriaca, vt virus extrahatur. Parti etiam illi cauterium imponitur, vt ſi quid intus putridi inſit, detergeatur. Sic Gatinara ſcribit: ſe quendam Epilepticum ſanaſſe aperto per cauterium tumore, & oſſe quod computruerat ſublato. illa denique parte à putri ſanie diligenter expurgata. Sic annotat Rondelet. Quod quoties Epilepſia fit per conſenſum partis alicuius externæ nunquam debeant admoueri ſetones vel cauteria occipiti & collo, niſi morbus factus cerebro familiaris euaſerit.

INCVBVS.

INcubus prælудium eſt Epilepſiæ, Apoplexiæ, Maniæ. Diuturnus enim & ſæpè repetens in eos affectus facilè tranſit, crudis humoribus ſenſim cumulatis in cerebri ventriculis: hinc vocatur nocturna Epilepſia. Familiaris eſt pueris obeſis, atrabilariis, melancholicis, & iis qui cibis pituitoſis vtuntur, vt

vt & ſtudioſis, quibus ob penuriam caloris innati, coctio quæ fit in ventriculo minuitur, cerebrúmque ſtudiorum aſſiduitate debilitatur. Affectus cerebri ſecundarius, qui fit à vaporibus è ventriculo in cerebrum elatis, qui vel ex crapula, vel ex peſſima victus ratione, vel copia pituitoſi ſanguinis, aut atrabilarij generata. Ad præſeruationem huius affectus inprimis conuenit victus non vaporoſus ſeu flatulentus, qui non inflet, nec flatus gignat, ſed euchymus, qui & facilè coquitur, & modicè alat. Vitentur ideo legumina, pia, fabæ, caſtaneæ, porrum, allia, ſinapi, fructus oleoſi, & nuces amygdal. Radices quæ inflant, vt napi, paſtinacæ, betæ, raphani. Cæna ſit aut nulla aut pauca. Potus vinum album, tenue dilutum, hydromel pomaceum bene defæcatum. In vltima menſa non vtatur fructibus crudis. Conueniunt pyra, mala cotonea, aliíque fructus adſtringentes. Capparum, ſaxifrag. & paſſul. vſus vtilis. Somnus diurnus vitandus maximè ſtatim à cibo. Dormiat in latus & non ſupinus. Supinus enim decubitus ſternum comprimit, quo compreſſo pulmones, & thorax non ita facilè dilatantur. Fugiat negotia, ſollicitudines, immodica literarum ſtudia, præcipuè ſtatim à cæna. Præterea immodicam, & intempeſtiuam Venerem. A paſtu vtatur puluere flatus diſcutiente, excoriand. præparati ℨ. ij. pulu. elect. diamargarit. frigid. diarrhod. abb. ana. ℨ. j. ſem. pæon. coralli rubr. ana.

ʒ. ß. Cinamomi. ℈. ij. ſaccari roſacei, q.ſ. Interim propriis catharticis purgetur humor redundans incubi cauſa, qui aliâs eſt pituitoſus, melancholicus. Fiántque alia dicenda in cura melancholicæ hypochondriac.

CONVVLSIO.

COnuulſionis curatio varia pro varietate cauſæ. Cauſa aliàs eſt repletio, aliâs inanitio, aliâs neruorum punctio. Si à repletione imperetur victus calfaciens, & ſiccans, in quo à vino prorſus abſtineat. quia vinum neruos ferit. in cuius locum vtatur pomaceo aqua diluto, aut hydromelite. Pòſt præparetur humor pituitoſus, & præparatus purgetur iis remediis, quæ dicta ſunt in Epilepſia. Et ſi adſunt ſcopi mittendi ſanguinis vena ſecanda. Deinde veniendum ad Errhina, ſuffitus, apophlemgmatiſmos, vt ſuperius dictum. Roboratis interim cerebro & neruos per opiatas, & condita ex conſeruis cephalicis, & pulueribus ſuperius dictis. Quæ dum fiunt humor neruis infixus remolliatur, & digeratur litu ex ol. liliorum, chamæmelino, irino, lumbricorum, anethino, rutaceo, laurino. His adduntur adipes emollientes, & digerentes, gallinæ, anatis, cati, anſeris, vrſi, pulueres neruales, ireos, cyperi, piperis, caſtorei, ſaluiæ, &c. His addatur aqua vitæ, quę pręterquam quod calfacit & roborat vim medicamentorum in profundas

das partes velit.

℞. Axun. human. & taxi, ana ℥.j. lauentur in aqua vitæ. Deinde adde olei de ſaluia extracti ℥.ß. fiat litus, illinatur ceruix ſpina dorſi, & pars conuulſa.

Liniuntur etiam partes conuulſæ decocto catuli, ex ol. vet. ex vino albo, vel ex aq. ſaluiæ, aut extrahatur adeps ex anſere aut vulpe hoc modo.

℞. Vulpem bene pinguem, corium detrahe, & exentera, & infarci. eam cauitatem fol. maioranæ, ſaluiæ, bdell. aſſæ fætid. & ſimil. contuſis in mortario cum oleo lumbricorum & malaxatis. Dein ventrem bene conſue, ne farcimen exeat, aſſetur cum aſperſione aquæ vitæ. Quod inde ſtillat pingue, excipitur ſubiecto vaſe. Ea pinguedine inunguntur partes conuulſæ, & poſt conteguntur pelle agni, vulpis arietis, etiamnum calidis, vt calor innatus ſimil calore recreetur, & cum pelles refrixerint, ſi earum non ſit copia, immergantur oleo anethino, aut ſimili calido, vel recaleſcant, vt ſic.

℞. Anſerem pinguem, & exenteratum, quem ſequenti materia implebis & aſſabis.

℞. Saluiæ, maioranæ, ſtæchad. origani, pulegij, ana. m̄. j. Calami aromatici, nucis moſchat. garyophyll. macis, ana. ℥. j. ſem. fœniculi. ℥.j. ß. tunde omnia in mortario. Dein ol. camomill. & aq. vitæ imbuantur ad vſum dictum.

℞. pinguedinis prædictæ ℥. vj. olei de cera, nuc. moſch. & ſaluiæ arte chymica extract. ana. ℥. ij. Miſce. Conuenienter parti conuulſæ admouentur hepata & pulmones è viuis animalibus extracti, pulli etiam columbini, galli, gallinæ ſectæ.

Pars etiam affecta in bouem aut veruecem, aut maius aliud animal recens cæſum immittitur, & ibi tamdiu continetur, quamdiu animal calet. Sacculus etiam torrefacto ſale refertus mirabiliter neruos ſiccat, ſi calidus parti affectæ applicetur & origani neruorum. Laudantur balnea facta ex ſulphure, ſale communi & alumine in aqua coctis, aut in quibus radices herbæ, & ſemin. cephalica incoxerint. Proſunt & vaporaria, ſeu ſtuphæ ſiccæ ex decocto ſaluiæ, origani, maioran. & ſimilibus, bullitis in aqua & vino albo. Ab exitu Balnei aut vaporarij partes conuulſæ, & vbi eſt origo neruorum illinuntur ſupradictis oleis, & pinguedine. Dein lana conteguntur. Interdum autem dolor intolerabilis ſentitur ad quem leniendum æger ingrediatur Balneum ex aqua, in qua remollientia & digerentia fuerint cocta. Parti verò imponuntur lumbrici cocti, & probè triti cataplaſmatis modo. Aut ſi ægri ſunt diuites fiat Balneum ex oleo vulpino, cui vulpes aliquot ſint incoctæ. Æger autem non diu morari debet in Balneo, ne vires eius reſoluantur. Mox igitur dolore ſedato in lectum eſt reclinandus, & cum dolor repetit

Bal-

Balneo reddendus.

Quod ſi conuulſio fiat ab inanitione, licet ſit incurabilis, maximè ſi confirmata ſit ſiccitas, tamen ſuccurrendum. Victus humectet, & ſimul ſi adſit calor refrigeret, ſit coctu facilis, & euchymus, idem qui in hectica. Vſus hordeatorum confert, ouorum ſorbilium, caro vituli, lac aſinæ, iuſcula ſucculenta, conſumpta carnium, gelatina, lac recens mulſum modò non adſit febris. vinum aquoſum, pomaceum. concilietur ſomnus, quia humectat, & vires reparat, & in ſumma tum animi, tum corporis tranquillitate verſetur. Abſtineat ab omnibus catharticis, præterquam à Caſſia, cathol. Clyſteribus humectantibus remollientibus ex decocto omazorum & cap. veruecis, ex ſero lactis, idque duriſſima aluo, in quibus diſſoluuntur cathol. looch. de caſſia. & ſimilia. Ad humectandum & remolliendum valent Balnea ex hydræleo, vel ex lacte cum aqua ſimplici, in qua emollientia bullierint, vt rad. biſmaluæ, liliorum, ſem. lini, fol. maluæ, violar. parietar. biſmalu. in iis maneant citra ſudorum perfuſionem ne longiore mora vires fatiſcant, & erumpentibus ſudoribus magis exſiccentur. A balneo illinantur oleis malacticis, ol. commun. violar. lilior. amygd. dulc. Olea enim ſuo lentore poros cutis obſtruunt, prohibentque ne calor ſpiritus, & humor diſſipentur, & ſua humiditate ſiccitatem emendant, vt etiam litus ex butyro recenti. Faciet

ad idem fotus ex lacte vel decocto remollientium & humectantium, in quo extrema animalium incocta fuerint. Capita quoque & inteſtina veruecum. Valet ad idem vnguentum de althæa, quod emollit, humectat, & lenit citra dolorem. Vnguentum reſumptiuum, cui etiam ſumma vis ineſt emolliendi blande, & ſine manifeſto calore. Fit & hic litus in rem præſentem.

℞. mucilag. rad. & ſem. althææ, extract. in aq. viol. ℥. j. ß. mucilag. ſem. lini extract. in aq. parietar. ℥. j. ol. violar. Liliorum, butyri recent. ana. ℥. j. ol. amygdal. dulc. adipis gallin. medull. vitul. ana. ʒ. ij. hoc litu tota ſpina, inguina, & axillæ inungi debent. His remediis conuulſio ſi nonnihil remiſſa fuerit, cogendus eſt æger eam partem paulatim extendere, donec ad habitum naturalem redierit. Aut ſi id nequeat pars ea eſt paulatim explananda bacillis. Hoc commune eſt in omni conuulſione, partes eas tentatas valenter dum conuelluntur contineri debere, ne inordinatis motibus ſeſe contingant, & diſrumpantur. Dein ſtatim oleo remolliente perfricari, ſi à ſiccitate orta fuerit conuulſio vel digerente & attenuante, ſi ab humoris pituitoſi copia.

Si à punctione nerui ab acu aut ſimili inſtrumento corporeo, primo quoque tempore, ſi foramen vulneris ſit anguſtius, dilatandum eſt, vt virulenta ſanies exſpiret, quæ ſi ibi retineretur, putreſceret, aut medicamentis ex alto

alto trahentibus virus illud educendum. Ad id fit cataplaſma ex cæpa ſub cineribus cocta, addito fermento, & pauca theriaca. Pars etiam affecta immittitur in aq. tepidam, vt virus foras extrahatur, cute prius in multis partibus ſcarificata. Poſt apponitur Theriaca diſſoluta in aq. vitæ ſuperponitur vnguentum Apoſtolicum, vel Emplaſtrum è Galbano, vel cataplaſ. ex cæpe, aut farina fabar. orob. lupin. decoctis in oxymelite.

℞. Therebinth. ol. veteris ana. ℥. j. aquæ vitæ parum. Addi poteſt euphorb. ℥. ß. modo neruus non ſit obuius medicamento, in quo caſu opus eſt vti blandioribus. In id valent balſama omnia quæ ſiccant, quibus Chyrurgi conglutinant vulnera recentia. Hæc enim partes vulneratas à putredine vindicant. Minimè tamen horum vſu vulnus occludendum, ſed contra impoſito Emplaſtro de Galbano ichor eſt expurgandus. Qui verò puncto neruo dolor excitatur vehementiſſimus ſedetur aq. Therebinth. ol. roſat. miſta. Mirè enim compeſcit dolorem neruoſarum partium, vel ol. lumbricorum. Panis quoque calidus calido lacte infuſus, & cataplaſmatis modo impoſitus valdè anodynus eſt. Quod ſi nullis remediis anodynis vincatur dolor, narcoticis vtere, vt pane cum decocto papaueris albi, & ſi opus ſit cum opio ipſo, aut illinitur pars oleo papauerino & ſimilibus. Ad extremum cum cætera nihil proficiunt neruum tranſuer-

ſum ſecare oportet in parte ſupra puncturam, ſatius enim eſt partis motum perire, quàm hominem mori.

Si à morſu animalis eadem ſunt facienda. Statim ergo admouenda vulneri cucurbitula cum ſcarificatu. Sunt qui podicem galli aut gallinæ parti admouent, cuius roſtrum ſic comprimitur, vt ano illud animal aërem attrahat. Apponitur & ſcabioſa cum vitello oui in cataplaſmatis ſpeciem trita. Cæpa cruda vel coɔ̃ta. Theriac. mithridat. hæc enim duo quadam ſubſtantiæ proprietate foras attrahunt. Intro etiam ſumuntur Theriaca, mithridatium, aq. Theriacal. card. benedict. & ſimilia quæ corroborant, & venenum domant. Si à meningum punctione, vulnere, aut inflammatione ab ictu, vacuato corpore, & miſſo ſanguine, calua terebello aperienda, vt noxius humor tranſpiret, vel capiti raſo Empl. attrahentia imponenda. Conuulſio quæ vulneri ſuperuenit, ſi ex dolore nata, per anodyna tollitur. Si ex inflammatione per refrigerantia & vacuantia. Si fiat ob morſum oris ventriculi à bile æruginoſa, ea bilis vel vomitoriis, vel catharticis expurganda, pòſt eius humoris generatio prohibenda. Si per conſenſum vteri dentur remedia vtero accommodata. Si à vermibus, occidantur, & foras educantur vermes.

ORIS

ORIS TORTVRA.

SPaſmus cynicus ſiue oris conuulſio fit, aut à paralyſi, aut à conuulſione. Cum à conuulſione morbus eſt in ea parte quæ apparet diſtorta. Cum à paralyſi morbus non eſt in parte diſtorta, ſed in oppoſita. Conuulſi enim muſculi ſanam partem ad ſe trahunt: iidem reſoluti à ſana parte trahuntur. His autem ſignis dignoſcitur num paralyſis vel conuulſio materiam huic affectui dederit. Si paralyſis, pars quæ ſana apparet mollis erit laxa frigida & ſtupida. oculus & palpebra eiuſdem partis videntur infra concidere, multa & frequens eſt ſpuitio. Sin conuulſio, pars conuulſa erit & dura & intenſa, gibboſa: Oppoſita verò ſana & naturaliter ſe ſic habet. In hoc affectu non alia remedia, quàm in paralyſi conueniunt, præter errhina, apophlegmatiſmos & gargariſmos. Gargariſmi fiunt ex decocto ſalu. roriſmar. maioran. origan. ſemin. pæon. fœnicul. aniſ. rutæ, fiat decoctio in hydromelite, vel in vino albo, in colatura diſſolue mel anthoſat. Vel fiunt ex ſuccis anagallid. maioran. aq. beton. in quibus diſſolu. mel anthoſat. Apophlegmatiſmorum hæc ſit formula.

℞. rad. pyrethri, piper. alb. ſtaphiſagr. ſinapi, maſtich. ana ℥. j. tere tenuiſſimè, & cum melle anthoſato, fiant trochiſci ſaliuares. Errhina ex ſuccis ſaluiæ, maioran. betæ, anagallid. vino alb. mell. roſat. Vngatur & occiput, &

pars faciei laborans ol. therebinth. baccarum lauri, piperis, irino, lumbricorum, vulpino, hyperici, de caſtoreo. Poſt lana ſuccida in iiſdem oleis inſuccata apponetur. Fit Emplaſtrum ex pice, gummi ammoniac. bdell. ſagap. ad imitationem Emplaſtri ceronei. Applicantur & ceruici, & parti affectæ ſacculi comparati ex herbis digerentibus, ſiccantibus, & calfacientibus, & neruos roborantibus, qui calefiant ſuper tegulam vino irroratam. Admouentur cucurbitulæ primæ & ſecundæ ceruicis vertebræ. Cauterium poſt aures, & in ceruicæ. Et ſi opus ſudores prouocentur decocto guaiacino. Interdum concoquitur humor pituitoſus & concoctus purgetur, vti dictum eſt in conuulſione. Hic notandum eſt, quod ſi oris tortura per ſe contingat citra vllam manifeſtam cauſſam prænunciat paralyſin, & interdum apoplexiam.

PARALYSIS.

Paralyſis ſuccedens Apoplexiæ Iuuenibus interdum curatur, in ſenibus non perfectè, ſæpè in apoplexiam recurrit. Curatur autem victus ratione calfaciente & exſiccante, & ob id pituitæ generationem impediente. Pituitam concoquentibus, digerentibus, attenuantibus, purgantibus, cerebrum & neruos roborantibus. Abſtineat æger à frequenti vſu piſcium, aquæ, & vini. Vinum enim neruis eſt inimi-

inimicum, & auget fluxionem, cuius loco detur *pomaceum*, & in eius penuria hydromel, & aqua ſaccharata. Si tamen æger ventriculum imbecillum habeat, & ſit aſſuetus potui vini, vino vti poterit, ſed oligophoro, & tenui diluto. Sunt qui imperant ſecundarium decoctum Guaiaci. Poſt leuem purgationem, ſi adſit plethora, aliique ſcopi mittendi ſanguinis, ſecetur baſilica, aut vt aliis placet cephalica partis ſanæ, id eſt oppoſitæ. Detrahatur autem ſanguis in parua quantitate ne corpus nimium refrigeretur. Larga enim ſanguinis miſſione languidum paraliticorum calorem extingui contingeret. Eorum enim corpus frigidum eſt & frigidus morbus. Poſt pituita præparanda eſt, id eſt, concoquenda, calfacienda, & attenuanda, incidenda iis radicibus herbis & ſeminibus, quæ dicta ſunt in Epilepſia. Poſt purganda, vti ibidem dictum eſt, & in cephalalgia pituitoſa. His factis vtendum Gargariſmis, maſticatoriis, errhinis, ſternutatoriis, maximè ſi paralyſis ſucceſſit apoplexiæ, aut ſi facta ſit à frigida & humida cerebri intemperie. tunc enim vtile eſt pituitoſum humorem è cerebro educere, qui ad partes affectas affluit, & capita neruorum obſtruit. Quibus factis cerebrum ſiccandum & roborandum, ſacculis, ſuffitibus, cucuphis & ſimilibus dicendis in cura catarrhi frigidi.

Conueniunt etiam poſt vniuerſas purgationes, *conſeru. anthos, chamadr. iua arthrit. ſaluiæ,*

ſtœchad. enul. zinzib. condit. nuc. moſch. condit. Quidam his opiatis miſcent *cerebrum* leporis aſſum, quod ſcribunt proprietate quadam conuenire paralyticis.

Conueniunt ſtuphæ ſiccæ, in quibus æger nudus excipiet vapores per tubulum, qui ab aqua bulliente in lebete efferuntur. Pro vaporario hi ſacculi præſcribuntur.

℞. Saluiæ, beton. ſtœchad. origan. hyſſop. chamemel. melilot. aneth. ana. m. vj. rad. cyperi, calami aromatic. ana. ℥. j. ſeminis fœniculi. ℥. iij. baccarum lauri, & iuniperi. ana. ℥. j. ß. miſce omnia integra pro vaporario. Deterſum corpus in lecto decumbat, & vngantur calidè principia neruorum, qui in paralyticam partem diſtribuuntur. Ipſa etiam pars paralytica oleis digerentibus, & ſiccantibus humorem neruis inbibitum, vt ol. irino, laurino, rutæ, *vulpis, de piperibus, caſtori, ol. philoſophorum* quod vocant de lateribus, & *petroleo:* Horum duobus tribúſve miſce aq. vitæ & pulueres neruis accommodatos, ireos florent. galang. cyperi, trium pipereon. cinamomi, nuc. moſchat. macis, pyrethri, caſtorei, euphorbij. Additur bdellium opopanax, ſagapenum, aſſa fœtida, benioin. & ſuccus chamædrios, arthritic. majoran. & adip. hominis, anatis, anſeris, vaſi, cati. Sic. ℞. ol. irini & rut. ana. quartar. j. ſucc. rut. ſalu. ana. ℥. ij. bulliant ad ſuccorum conſumptionem, adde adipis anſeris taxi lotorum in aq. vitæ, ana. ℥. j. ammoniaci in

ci in aq. vitæ diſſolut. ℥.ß. caſtorei, pyrethri, piperis, ana ℥. ß. cum cera fiat Vnguentum. adde vnctionis tempore parum aq. vitæ. Fit & ad idem hoc Balſamum.

℞. Sampſuch. roriſmar. rutæ, puleg. ſalu. origan. centaur. minor. marrub. ana. M.ij. rad. ireos florent. ariſtoloch. rotund. gentian. baccarũ Lauri, & iuniperi contuſ. ana ℥. ij. ſem. fœnicul. aniſi, rutæ, ana ℥. j. tuſa omnia inſpergantur aq. vitæ. ℔. ß. vini & ol. lumbric. ana ℔. iij. & macerentur horis 24. Poſtridie coquantur dum aq. vitæ, & vinum ſit abſumptum. Dein extrahitur oleum, in quo bdellium, therebinth. ammon. reſin. & ceræ, ana ℥. iij. colliquantur, adde caryophyll. nuc. moſch. cinamom. ana ℥. ß. moſchi, gr. vj. His oleis, linimentis & vnguentis commodè ſuperponitur lana pinguis, pellis agnina, vulpina ſuffumigata & ſinapiſata ex thure, maſtiche, caryophyll. nuc. moſch. cinamom. & ſimilibus: his illinatur pars affecta manè & ſerò.

Hæc dum fiunt decoctum guaiacinum dandum cum cort. eiuſdem, quo tepido manè æger vti debet. Eſt enim illud præſtantiſſimum remedium ad humores frigidos calfaciendos, craſſos attenuandos, humores exſiccandos, & diſſipandos. Poſt eius hauſtum admoue circa partes paralyticas lateres candentes extinctos in vino albo cum pauco aceto, & inuolutos linteo, vt roboretur huius caloris appulſu calor natiuus, qui in paralyticis val-

dè languet. Augetur autem vel minuitur doſis Guaiaci pro ſtatu corporis, & magnitudine, vel paruitate morbi. Secundarium verò guaiaci decoctum in paſtu loco vini dandum, aut eius loco hydromel ſaluiatum, vt ſupra dictum. Interim aluus perpetuo ſeruetur libera. In id ſit syrup. magiſtralis laxatiu. quo æger ſingulis hebdomadis ſemel ad minus capiat. ℥. ij. ß. pro ratione affectus. Exerceatur pars paralytica, & ſingulis matutinis fricetur per lintea aſpera, vt reuocetur calor in partem affectam, & abſorbeatur humor inutilis neruis imbibitus. Tandem vtrique brachio vel occipiti cauteria apponantur ad reuulſionem humoris è cerebro in neruos fluentis: cum neque cerebrum neque ſpinæ medulla ſed neruus tantum læditur. Pars ſola in quam neruus ille inſerebatur paralyſi laborat. Sic palpebræ, ſupercilia, ceruix, lingua, œſophagus, veſica, penis ſenſum & motum amittunt, cum afficitur neruus in eas partes inſinuatus. Paralyſis oculi iiſdem remediis, quibus linguæ paralyſis curatur, niſi quod maſticatoria magis conueniunt, quàm errhina, quia hæc fluxionem ad oculos attrahunt. Reſolutis ſuperciliis, inunguntur ſupercilia, occiput, & prima vertebra Balſamis ſupradictis, inde enim oriuntur nerui, qui ſupercilia mouent.

Linguæ paralyſis ſic curatur: poſt vniuerſales purgationes caput deſiccandum, & roborandum eſt per ſacculos, ſuffitus, & ſimilia di-

cenda

cenda in capite de catarrho. quæ dum fiunt, præſcribantur gargariſmi ſiccantes, calfacientes, digerentes, & pituitam attrahentes è decocto ſaluiæ, maioran. chamæpyth. chamædr. rad. cyperi, ireos florent. ſtœchad. roriſmar. quibus adduntur pyrethrum, cubebæ, & ſimilia in decocto in aq. & vino alb. diſſol. mel. anthoſ. Præſcribuntur etiam Errhina, & apophlegmatiſmi. Affiguntur cucurbitulæ in collo, vel in ſcapulis, eæque ſine ſcarificatione.

Pars capitis anterior & poſterior ceruix & tempora vngantur balſamis ſupradictis, poſt pelle vulpina aut leporina contegantur. Poſtremo cauteria occipiti aut brachio apponantur. Aeger frequenter linguam exerceat, loqui perpetuò nitatur, à vomitu abſtineat, teneatque perpetuo in ore nucem moſchat. garyoph. rad. angel. & ſimilia. Reſoluitur interdum œſophagus, & reſolutus dilatatur, ſicque cibum nequit pellere in ventriculum, maximè potum. Cibum tamen facilius tranſmittit, aliaque ſolida alimenta. Quia leui contractione œſophagi facta facilè detrudebantur in ventriculum, liquida verò non facilè, quia illam non habent conſiſtentiam. Inungantur latera colli vſque ad clauiculas, quia per eas partes, vis medicamentorum facilè penetrat, non verò anterior aut poſterior pars, quia hæc ob vertebras, illa ob aſperare arteriam aditus intercipit. Inungantur oleis

reſiccantibus & adſtringentibus, myrthino, maſtichino, cydon. de piperibus, addantur pulueres nucum cupreſſi, caryophyll. roſarum, maſtiches, ladanum. Hic etiam vt magis calfaciant adduntur flores roriſmar. ſtæchad. & tempore vnctionis parum aceti roſacei ad contractionem & penetrationem. Acetum enim hic conuenit vt partem nimis dilatatam contrahat. Fit & cataplaſma ex rad. Enulæ, fol. beton. ſalu. chamæpyth. lauendul. pulegij, decoctis, piſtatis, & per ſetaceum tranſmiſſis, quibus incorporantur farinæ fabarum, orobi, lolij. Conuenit & Cataplaſm. è nido hirundinum. Additur ſi opus ſit puluis hirundinum, vt in angina, hic tamen adſtringentia modicè, & ſiccantia conueniunt. Fiat gargariſm. Ex calfacientibus ſupradictis & adſtringentibus gallis, nuce cupreſſi, & ſimilibus. Addatur parum aceti roſacei. Maſticet æger cydonia, & ſimilia adſtringentia. Vitet vomitum. Vomitus enim œſophagum magis relaxat. In reſolutione ſphincteris muſculi, qui collum veſicæ conſtringit, conueniunt clyſteres ex decocto ſaluiæ, ſtœchados, beton. origani, chamæmel. melilot. anethi, & ſimilibus. Inungantur ſpina dorſi, regio veſicæ, aſſis ſacri, & perinæi, ſupradictis balſamis, & oleis, Foueatur ſerò, & manè veſicæ regio, & infimus venter, fotu ex rad. petroſel. paſtinac. fœniculi, cyperi, calami aromatici, fol. meliſſ. menthæ,

origani,

origani, camomill. meliloti, anethi, lauri, thymi, ſatureiæ. Fiunt duo ſacculi, qui bulliant in aqua & vino albo pro fotu imi ventris. Iniiciantur etiam per ſyringam oleo & balſama ſupradicta. Eodem modo curatur paralyſis ani & iiſdem remediis, nempe clyſteribus calfacientibus, fotibus adſtringentibus & prætere a ſuffitibus ex thure, maſtiche, & ſimilibus, quorum in prunas coniectorum fumum æger excipiet per cathedram perforatam. Muſculis penis relaxatis fit eiuſdem paralyſis, pro cuius mali ablatione vngantur os ſacrum, oſſa ilium, renes, perinæum, inguina, & inferior pars ventris, vnde oriuntur nerui & muſculi diſtendentes penem vnguentis ſupradictis. Victus ſit euchymus, qui ſemen & flatus generet. Vtatur zingibere condito, myrobalan. condit. conſeru. eryngij, ſatyrion. Abſtineat à mentha, ruta, vrtica, lactuc. & omnibus ſemen minuentibus. In paralyſi manuum vnctiones fiant circa finem ceruicis & principium dorſi, & in aliis quia per eam partem medicamenta citius ad partem affectam penetrant. Si paruus digitus reſoluatur, & media pars annularis topica admouentur cubito. Si crus reſolutum ſit vngantur lumborum vertebræ, & inguina.

TREMOR.

Tremor in Iuuenibus diu perſeuerans paralyſin prænunciat. Cuius cum varia

ſint cauſæ, variat quoque curatio. Hæc tamen communia ſunt omni tremori à qualibet cauſſa ſit contractus. Eſculentis & potulentis miſceatur ſaluia. Eadem decocta in aq. & vino manus abluantur, & eiuſdem folia 4. aut 5. manè ieiuno ventriculo ſumantur. Nocent valdè iterara venæ ſectio, meracius vinum, in cuius vices datur hydromel in quo fol. ſaluiæ ſint incocta. Nocet etiam vſus aceti, venus immodica, potus aquæ frigidæ. Conuenit vſus pillul. de caſtoreo, aſſa fœtid. opopan. benioini, ſagapeno, ſemine rutæ, ſpicæ nardi, cinamom. maſtich. ſarcocoll. myrrh. incorporatis therebinth. Si tremor fiat à pituita, præparetur ea & purgetur, vti ſuperius dictum. Corroboretur & exſiccetur cerebrum, tum topicis dicendis in cura catarrhi, tum opiatis cephalic. ex conſeru. acori, anthos, flor. ſalu. cinere cranij humani, *cerebro leporis aſſo*, rad. & ſeminib. pæon. ſyr. de ſtœchade.

Prouocetur ſudor vſu decocti guaiacini. Illinatur ſpina dorſi hoc oleo aut ſimili.

℞. Stœchad. roriſmarin. lauendul. ſalu. maioran. primul. ver. ana. M. j. baccarum lauri, iuniperi. an. ℥. ß. nucis moſch. zingib. garyophyll. pyrethri, an ʒ. iij. Trita omnia aſpergantur aq. vitæ. ℔. j. Dein affunde ol. lumbricorum ℔. j. ß. bulliant lento igne dum tota aqua ſit abſumpta. Exprimatur oleum, quo tota ſpina illinatur. Si à contactu hydrargyri tremor accidat, ſic

dat, ſic curari poſtulat. Vacuetur corpus, exſiccetur cerebrum, nerui roborentur, & dentur quæ vim maleficam hydrargyri obtundant. qualis eſt opiata facta ex mithridat. Theriaca & conſerua. flor. ſaluiæ, beton. & ſimil. Conueniunt maximè hæ pillulæ.

℞. Aloës ℥. j. caſtor. aſſæ fœtid. ana. ʒ ij. myrrhæ, gentian. benioin. ſtyrac. calamith. ana. ʒ. j. fiat maſſa cum ſyr. ſtœchad. cape ʒ. j. pro doſi hora ſomni, ſemel aut bis in hebdomade

Inſtillet aliquot guttas olei è ſaluia & caſtoreo in aures præcipuè paulò ante ſomnum & iiſdem tempora, ceruix, ſpina dorſi illinetur, & aliis vnguentis & balſamis deſcriptis in paralyſi. His per menſem continuatis, ſi tremor non cedit detur guaiaci decoctum, maximè ſi cerebrum pituita multa & craſſa infarctum ſit. Apponantur cauteria occipiti & brachiis. Ab his balneum aquæ maris, in qua ſaluia, ſtœchas ſicca, betonica incocta fuerint, vtiliſſimum ad ſiccandos & roborandos neruos. In eo balneo tepido æger bis in die deſideat, quamdiu vires facilè ferent, idque citra ſudorum proruptionem. Si lactis vaccini adeſt copia, nihil æquè tremorem ab hydrargyro compeſcit, atque balneum ex eo lacte per interualla repetitum, aut eius recens mulcti, & adhuc calentis ℥. vj. manè poſt vniuerſales purgationes. *Nihil enim*

aque maleſicam hydrargiri qualitatem obtundit at-
que lactis vſus, adeo vt deauratores, qui illud ſum-
pſerunt, vix ab argento viuo offendi poſſunt. Ergo
confert aliquot menſes non niſi lacte veſci
eum, qui valdè tremit, præſertim ſi alia reme-
dia non profuerunt, Si ab inanitione, & ner-
uorum ariditate, nec purgantibus, nec vacuan-
tibus tentanda curatio, ſed humectante victus
ratione, Balneo aquæ tepidæ in quo herbæ
cephalicæ incoxerint. Si à vino vel immodica
Venere, vtriuſque adſit abſtinentia. Si à virium
exſolutione, vt accidit in ſyncope ſtomachi-
ca, non admoueantur calorifica. hæc enim vir
res magis reſoluunt. Sed refrigerantibus po-
tius extra appoſitis pori conſtringendi, vt vi-
res effluentes cohibeantur. Fient & alia quæ
dicentur in ſyncope, Si à ſenio vel hectica in-
temperie, tremor ſenſim inualuit, nullis reme-
diis abigi poteſt.

CATARRHVS.

ANtequam Catarrhi curam aggredia-
mur. Cauſa externa ſi aliqua ſit, tollenda
eſt, dein ad coniunctam veniendum, & ſi
qua inferior pars vt hepar, lien, vterus, Catar-
rhum fouent, primò ei parti medendum, quo
non tentato fruſtra capiti remedia admoue-
rentur. Vt ſi Catarrhus fuerit ab intempe-
rie hepatis, ei intemperiei primùm meden-
dum. Duplex autem eſt Catarrhus, Alter

calidus

calidus, alter frigidus, varia vtriuſque curatio pro varietate cauſſæ. In calida Catarrhi materia tenuíque, victus ſit refrigerans & humectans. Si ab hepate calido & ſicco fiat Catarrhus, cœna & ientaculum imperetur. Inedia enim bilioſis contraria. Vitentur auſter, animi affectus corpus inflammantes, cibi calidi, odoriferi. Conueniunt elixa, carnes coctæ refrigerantibus & humectantibus herbis. Vino abſtinendum. Tenuis autem ille humor incraſſetur ſyrupis ſimul refrigerantibus & humectantibus, vt violar. roſarum, iuiubino, papauerino, nymphææ, diacodio ſine ſpeciebus, qui vel per ſe dantur, vel diluti conueniente decocto.

℞. Syr. roſ. ſiccarum, violar. ana. ℥. j. ſyrup. papauer. ℥. ß. detur ex cochleari. ℥. j. hora ſomni.

Huc pertinet opiata facta ex conſeru. roſar. veter. ℥. vj. elect. diatragacanth. ℥. ij. Boli armeni loti in aq. roſ. ℈. ij. cum ſyrup. roſ. ſiccar. fiat opiata, capiat ad magnitudinem nucis auellanæ hora ſomni, quod tempore fluxiones graues eſſe ſolent. Hæc opiata tenuem catarrhum ſiſtit, acrem temperat. Hic quæritur an Catarrhus ſiſti debeat. Nefas enim eſt noxium humorem in principem partem ſcillicet in caput regeri, & meatus per quos euacuatur, occludi. Quod cùm verum ſit interdum tamen ſiſtendus eſt, cùm ſcilicet metus eſt, ne Catarrhus tenuis & mordax arteriam erodat, & pulmones

vlceret. Adde quod dormire non ſinit. Nec verò volumus præcludere vias, ſed humorem tantum incraſſare, vt facilius excludatur, ne maius malum adferat. Siſtunt ſua adſtrictione bolus armena, maximè ſi fluxio fiat in thoracem, terra ſigillat. olibanum, maſtich. & ſyrupi prædicti. Horum ergo ſyrup. capiat ℥. j. cum gran. ij. maſtiches, aut terræ ſigillatæ. Fiunt etiam ex iis Trochiſci ore continendi ſcillicet ex gummi tragacanth. arabic. ana. ℥. ij. bolo armen. terrá ſigillat. lotorum in aq. roſ. ana. ℥. j. ſem. papau. alb. ſucci liquiritiæ ana. ℥. ß. cum ſyr. iuiubino, fiant Trochiſci lupinares noctu ore tenendi. Fit & opiata ex conſeru. roſar. ℥. j. conſeru. nymph. ℥. ß. boli armen. terræ ſigillat. lot. in aq. roſ. ana. ℥. j. pulu. elect. diatragacanth. frigid. ℈. iiij. cum ſyrup. roſ. ſiccar. fiat Opiata. Interdum ad ſiſtendum catarrhum imperetur gargariſmus, ſi fluxio decumbat in fauces. ℞. aq. plantag. roſar. ana. ℥. iiij. ſyr. roſ. ſicc. ℥. ij. fiat gargariſmus. Bene ſe habet cum illa fluxio decumbit in nares, ideo non eſt ſiſtenda, Si tamen aliquis eam ſibi cohiberi velit, recipiat per nares vaporem aceti in laterem candentem proiecti. His nihil proficientibus neceſſitas vti cogit narcoticis, vt pillul. ex cynogloſſ. quæ tutiùs ore tenentur, quàm intrò ſumuntur. In hoc catarrho venæ ſectio confert, maximè ſi febris ſit adiuncta, ſi adſit periculum anginæ, pleuritidis, peripneumoniæ. quod

niæ. quod intelligitur, ſi æger ſentiat magnum dolorem in gutture cum difficultate degluriendi, lateris dolore, reſpirationis interceptione, vt cum tanta copia fluxionis in fauces irruit, vt ſpuendo æger non ſufficiat, aut ſi hepar ſit calidiſſimum, ſi etiam vrinæ ſint valdè tinctæ, aliaque adſint inflammati ſanguin s ſigna. Iu frigida catarrhi materia victus ſit calfaciens, & ſiccans; vitetur longior ſomnus, quia cerebrum nimis humectat, & maximè à cibo. Aſſæ carnes conueniunt. Cœna ſit parca, aut nulla. Potus mediocris. Sumantur à cibo quæ os ventriculi adſtringendo contrahunt, vt conſeru. roſ. & cydon. Fugienda vàldè calida. Nam caput calfactum cucurbitæ inſtar ex ſubiectis partibus attrahit: Vnde mulieres catarrhos geminant, dum volunt frigidum caput integumentorum multitudine contegere. Ambulatio caput maximè leuat, mane capitis frictio cum pectine & linteo aſpero confert, foras enim vapores euocat, excrementa tergit, partem roborat. Craſſus ille humor catarrhi cauſſa attenuandus eſt ſyrupis & decoctis cephalicis ſuperiùs dictis. Pargandum non eſt initio fluxionis forti cathartico, ne catarrhus prouocetur ac ſopitus adhuc excitetur. Extra paroxiſmum validiora conueniunt. A venæ ſectione abſtinendum ne caput nimis refrigeretur. Verùm ſi tanto impetu fluxio in nares irruat, vt periculum ſit ſuffocationis, tunc venæ

ſectio locum habere poteſt. Interim admouentur cucurbitulæ inter ſcapulas primum leues, dein cum ſcarificatu; In contumaci catarrho repetantur. Caput ſiccetur ſacculis ex ſulphur. milio, ſale, fol. ſalu. betonic. ſtœchad. ſem. fœnicul. aniſ. & ſimilibus. Fiunt ad idem ſuffitus, quibus ſuffiuntur integumenta capitis ex vernice, olibano, pul. roſ. rubr. Fiunt & Errhina & apophlegmatiſmi. Notandum, quòd ſi fluxio fiat in oculos, errhinis non eſſe vtendum, quia illa fluxio maior fiet per foramen commune oculis & naribus. Nec ſi fiat fluxio in fauces, vtendum apophlegmatiſmis, ne in pulmones deducatur illa fluxio. Tandem ad Emplaſtra attrahentia veniendum; capiti raſo apponenda, quæ fiunt ex pice nigra, gummi ammoniac. opopanace, therebinth. puluere ſulphuris, ſinapi, pirethri, piperis, ireos, nuc. moſchat. caryophyllis, & ſimilibus, quæ fiunt ad imitationem *Emplaſtri de meliloto, de muſcilaginibus, de betonica, & diuino*, quorum vis augetur, ſi quid ex prædictis pulueribus cum iis Emplaſtris incorporetur. His ſi fluxio non cedat ad Guaiaci decoctum veniendum. Poſtremo cauteria adhibenda, vel in ſutura coronali, vel in occipite prope ſuturam lambdocidem, vel in exteriore brachij parte, quâ cephalica fertur. Alij paracentheſin in ceruice tentant. Quod ſi fluxio illa decidat in pulmones, tum erit coquenda, educenda, ſyr. glycyrrhiz. hyſſop. capill. vener. Ad idem pillulæ ſublinguales

linguales imperantur, quæ ſi diutius in ore contineantur & ſinantur diſſolui, ſuo lentore illiniunt aſperam arteriam. Quod ſi in ventriculum & œſophagum ſtatim influerent, præſidium nullum adferrent. Ideò paulatim deglutiuntur nobis interdum ſupinis. Hyppoglottidum variæ ſunt formulæ apud Nicolaum vulgatæ. Sunt quæ albæ vocantur, ſigillo quodam notatæ, quæ fiunt ex amylo, puluere ireos, ſaccaro cando diſſoluto in muccagine gummi tragacanthæ extractæ in aq. roſarum. Parari poſſunt ex gummi tragacantho, arabico, penidiis, ſyrupo, aliquo exceptis, ſaccharum candum hyppoglottidis vicem ſupplet; vt & penidia, alphænicum. Quod ſi craſſities eius humoris ſit incidenda, vt faciliùs foras euocetur; Conueniunt ſyrupi, hyſſopi, praſſij, marrubij, elect. diaireos, vel fit looch ex tragacantho, elect. diaireos ſimplic. ſaccharo cando, exceptis ſyrupo bechico.

OCVLORVM.
AFFECTVS.
TARAXIS.

INflammatio oculi, alia leuis eſt, quæ ταραξις, alia magna, quæ ὀφθαλμία, dicitur. Taraxis cum ſit leui rubore, dolore, tumore comi-

tata remedia leuia poſtulat.

Sufficiet ergo collyrium ex aq. roſ. plantag. album. oui, lacte muliebri recenter mulſo, mulieris, inquam, bene habitæ. Cacochymæ enim lac, cum ſit acre dolorem exaſperat. Huius collyrij guttæ aliquot ter, quater, vel quinquies in die, aut etiam ſæpius ſi dolor viget in oculos inſtillantur. Dein oculus panno lineo in dictis aquis immerſo contegitur, contectus strophyllo alligatur, cauendo maximè ne ex compreſſione doleat. Quod ſi æger ſomnum poſſit capere nihil æquè proderit ad concoctionem cauſſæ morbificæ, & concoctæ diſcuſſionem. In primis autem auferatur externa cauſſa, quæ hunc affectum excitauit, ne eundem alat, & foueat, neque maioribus remediis opus eſt.

OPHTHALMIA.

At verò ſi magna ſit inflammatio ſtatim ab initio poſt leuem alui ſubductionem cephalica ſecanda eſt, oculo affecto è directo oppoſita, eiuſque ſectio ſemel iterum, & tertio pro vehementia phlegmones iteranda. Eſt enim repetita ſanguinis miſſio præſtantiſſimum ad intercipiendas tum internarum, tum externarum partium inflammationes remedium. Nec omittenda purgatio, maximè ſi prima aut etiam ſecunda corporis regio vitioſis humoribus ſcateat. Alui enim fluor, vt eſt in aphor. 31. lib. 6.

31. lib. 6. ophthalmiam ſoluit. Si autem ea blanda. Conuenit ergo Caſſia, cathol. infuſ. fol. ſen. Rhei in decocto conueniente. Nocent ſcammoniata & ſimilia. hæc enim ſuo calore, ſuáque ſiccitate & malignitate phlogoſin exaſperant. Poſt vniuerſales purgationes admouendæ cucurbitulæ ſupra collum, humoros, ſcapulas, eæque cum ſcarificatu, vt maior fiat humorem in oculos influentium euacuatio. Topica, quibus toto morbi decurſu vtendum, diſtinguenda pro ophthalmiæ temporibus. Nam initio repellentibus, adſtringentibus vtendum additis anodynis. Adſtringentia fronti, temporibus & locis vicinis non oculo admouenda, ne repercuſſo in interiores oculi partes humore eius perſpirationem impediant & dolorem geminent. Anodyna temperant acrimoniam fluxionis & ſunt hæc, lac muliebre recens è mammis inſtillatum in oculos. Si enim diutius aſſeruaretur facilè corrumperetur & aceſceret. Mucilago ſeminis lini & altheæ extracta in aqu. plantag. album. oui, pulpa pomorum dulc. coctorum ſub cineribus, quib. addi poteſt vitell. oui vnius, lac muliebre, & parum camphoræ. Sunt etiam qui Caſſ. recent. mund. vt præſtantiſſ. anodynum valdè commendent. Repellentia collyria fiunt ex mediocriter non vehementer adſtringentibus. Hæc enim tranſpirationem humoris impediunt. Repellentis & refrigerantis illud fit ὠξάδεγμα.

℞. Mucilag. ſem. cydon. & pſyllij. an. ℥. ß. aq. roſ. ℥. ij. aq. agitationis album. oui ℥. j. camphor. gr. iiij. fiat collyrium frigidum oculo applicandum, frigida enim oculis conueniunt. Interdum his additur pompholyx ſiue tuthia tenuiſſimè trita, ſiccat enim & adſtringit ſine morſu, vtque minùs mordicet, lauatur. Lotione enim ſi quam habet acrimoniam deponit. Adduntur etiam trochiſci albi Rhazis ſine opio, qui fiunt ex gummi tragacanth. arabic. ſolutis in aq. roſarum. Ceruſſa in eadem aq. lota, amylo, & camphora. Quod ſi vrgeat dolor quater aut etiam decies renouanda ſunt in die remedia, recentibúſque muſcilaginibus vtendum, quia vno aut altero die aceſcunt & corrumpuntur. Quod ſi fluxio fiat per partes externas, vtiliter fronti admouentur. Linteola in oxycrato aut oxyrrhodino macerata, vel cataplaſma ex conſeru. roſ. & bolo armen. ſimul incorporatis cum albumine oui, vel ex terra ſigillata, ſanguine draconis, thure, maſtiche, farina fabarum volatili, exceptis oui albumine & aceto. Fit & paruum emplaſtrum temporibus admouendum ex maſtiche, gummi Elemi ana. ℥. ß. opij ℈. ß. Sed in his ſit modus, ne immodico vſu cerebrum refrigerent, & deſtillationes concitent. Si ne ſic quidem fluxio prohibeatur, ſecanda vena temporum etiamſi fluxio fiat per internas capitis partes. Externæ enim venæ cum internis communicant, & cùm ſunt depletæ ab inter-

internis venis ad ſui repletionem ſanguinem attrahunt. In augmento cum repellentibus miſcentur aquæ & muſcilag. digerentes, aq. fænicul. euphraſ. mucilag. ſem. lini, altheæ, fænugræci. Debet autem fænumgræcum, antequam ex eo muſcilago extrahatur excuti per cribrum, vt puluis quo abundat auferatur, dein macerari in aq. tepida. Collyrij digerentis ac repellentis ſit hæc formula.

℞. Muſcilag. ſeminis fœnugræc. & cydon. extract. in aq. roſar. & euphraſ. an. ℥. j. ß. diſſolu. Throchiſcorum alb. Rhaſis ʒ. j. ß. tuthiæ præparatæ. ℥. ß.

Vbi Ophthalmia ſtatum attigit ſola ponuntur digerentia eo tempore cum nihil amplius influat in oculum. Fotus conuenit, qui ſuperfluum humorem in oculo contentum diſcutiat ex decocto chamemel. melilot. ſem. ſænugræc. fol. euphraſ. maioran. beton. in aq. & vino albo. In quo decocto immergitur linteum pro fotu oculi. Si dolor ſit intolerabilis ad narcotica confugiendum, quibus tamen cum religione vtendum, quia congelato viſorio ſpiritu, & incraſſatis tunicis & humoribus oculi viſum hebetant. Supradictis ergo collyriis refrigerantibus adde gr. iiij. v. vj. opij, aut plura, pro quantitate aliorum, & magnitudine doloris. Collyrij narcotici tale ſit paradeigma.

℞. aq. roſ. ℥. j. aq. agitationis album. oui. ℥. ij. trochiſcorum alb. Rhaz. cum opio ſub-

tiliſſimè tritorum, ℥. j. Si ab obio metus ſit admoue cataplaſma è pulpa pomorum cum ſemine papaueris trito.

Errhinorum vſus in Ophthalmia planè vitandus, qui humores è cerebro in partem affectam trahunt. Sed neque maſticatoria, nec gargariſmi in hoc affectu conueniunt. Victus ſit non tenuis vt quidam imperant. (his enim omnibus enflammationibus maximè noxius eſt, quia humores inflammantur) ſed refrigeret & humectet. Vtatur ergo æger alimentis euchymis, elixis potius, quàm aſſis, ſorbitionibus potius, quàm ſolidis cibis, quia mandendo illos oculi magis exagitantur. Vitet acria, ſalſa, piperata. Abſtineat prorſus à vino & pomaceo primario aqua non temperatis, in quorum loco vtatur vel pomaceo ſecundario, vel aq. ſaccharata, ſomnus valdè conuenit, quia per eum oculus quieſcit à motu, adeóque minus dolet, dolore autem & motu fluxio irritatur. Aluus ſit libera. Lippientem enim vt ſcribit Hippocrates alui profluuio corripi, bonum. Vitentur animi pathemata, præcipuè tamen ira. Teneatur interim æger in loco obſcuro. Lux enim humores commouet, ſitque hic locus fumi expers.

EPIPHORA.

Epiphora eſt impetus cuiuſlibet humoris in quamlibet corporis partem: nihilominus

minus aliquando de oculis ſimpliciter intelligitur, definitúrque aquoſi humoris in oculos prolapſus, Lachrymarum ex oculis profluuium Celſus hunc affectum vocat: vulgus Medicorum, lachrymam ſeu delachrymationem. Sunt qui lachrymas inuoluntarias vocant, quia nulla triſtitiæ aut mœroris occaſione fluunt. Quæ fluit autem per oculos lachryma, aliàs planè aquoſa eſt, nullúmque dolorem, ardorem, aut ruborem in palpebris, aut oculis excitat; aliàs acris eſt ſalſa & calida, quæ dolorem, acrimoniam, & mœrorem infert, palpebráſque & canthum maiorem interdum exulcerat. vnde duplex epiphoræ ſpecies conſtituitur, aliàs calida, aliàs frigida. Colligitur ea lachryma non ſolùm in internis, ſed etiam in externis capitis partibus. ſyncipite nempe, & ſummo vertice extra & ſubter caluam. Ex quibus locis per pericranium in adhærentem membranam deſtillat, ac demum foras per oculi angulos vel totum corpus oculi excidit. Colligitur etiam in venis per oculum diſperſis, & vnà cum ſanguine continetur, éſtque ſeroſus humor, qui ſanguinis vehiculum eſt. Ex prædictis autem locis defluit interdum per ſe impetúque ſuo, vt cum copioſior vel colliquefacta, vel irritata vehementiùs. Impulſa verò fluit aut vi cerebri expellentis ea quæ quantitate & qualitate moleſta ſunt, aut vi frigoris internas & externas partes cerebri,

oculíque venas comprimentis, aut caloris æſtus eaſdem rarefacientis ac relaxantis. Sed & ea quæ cerebrum & oculos irritant, vt fumus acris, odor ceparum, alliorum, ſinapi, ſuccus vuæ immaturæ in oculum inſtillatus, puluis, muſca, aut quid aliud in oculum incidens, in oculum lachrymas excutiunt. Gignuntur autem illi aquoſi humores non ſolùm à frigida & humida cerebri, ſed etiam à calida & ſicca iecoris intemperie, à qua multa euaporatio ſurſium in caput fertur, atque ibi in aquam conuertitur, ea ratione, quam in tractatu de Catarrho docuimus; quæ dein viam in oculos affectans, epiphoram facit quod ſi talis aqua in oculos defluxa diutius perſeueret, & in extremitate palpebrarum inſpiſſetur. ita hæc ad inuicem conglutinat, vt non niſi cum difficultate aperiri poſſint. Epiphoræ denique curatio eſt eiuſmodi. Epiphora aliàs eſt calida, aliàs frigida, in vtraque ab oculo affecto lachrymæ emanant. Sed in illa ſcil. frigid. planè aquoſæ, nullum dolorem, ardorem, aut ruborem in palpebris & oculis excitantes, in hac acres, ſalſæ, calidæ, quæ & dolorem & acrimoniam, & ruborem inferunt palpebráſque interdum, & canthum maiorem exulcerant. Sæpiſſimè autem hepatis & ſanguinis calor hanc epiphoræ calidæ cauſam ſuggerit. Calidæ epiphoræ talis ſit curatio. Dentur per interualla cathartica leniendo & refrigerando blandè purgantia. Secetur balſilica, vel mediana, aut etiam cephalica oculo affecto

fecto reſpondens. Emplaſtrum ex gummi Elemi .ʒ. ß. temporibus imponatur.

Calida hepatis intemperies his oppugnetur, quæ poſtea in eius curatione tradituri ſumus.

Habeat æger dein ſuum ſyrup. magiſtralem laxat. ex ℥. iiij. fol. ſen. ʒ. ij. agar. ʒ. j. turbith. ʒ. j. ß. Rhabarb. capiat ſemel in hebdomade. ℥. j. ß. pro ratione operationum.

Poſt paſtum ad roborandum cerebrum, & reprimendos vapores vtatur puluere ex ſem. fœniculi dulc. ʒ. iiij. coriandri præparati. ʒ. ß. raſur. ebor. cornu cerui, margarit. corall. ana ʒ. ß. conſeru. roſ. ſaccar. roſati tabulari. ana. ℥. iij. Oculis collyria refrigerantia, & ſiccantia venaſque conſtringentia ſuperius dicta inſtillentur in oculos, nec concluſi teneantur, ne humores in eis retineantur. Si tamen æger in publicum prodeat, linteum aut nigrum, aut viride aut cæruleum illis apponatur.

At ſi Epiphora frigida ſit & aquoſa, purgabitur æger catharticis, quæ tenues & ſeroſos humores potenter euacuant. Conueniunt pill. coch. aur. de agaric. quibus trochiſci alhandal. aut ſcammon. grana ij. iij. iiij. adduntur, vel fiunt pillul. ij. ex ſcammon. ad grana iiij. vj. viij. x. xij. cum pauco mithridatio. Vel bolus ex caſſia recenter mundata, & diaprun. laxatiu. & conſeru.

roſ. bugloſſ. viol. Affiguntur ceruici & ſcapulis cucurbitulæ. Temporibus emplaſtrum è gummi Elemi, de opio & in concauo, quod eſt in radice auris, ſcilicet in connexione maxillarum. propè auriculam infimam applicetur veſicatorium ex cantharid. & fermento veteri. Veſita rupta Emplaſtrum è pice burgundica imponatur. Corroboretur cerebrum, & exſiccetur ſacculis, ſuffitibus, & ſimilibus. Vitentur errhina, ſternutatoria, quia ea humorum curſum ad oculos conuertunt, hoc argumento, quod ſi fuerint adhibita, lachrymas mouent. Vitentur aër veſpertinus & radij Lunæ, & frigus pedum, & ſimilia, quæ cerebrum refrigerant, & humectant. Applicetur cauterium occipiti, & brachio. Inſtillentur aqu. ſequentes in oculos.

1. ℞. Ouum recens ſub cineribus coctum ad duritiem, corticem detrahe, & medium in duas partes diuide, vitellum aufer, & in eius locum pone vitriol. album calcinatum, id eſt, vſtum ſuper ferrum candens, inuolue filo has duas partes oui, & pone eas in loco humido ſuper tres aut quatuor ramuſculos, deſtillabit in vas ſubiectum, cui miſce aquam roſarum & plantag.

2. Vel hæ duæ oui partes in vitriolo diſſoluantur cum aqu. roſarum, tum exprimantur, expreſſus humor per maiores oculi angulos reſupino corpore in oculum inſtilletur,

letur, quæ aqua valet etiam ad albugines & maculas oculorum, vel ſic fit in rem præſentem.

3. ℞. aqu. plantag. roſ. ana. ℥. ij. aq. fœnicul. euphraſ. ana. ℥. j. alum. vſti. ℈. ij. vitrioli vſti. ʒ. ß. bulliant ſimul addendo ſaccar. cand. pulueriſati, ʒ. j. ß. vbi refrixerit aqua coletur ad vſum. vel ſic:

4. ℞. Album. vnius oui, aq. plantag. ℥. iiij. aqu. roſarum. ℥. ij. vitrioli toſti ʒ. ß. alum. vſti. gran. vj. bulliant parum, defæcata aqua ſeruetur ad vſum.

5. Vel impletur paruus ſacculus lapide calaminari quinquies vſto & toties in aq. roſ. extincto, qui poſt maceratur in aqu. roſ. qua oculi abluuntur. Puluis etiam ipſe immittitur in oculos. Eædem aquæ conueniunt ſi fiat Epiphora ab inciſione carnis, quæ replet magnum oculi angulum, quibus etiam alia quæ cicatricem inducunt addi poſſunt, vt thus, ſarcocolla, & ſimilia.

AVRIVM AFFECTVS

PHLEGMONE.

IN affectibus aurium hæ cautiones ſunt adhibendæ, vt quod iniicitur ſit valdè liquidum, vt Sic fluat liberè, neque ſit durius, aſperius, frigidius, calidius, grauius, & ex alto cadens, nam ſic dolorem exaſperat; ſed id in exigua quantitate inſtilletur, idque tepidum. Nam quæ auribus admouentur calida aut certè tepida, quæ autem oculis admouentur, frigida eſſe oportet, quæ contrarietas contingit ob harum partium naturam, quia auris partibus frigidis conſtat, quarum exiguus calor facilè à frigidis extinguitur. Oculi autem multis muſculis circumdantur, pinguedine neruis, & arteriis abundant, ideò facilius, & minore noxa frigida perferunt. His ita præmiſſis de curatione morborum, qui aures occupant agendum, initio facto à phlegmone, quæ ſpacium auris internum obducit.

Phlegmone aurium cognoſcitur ex febre coniuncta, ex doloris proprietate pungentis & pulſantis. Eius vt & aliarum inflammationum omnium initio ſtatim ſecanda vena eſt cephalica, quæ ſita eſt è directo auris affectæ, præmiſſa prius leuiori purgatione; eiuſque venæ ſectio, ſi opus eſt repetenda, dein bilioſus humor purgandus cholagogis. Vtrumque enim

enim remedium vt ad ſurditatem in febre, ita ad talem affectum facit. Nam vt ait Hippocrates aph. 60. lib. 4. Quibus in febribus aures obſurduerint, liberantur ſanguine è naribus fluente, aut profluuio alui. Poſt repellentia auri ſunt admouenda, quæ tamen non debent eſſe vehementiora, ne humor in nobilem partem ſcilicet in cerebrum repellatur. Conueniunt inter repellentia, album oui cum lacte muliebri conquaſſatum. Ol. roſat. violar. camomill. amygd. dulc. liliorum. Quæ tria poſtrema dolorem leniunt. Aquæ & ſucci roſar. plantag lactuc. mucilagin. ſem. pſyllij, cydon. Additur acetum, quia pars cum ſit denſa, non offenditur facilè ab aceti acrimonia. Repellentium hæ ſunt formulæ.

℞. ol. roſat. nymph. ana. ℥. j. ß. aquæ deſtill. roſ. & plantag. ana. ℥. ß. lactis muliebris. ℥. j. mucilag. ſem. pſyllij & cydon. extract. in aq. roſ. ana. ʒ. vj. Iniice in aures guttulas aliquot huiuſce liquoris tepentis, & circum aures lintea in eo liquore macerata appone. Alia.

℞. ol. roſ. ℥. iiij. aceti. ℥. j. bulliant ſimul ad aceti conſumptionem, tepidè auri inſtillentur. Cum his oleis refrigerantibus adduntur olea relaxantia ad dolorem compeſcendum, mitigandum.

℞. Ol. viol. ℥. ij. camomill. & amygdal. dulc. an. ℥ j. ol. liliorum. ℥. ß. inſtilla in aurem guttatim cum bombace, quo dein obturetur auris.

Ouum crudum cum lacte mulieris ſubactum repellit, & dolorem lenit. Fit & ad eundem vſum cataplaſm. ex oui albo, & vitello fortiter agitatis, addito ol. camomill. Rondel. decoquit in ol. roſ. & viol. & amygdal. dulcium aſellos & cochleas. huius olei guttas aliquot in aures inſtillat. Hæc enim animalia, vt notauit Dioſcorid. capite trigeſimoquarto, libri ſecundi, aurium doloribus medentur. Excipitur etiam per infundibulum vapor huius decoctionis. ℞. Viol. plantag. ſolan. lactuc. ana. M.j. florum violſ. nymph. ana. p.j. coque in aq. & aceto: vel decoquantur remollientia in lacte, rad. maluæ, biſmaluæ, liliorum, fol. malu. parietar. camomill. melilot. ſem. lini: huius lactis vapor accipiatur ab auribus. Vel fiant ſacculi ex iidem radicibus, herbis, ſeminibus, addito ſem. fœnugræc. qui in lacte coquantur, & expreſſi alternatim auri dolenti tepidè admoueantur. Hic enim præterquam quod leniunt dolorem, & digeſtionem etiam humoris phlegmonem committentis promouent, quam ſi non aſſequantur eum humorem in pus conuertunt. Ad idem fiunt Cataplaſmata remollientia, & ſuppurantia, ex materia decocti ſupradicti remollientium tuſis omnibus in mortario, deinde cribratis, quibus adduntur olea liliorum, vel amygdalarum dulcium. Butyrum inſulſum, mucilag. ſem. pſyllij, lini, althææ,

thææ, fœnugræci extract. in aq. biſmaluæ, adipes gallinæ recentes, & inſulſi. Hocce Cataplaſma toti auri dolenti tepidum admouetur extenſum ſuper ſtuphas cannabinas. Doloris tamen atrocitas, narcoticis interdum vti cogit, in quorum vſu cauendum ne ſurditas conſequatur, propter auris membranam immodicè refrigeratam. Ad id vſurpatur oleum papaueris, nymph. hyoſcyam. mandragor. & opium in his oleis ſolutum. ℞. ol. papauerini. ℥.ß. camphor. opij. ana. gran. ij. tere & cum ol. miſce.

Ad promouendam ſuppurationem præter ſupradicta fit cataplaſma ex rad. althææ, liliorum, ſem. lini, fol. malu. biſmaluæ, caricis pinguibus. ol. lilior. adip. ſuill. & anatis. vel decoquatur cæpe in aqua, dein cum butyro recenti teritur. Egregiè maturat, & dolorem ſedat. Cotto etiam baſilico madefactus, vel diachylo diſſoluto in oleo chamemeli in aurem inditur. Hic nota quod ad pus mouendum in aure non oportet vti valdè humidis, vt in aliarum partium abſceſſibus, quia conſeruanda eſt auris temperies, quæ eſt frigida & ſicca. Itaque addenda ſunt aliqua ſicca, vel certè vtendum eſt minimè humectantibus. Pus verò factum per membranam auditus rarefactam aut eroſam erumpit: Quod cum accidit in ægram aurem debet decumbere, vt foras pus exeat. Infundenda verò in aurem ſunt,

quæ detergent abſque morſu, & quæ putredinem inhibent, qualia ſunt hæc. Decoctum hordei, fol. apij, agrimon. abſinth. lupinorum & Centaurij. Succus etiam prædict. herbarum, ſaniculæ, plantag. burſæ paſtoris.

℞. decocti hordei ℥. iiij. mellis deſpumati. ℥. j. ſæpe inde in aurem per Clyſterem auricularem. Vel,

℞. fol. apij, agrimon. abſinth. contuſ. ſucci ℔. j. diſſol. mel. roſat. ℥. iiij. Quod ſi ſimul fœtor adſit, adde aloës, myrrhæ, ana. ℥. ß. inſtilletur bis in die. Balſama quæ præſcribuntur ad vulnera recentia, his conueniunt. Ol. myrrhæ ad idem commendatur, quia nullo ardore, nulla noxa terget putredinem, inhibet & exſiccat vlcus. Olea quæ vulgò parantur in officinis his non conueniunt, quia vlceribus ſunt inimica. Si tamen valdè acria medicamenta inſtillentur, eorum acrimonia & morſus obtundi debet oleo. Sed neque acetum ponendum, qui vlcera irritat. Interim blandè quotidie aures linteolo auriculario ſpecillo alligato purgentur, ne ſordes in meatum, aurium mora obdurentur, vnde fieret ſurditas. Extrinſecus apponitur Cataplaſma reſiccans, ex farina fabarum, hordei, orobi coctis, in oxymelite. Quod ſi pus meatum auris exulcerauerit, vlcus illud fortiter ſiccantibus curandum eſt, & cicatrice obducendum. Quia auris conſtat cute, cartilagine membranoſa, ſubſtantia neruoſa, oſſe, quæ partes valdè

ſiccæ ſunt. Cum ergo temperies auris naturaliter ſicca ſit, eam natiuam temperiem exſiccantes cuſtodire debemus. Nam corpori naturaliter ſicco ad humidam intemperiem lapſo, ſicciora competunt, quàm naturaliter humido, in eandem intemperiem lapſo.

Ad cicatricem auris vlceri inducendam Gal. 9. ſimpl. ſcoriam ferri valdè commandat bene præparatam. Sic autem præparat. Primum in mortario terit, deinde ex aceto lauat, poſt ſiccat ſuper laterem calidum, vel in Sole feruente vel in furno. Siccam aceto rurſus imbuit, ſiccat vt priùs idque ſepties repetit. Pòſt in tenuiſſimum puluerem redigit, coquitque longa coctione ex aceto acerrimo dum habeat mellis craſſitiem, & ita ſiccat ad vſum. Sunt qui ſcoriam ferri in aceto quadruplo coquunt dum acetum ſit prorſus abſumptum, aut ſi æſtas ſit, Soli exponunt, dum acetum exhalet, pòſt terunt, & tritum miſcent melli cum oleo myrrhæ, aut oleo centaurij, & in aurem inſtillant. Ad huius etiam vlceris exſiccationem ſit ſuffitus ex thure, maſtiche, myrrha, ſarcocolla, exceptis therebinthina, & redactis in trochiſcos, qui ponuntur ſupra carbones. Fumus per infundibulum in aures recipitur. Interdum in eo vlcere niſi probè curetur, vt & in aliis omnibus vlceribus innaſcitur caro quæ auditum tollit. Interdum etiam ex pure ibi con-

cluſo generantur vermes; quod cum accidit, inſtillentur auribus amara, quæ vermes necant, vt ol. fol. perſic. amygdal. armar. ana. ℨ. j. Succi apij, centaur. min. ana. ℨ. ij. aceti. ℨ. ij. coque ſimul. deinde adde myrrhæ, aloës, ana. ℈. j. Ad idem etiam valet decoctum ex fol. perſicorum, abſinthij, tanaceti, matricariæ, lupinorum, praſſij, agarici, colocyntid. Noui qui hoc pro ſecreto habent ad necandos aurium vermes.

℞. Vini. ℨ. ij. mellis. ℨ. iij. ol. roſat. ℥. ß. miſce cum albo duorum ouorum, & cotto iis imbibatur, & ex eo auris in modum Emplaſtri obducatur.

TINNITVS.

AVRIVM ſonitus, qui nulla intermiſſione, & vno tantum modo fatigat ſenſum exortus, & grauitatem partis comitem habens, Fit à craſſo viſcido, & pituitoſo humore internas auris partes imbuente. Ad eius curationem eadem facienda ſunt, quæ dicta ſunt, in cura cephalalgiæ frigidæ, & catarrhi frigidi & humidi, quæ dum fiunt partis affectæ ratio habenda. Foueatur ergò auris paruis ſacculis comparatis ex fol. betton. origani, rutæ, ſaluiæ, maioran. ſeminis aniſi, fœniculi, cumini, baccarum lauri, iuniperi, rad. ireos, calami aromat. Fiat decoctio in aq. & vino rubro vel potius albo. Expreſſi

preſſi ſacculi repentes alternatim auri admouentur. vel ſpongia eo decocto imbuta & expreſſa extrinſecus toti auri circumdatur. Poſt fotum immittuntur guttæ aliquot lituum & balſamorum ſequentium.

℞. ol. amygd. amar. ℥. j. ol. rutæ, ℥. ß. aq. vitæ. ʒ. iij.

℞. aq. vitæ. ℥. iiij. ſucci cæpe. ℥. ß. caſtor. ʒ. j. Theriac. veter. ʒ. ß. miſce agitando in phiala.

℞. Piperis, garyophyll. ana. ʒ. ß. caſtor. ℈. ij. Infunde in ſucci cæpe. ℥. iiij. ſuper cineres calidos, dein exprimatur liquor.

℞. ſaluiæ ſicc. beton. ſtœchad. origani, rutæ, thymi, pulegij, lauendulæ, anethi. ana. p. j. nuc. moſch. garyophyll. ana. ʒ. j. aq. vitæ. ℥. vj. ol. rutæ. ℔. j. ſimul bulliant in phiala ad aquæ conſumptionem, dein extrahatur oleum, cui adde moſchi, grana vj.

Sunt qui cæpam excauant, & in eius cauum oleum rutæ immittunt, idque ante ignem ferueſaciunt. Dein oleum è cæpa exprimunt. Horum oleorum guttæ aliquot in aures manè & veſperi inſtillentur, dein bombace obturentur.

Si prouenit Tinnitus aurium à vaporibus melancholicis excitatis ab attrabilariis humoribus contentis in prima regione, Eadem remedia conueniunt quæ in cura melanchol. hypochondr. dicentur. Si enim à ſola partium imbecillitate, vt iis accidit, qui è morbo

conualeſcunt, nulla cura eſt adhibenda. Reparatis enim viribus, & reparato innato calore iſtud ſymptωma conquieſcit. Sin à clamore & ſubtiliore, puriore quàm decet auditus ſenſu, id eſt, à nimia ſubtilitate & puritate tum auditorij ſpiritus, tum aëris congeniti, tum membranæ auditus, & nerui auditorij in eam membranam diffuſi, ob quas cauſas ſpiritus animales ſe multum aſque vllo ſono exagitant, quod cognoſcitur ex aliorum ſenſuum integritate exquiſita vel minimi ſoni perceptione, temperie totius corporis calida, & quod, hyeme ac aëre humido minus hoc ſymptωma fatigat, quam calido aëris ſtatu & æſtate. Nullam curationem poſtulat, quamuis in tali cauſſa, quidam inſtillent in aures guttas aliquot olei violati, cui miſcent ſuccos ſolani, lactucæ, hyoſcyami, mucilag. ſem. pſyllij, & vinum rubrum, coquantur ad vini conſumptionem.

SVRDITAS.

SVrditas genita à craſſis & pituitoſis humoribus internam auris partem occupantibus immedicabilis eſt, ſi ſit inueterata. Inueterata dicitur quæ exceſſit duos annos, tam longo enim tempore imbibitus in illis partibus humor, ita induruit, vt vix, immò nunquam poſſit emolliri & diſcuti. Immedicabilis etiam eſt quæ fit ſcyrrho aut tuberculo mea-

meatum auris abturante, & quæ vlceribus auris malè curatis ſuccedit. Huic ſymptomati vt proſpiciatur, habenda eſt ratio totius corporis, dein partis affectæ. Purgetur pituitoſus humor catharticis propriis, caput roboretur & ſiccetur. Sternutatoria, & Errhina, imperentur. Veſicatorium in radice aurium, cauterium occipiti vel brachio apponatur, fiantque alia dicta in cura cephalalgiæ pituitoſæ. Interim illinatur radix auris & ceruix hora ſomni his linimentis, & balſamis, de quibus guttæ aliquot in aures tepidè inſtillentur, aure tamen diligenter prius repurgata. Id enim in affectibus internis aurium ſemper obſeruandum eſt, ne noua medicamenta inſtillentur, antequam meatus aurium ſit deterſus.

℞. Axungiæ vulpis, & human. ana. ℥.iij. lauentur in aqua vitæ, dein adde olei è ſaluia arte chymica extracti. ℥.ß. His etiam conuenit oleum rutæ, quod in cæpa excauata bullierit, aut olea excalfacentia & digerentia, in quibus baccæ, & fol. lauri, ſemina, & fol. rutæ & fraxini, colocynth. & ſimilia bullierint, additâ aqua vitæ & balſam. quorum formulas in tinnitu aurium dedimus. Sunt qui ſuffitus, & vaporationes oleis præferant, quia olea in aurem coniecta ſæpè corrumpuntur.

Fiunt ſuffitus ex nigella, benioino, ſtyrace calamitha, caſtoreo, exceptis mucilag. gummi tragacanth. coquuntur in vino baccæ lauri, iuniperi, ſemina cumini, rutæ, fol. ſaluiæ, ori-

gani, pulegij, calam. & ſimilia. Vapor aure affecta excipitur per infundibulum. Interim decocto Guaiacino ſudores promouendi, & humor ille ſi fieri poſſit, colliquandus.

℞. Rad. ſalſæparill. ℥.ij. raſ.ligni Sancti.℥.iiij. Infunde horis 12. in ℔. vj. aquæ tepidæ. Dein fiat decoctio ad ℔. iiij. capiat ℥. vj. pro doſi, hauſta verò potione calidè apponatur capiti & auri ſacculus comparatus ex fol. ſalu. origan. maioran. ſeminibus aniſi, lini, fœniculi, cumini, baccis lauri, iuniperi, milio, furfure, auena in ſartagine torrefactis, vt humor frigidus & craſſus, ſurditatis cauſſa, incaleſcat & colliquetur, ac colliquatus per ſudores digeratur. Continuet per 15. dies vſum huius decocti, ita tamen vt quarto quoque die purgetur, quo die abſtinebit ab eius vſu, & interim vtatur in paſtu loco vini hoc potu.

℞. Salſæparill. ℥. ij. macera horis 12. in ℔. viij. aquæ, deinde fiat decoctio ad ℔. vj.

Si à tonitru bombardarum vel à repentino ſtrepitu facta ſit ſurditas, proſunt vox leuis tarda, exigua aut muſica. Si ab obſtructione meatus auris, fient proximè dicenda.

OBSTRV-

OBSTRVCTIO MEATVS AVDITORII.

OBſtruitur meatus aurium à caruncula ibi, aut per ſe, aut ab vlcere genita, à pure, ſanie, à fabis, piſis, & nucleis ceraſorum, vnde dolores grauiſſimi oriuntur, qui febrem, inflammationem, & ſurditatem accerſunt. cùm caruncula, ſi ea filo comprehendi poſſit facillima erit, & tutiſſima curatio. Nam cum filo excidet. Dein ſiccante aut exedente remedio, quod ſupereſt breui eximitur.

℞. Tuthiæ præparatæ, alum. vitrioli vſti, ana. ℈. j. mell. roſ. q. ſ. Si viride æris miſceatur validius erit remedium, ſed ponetur ea quantitate quæ non mordeat.

Si à pure aut ſanie, detergeantur eæ ſordes ſpecillo auriculario, & iniectionibus detergentibus, decocto hordei, fol. apij, agrimon. abſinth. Diſſoluitur mel. deſpum. ſyr. de abſynth. Si à fabis aut piſis in aures illapſis, ibique humore in auribus retento repletis, cum impoſſibile ſit iſta lugumina ita madefacta integra educere decidantur inſtrumento cheirurgico, vt particulatim facilius extrahantur. Deinde excludantur hac arte vt calculi aut lapilli. Specillum lana inuoluitur

in extrema ſui parte. Dein immergitur in Therebinthinam, aut in aliquod aliud viſcidum, poſt immittitur in aurem vt agglutinet id quod obſtruit. Idem fit ex candela cerea extrema ſui parte viſco inducta. Quod ſi aliquid viſci aut glutinis poſt extractum lapillum intus inhæſerit, id ſpecillo auriculario extrahendum. Sunt qui calamum aperiunt, in extremis eius partibus, vnam eius partem in aurem immittunt, alteram ore comprehendunt, vt inde frequenti ſuctu, quod intus conditum eſt attrahant. Si hæc nihil proficiant tuſſis & ſternutatio promoueatur, & dum ea erumpet nares digitis & os occluduntur, vt valido aëris exitum quærentis impetu, & violenta totius corporis concuſſione, quod in meatu auris latet excludatur. Quod vt faciliùs effluat, guttæ quædam ol. amygdall. dulc. aut liliorum in aurem infunduntur. Prodeſt etiam celerrimè inclinata aure affecta gradus aſcendere & deſcendere altero tantum pede, eo ſcilicet qui auri affectæ reſpondet. Si animalcula in aurem ingrediantur, vt culices, pulices, formicæ, muſcæ, & illud animalculum, quod auricularia vocatur (gall. *Perçaureille*) vel foras attrahatur pulpa pomi dulcis extrinſecus auri appoſita. Ad eum enim ſugendum cum accedant facilè euocentur, & necabuntur iniecto in meatum auris oleo vel aceto.

PARO-

PAROTIS.

TRiplex eſt Parotidis ratio. Aliquando enim ſine vlla febre in excrementitiis humoribus naturæ robore pone aures depulſis, aliquando cum febre aut ſimplici, aut maligna, & rurſus bifariam, aut ſymptomaticè, cum ſcilicet nullis antegreſſis coctionis ſignis extuberat, aut citricè, vt apparet concocto morbo, & cum ægri alliuatione, & febris remiſſione. Melius autem ac tutius parotidem criticam ſuppurari, quam euaneſcere. Si enim euaneſcat citra ſuppurationem expectanda aut recidiua, aut mors, niſi alui fluor, aut inſignis aliqua excretio conſequatur. Si parotis mitis ſit nulla febre aut dolore comitata, ſufficit eam lenire ol. liliorum, camemel. amygdal. dulc. butyr. recenti, addito croco & ſuperponere lanam ſuccidam iiſdem oleis imbutam. Si verò dolorem atrociſſimum, & caloris ſenſum excitat, poſt leuem alui deiectionem detrahetur ſanguis è baſilica eiuſdem lateris: deinde apponentur quæ dolorem leniunt. Medulla panis in lacte vaccino infuſi cum vitell. vnius oui, ol. roſat. liliorum, flor. camomill. melilot. croco. Fit & litus ex butyro recenti, ol. camomill. liliorum, vnguento de althæa. In maxima inflammatione mucilago ſemin. pſyllij addi poteſt. Fit & Cataplaſma ex farina hord. & ſem. lini coctis in hydræleo. Dolore ſedato admouenda ſunt fomenta, &

Cataplaſmata remollientia & reſoluentia ex rad. altheæ, liliorum, ſem. lini, fœnugræc. fol. malu. biſmalu. parietar. coctis, cribratis & cremtis, quibus additur axungia porci, butyrum, & ol. camomil. Irinum, vel ſi placet magis diſcutere farinæ fœnugræci, orobi, pulu. ireos, camomill. melilot. anethi, & rutæ. Vix quiſquam credat, niſi experientia fidem faceret, quantas vires habeat argentum viuum (quod frigidum & humidum eſſe volunt) ad tumores aurium, & alios quoſlibet reſoluendos, diſcutiendos. Id ergò in dictis Cataplaſm. tutò miſceri poteſt. Neque enim humorem parotidis cauſſam intro repellet, ſed per inſenſibilem tranſpirationem diſcutiet. Quod ſi horum vſu digeri non poterit, veniendum ad ſuppurantia, quapilia ſunt hæc acetoſa cocta ſub cineribus & piſta cum butyro, rad. conſolid. maior. cocta quoque ſub cineribus & trita cum adipe ſuillo. Cataplaſm. ex rad. altheæ, lilior, ſem. lini, caric. pingu. fol. malu. pariet. additis, fol. hyoſciam. ſi tumor ſit ardore & dolore concitatus, coctis per cribrum ſecretis, & cum butyro, axung. porci, & ol. communi miſtis. Poſt miſcetur etiam farina frumenti, vnguentum baſilicon. Verum non debemus perfectam exſpectare ſuppurationem, ne pus diutius intro remanens aliquod vas inſigne erodat. Itaque vbi vel leue ſuppurationis argumentum ſe proferet, rumpatur abſceſſus impoſitæ porci axungia, quod ſufficiet ſi cutis ſit mollis

mollis, & tenuis, vel ſi data & craſſa aperiatur ſcalpello aut cauterio potentiali, in ea parte quæ eſt mollior aut decliuior. Hanc vomicæ antequam perfectè humor ſuppurarit apertionem hæc commoda conſequuntur. Ventilatur pars, dolor mitigatur, ſanie indeſinenter influente, & natura per vim arte factam humorem parotidis cauſſam expurgat. Vlcus factum detergebitur, deterſum carne & cicatrice obducetur quæ omnia ad cheirurgiam potius, quam ad Medicum pertinent. Quod ſi Parotis non ſuppuret, ſed indureſcat, remolliatur, & remollita digeratur Emplaſtro de meliloto, mucilag. & diachyl. oxycroceo, quibus addetur buccinarum aut purpurarum vſtarum cinis, & gummi ammoniacum, ſagapenum, opopanax, bdellium, vel adipe veteri ſuis liquatus, aut melle cui additur puluis oſtrearum vſtarum. Ad idem maximas vires habet Vnguentum Enulatum cum Mercurium, & Emplaſtrum de Vigo cum Mercurio.

NARIVM AFFECTVS.

ÆGILOPS.

INter maiorem oculi angulum, & naſi radicem, id eſt, ſuperiorem partem oculi interdum praua phlegmone, rubore & dolore ſummo cruciatu excitatur, quæ fit à

tenui, & bilioſo ſanguine è venis frontis & faciei in id ſpacium, quod eſt inter cutem & os, effuſo. Hæc phlegmone, quæ Medicis Aegilops dicitur, difficillimè curatur, idque tribus de cauſsis. Prima eſt natura ipſius partis affectæ, quæ ex tenuibus & exanguibus partibus compoſita eſt, & ideo ob inopiam caloris nequit concoquere humores excrementitios ad eam influentes. Accedit quod os proximè eis ſubiacens exile eſt molle & rarum, ideóque facilè corrumpitur ab excrementis ſeu pure, vnde vlcus terminatur in fiſtulam. Secunda eſt oculi partis mollis, delicatæ, & exquiſito ſenſu præditæ vicinitas, quæ facillimè læditur conſortij lege, tum à pure affluente, tum ab acribus medicamentis in vlcus iniectis. Vix enim fieri poteſt, quin aliquid ex his confluat ad oculos. Tertia eſt modus, quo adhibenda ſunt topica. Nam ſi fluida fuerint facilè in oculum incident. Sin cataplaſmatis aut litus formam habuerint, hærere nequeunt, niſi ligatura totum oculum complectatur, aut æger eam diu ferre nequit, quibus de cauſsis tumor ille facilè in vlcus cacoëthes degenerat.

Cum ergo Aegilops inflammatio ſit, ipſo ſtatim initio topicis repellentibus, id eſt refrigerantibus, & adſtringentibus fluxio cohibenda, & tumor influens alio protrudendus, parſque ſua natura mollis & laxa firmanda eſt & roboranda. Illinatur ergo tumor ol. roſ. myrtill.

till. lotis in aceto, oxyrrhod. vnguento populeo: litu ex bolo armen. ſang. drac. cum albo vnius oui, & aceti tantillo. Album etiam oui cum aqu. roſ. & plantag. miſtum imponitur ex complicato linteo. Imponitur enim fronti & temporibus Emplaſtrum adſtringens ad fluxionis vias intercipiendas, ídque arte alligatum vt eſt, id quod fit ex Emplaſtro contra rupturam & deſiccat. rubr. ana. ℥. j. maſtiche. ℥. ß. miſtis cum tantillo olei myrtillorum. His adſtringentibus interdum quid opij additur. Hæc topica refrigerantia ſi primo & altero die adhibeantur, id quod influxit diſſipant, & incipientem phlegmonem auertunt, maximè ſi ſecta fuerit cephalica, è directo partis affectæ ſita, fuerítque eiuſdem venæ ſectio iterata, dum plethoræ ſit ſatisfactum, ne omiſſæ fuerint purgationes accommodatæ, ſi corpus vitioſis humoribus abundet. Si nihilominus tumor ille perſeuerat extincto ardore, & cohibita fluxione remolliri & digeri poſtulat iis, quæ citra morſum & acrimoniam diſcutiunt. Acria enim oculo nocent, & inflammationem exaſperant. Foueatur ergò tumor calidè mane & veſperi ſacculis conflatis ex ſem. lini, fœnugræc. rad. altheæ, fol. malu. violar. parietar. camomill. & ſimil. A fotu pars illinatur mucag. ſem. fœnugræc. extract. in aq. camomill. poſt apponatur Emplaſtrum diuinum, ceroneum, diapalm. de Vigo cum Mercurio, thus tritum pice liquida exceptum in Emplaſtri for-

mam imponi poteſt. Quod ſi prædictis tumor non reſoluitur, & dolor perſeuerat, certum eſt ſuppurationis futuræ argumentum. Pus ergo procurandum appoſito extrinſecus vnguento baſilico, & ſimilibus. Neque tamen perfecta ſuppuratio expectanda ne pus diutius retentum ſinum faciat, in quo conſeruetur, vnde ad os ſubiacens penetraret, illúdque corrumperet, & læſa cute viam ſibi faceret, vel in nares proximas, vel in oculum ex quo exeſa carne glandulosa, quæ foramen illud operit, quod eſt in maiore cantho, in malas excideret, facerétque fiſtulam vulgò lachrymalem dictam, in qua per maiorem oculi angulum lachrymæ pus, aliæque ſordes indeſinenter defluunt. Ergo anteuertenda eſt turberculi apertio vel ſcalpello, vel cauterio potentiali impoſito, ſi ſponte non aperiatur. Vlcus vel arte vel ſponte apertum, detergendum eſt, iniecto in illud melle roſato, hydromelite mundificatorio. Supponitur Emplaſtrum diacalcitheos, alumen ſciſſile ſeu plumaceum leuiſſimè tritum, & modica therebinthina exceptum egregiè & tutò deterget, incarnat, & cicatricem obducit. Ex eo ergo aliquid in vlceris cauum indatur, & extrinſecus paruum ſplenium ex eo imponitur. Vitrum etiam leuiſſimè tritum carne iam naſcente conuenit, quod continuandum dum abſoluta fuerit curatio. Quod ſi vlcus ſit inueteratum, ruſúſque
cum

cum cicatrice fuerit obductum rumpatur, certum eſt & cariem contraxiſſe, ideóque dilatandum vlcus vt detergatur & vitium in eo contentum extirpetur. Ad ampliandum vlcus penicillo ſpongia intromittatur vlcere vaſatis ac ſatis dilatato, deſiccandum eſt os validis, adſtringentibus & deſiccantibus: puluere aloës, cretæ vſtæ, pompholig. ireos florent. ariſtoloch. ceruſ. oſtreorum vſtorum vel ſolo, vel miſto cum melle, aut cum aqu. vitæ. His fortiores ſunt puluis plumbi, antimonij, vitrioli calcinati, alum. vſti, Mercurij, miſtis cum melle roſato, cum mundificatorio, cum ægyptiaco. Ante quorum puluerum admotionem vlcus lauetur lixiuio facto ex cinere oſtreorum, concharum, teſtudinum, & ſimilium. His ſi non tollatur oſſis caries ea abrodenda & ruginanda inſtrumento quodam cheirurgico vel cauterio potentiali, vel actuali, quod quidam proferunt, quod vna & eadem opera vlcus aperit & oſſis vitium exſtirpat oculo interdum recreato ſpongia in aquam immerſa. Poſt procurandus caſus eſchatæ cum pauco butyro recenti, qua delapſa vlcus tergebitur, & carne ac cicatrice obducetur validis adſtringentibus & exſiccantibus ſupradictis, alumine ſciſſili, vitro & ſimilibus. Abſtinendum à pinguibus, quia mollem, & fungoſam carnem producunt, recidiuæ cauſſam.

Fiunt & interdum in hac parte vlcera cancroſa, quæ non niſi vſta parte & maximè venis & arteriis ad viuum & penitus aduſtis curantur. Sic enim tutiſſima fit curatio ſine recidiuæ metu, quia his vaſis vſtis non fit amplius noua defluxio.

Eſt verò alius Aegylops longè ab hoc diuerſus, qui non fit à tenui, & bilioſo ſanguine, ſed à lento humore & pulti ſimili, qui humor plerunque propria cyſti concluditur: ideóque nullo rubore & ardore eſt comitatus, & ſenſim citra dolorem augetur. Curatur autem chirurgia hac ratione, diſſecatur & aperitur ille tumor vel ſcalpello vel cauterio potentiali, & tunica humorem continens eximitur. Poſt cuius ſublationem vt ſecura fiat curatio nec redeat affectus cauterio ignito eſchara inuritur, qua delapſa imponitur alumen tritum, & Therebinthina exceptum vſque ad perfectam ſanationem.

POLYPVS.

CVm Polypus ſit inutilis caro ſui detractionem indicat, detrahitur autem cheirurgicis inſtrumentis, aut medicamentis fortiter adſtringentibus, ſiccantibus, & diſcutientibus. Cum enim fiat ex craſſo & flatulento humore, his opus habent, & tandem exedentibus. Antequam tamen ad eius detractionem & exceſionem accedas, conſidera diligenter,

num

num id tutò fieri poſſit. Sunt enim quidam Polypi maligni, qui ferro & validioribus medicamentis irritantur, & in cancros tranſeunt. Noſcuntur autem quod duri ſunt, liuidi, doloroſi. Si ergo cum tactu irritantur, non ſunt attingendi, ſed eis blandiendum admotis topicis, quæ eorum malitiam domant, qualia ſunt ol. vitell. ouorum. Litus ex Tuthia præparata, ſucco ſolani plantag. tritis diligenter in mortario & piſtillo plumbeis & ſimilibus, quæ cancris conueniunt. Qui verò maligni non ſunt, initio curari poſtulant fortiter adſtringentibus & ſiccantibus citra tamen vllum morſum. Galenus ad id valdè commendat medicamentum compoſitum ex tribus generibus malorum punicorum, id eſt acidis, auſteris, ac mediis, hoc modo confectum. Accipiatur tria mala granata matura ac recentia, terantur ſimul in mortario. Dein ſuccus ex his exprimatur, qui coquatur in linimenti formam, penna vel ſpecillum lana vel linteo involutum eo ſucco imbuatur pro litu polypi. Id remedium tutò, iucundè, & citra morſum ſiccat, id eſt adſtringit, & exerementitium humorem abſumit. Vel abluitur Polypus aqua deſtillata ex vuis immaturis, cortice mali granati & balauſtiorum in aceto maceratorum alumine, & vitriolo, Quia verò copioſus humor à naribus defluens vim medicamentorum imminuit, ideò ſæpius eæ aquæ iniici debent. Si his malum non cedat tranſeundum

ad ea quæ carnem in vlceribus ſuccreſcentem abſumunt, qualia ſunt alumen rochæ, vitriolum, viride æris, auripigmentum, puluis aut cinis. gr. ij. quod vulgo præcipitatum vocant, quod fit ex hydrargyro vſto in aqua forti, dum eius hydrargyri fluida ſubſtantia ſit prorſus abſumpta, hyperſarcoſin egregiè abſumit nullo aut exiguo dolore, præſertim ſi ſæpius lauetur in aqua plantaginis, & ſæpius reſiccetur. Sic enim omnem morſum exuit quem aqua fortis illi impertierat. Pulueres prædicti miſcentur cum melle roſato, vel ſi magis velis excedere miſcentur cum ægyptiaco pro litu polypi ex penna. Annatus Luſitanus ad polypos atterendos hoc emplaſtrum valdè commendat.

℞. Virid. æris, auripigmenti, vitrioli, alum. rochæ, ana. ℥.j.ß. antimonij. ʒ. vj. macerentur in aceto, deinde exquiſitè terantur, & poſt ſiccentur, & eadem tritura & maceratione octies repetita. Dein in aqua plantag. biduo macerata ſiccantur. Vel,

℞. olei roſat. ℥. iiij. lythargyr. ℥. ij. nutriantur, & coquantur, addendo ſub finem coctionis prædicti pulueris. ℥. ij. Coque in Emplaſtrum ſatis glutinoſum. Muniantur interim nares ne lædantur à causticis. ℥. j. vnguenti alb. refrigerantis Galeni. cum ʒ. ß. camphoræ, vel nutrito, vel populeo, vel in oui albo agitato cum oleo roſarum vel ſimilibus. Extremum remedium eſt detractio Polypi operatione manuali, quæ deſcripta eſt Paulo libr. 6. cap. 26.

26. & à Celſo lib. 7. Interim non omittenda fuerit venæ ſectio. Purgatio ſæpius repetita. Capitis ſiccatio, roboratio. Sunt qui decoctum Guaiaci, & victum exſiccantem imperant: ſed cauendum ne inde humores efferantur & tumor in carcinoma tranſeat. Æger flante Borea & Auſtro aëri ſe non exponat, vitet pluuias, aërem veſpertinum, & ab iis caput vindicet. Non degat in locis ſubterraneis & humidis, non dormiat interdiu. Exerceat ſe & abſtineat à cibis craſſis, ſalſis, & piperatis, lacticiniis, & caſeo antiquo, & ſimilibus.

OZÆNA.

OZæna interdum nullo prægreſſo morbo in naribus gignitur ab acri & ſalſo humore, vel è cerebro, vel internis venis in eas diffluente. Interdum conſequitur aliquem morbum, vt Luem Veneream, Elephantiaſin. Quæ à Luis Venereæ, aut Elephantiaſis pernicie oriuntur vlcera, non alia remedia poſtulant, quam quæ ad eoſdem affectus curandos præſcribentur in particulari eorum tractatione dicenda. At quæ oriuntur ſponte à fluxione mordaci ita curari deſiderant. Primum conſiderandum eſt, num ſint cruſtoſa, antequam enim vlterius progrediaris, cruſta detrahenda eſt, quod vt conſequaris, emolliendа venit fotu aquæ tepidæ, butyro inſulſo, adipe anſeris aut Gallinæ recenti, ol.

amygdal. dulcium, violarum, & ſimilium. Emollitæ autem cruſtæ non ſunt vi excutiendæ, ne irritetur vlcus, & fluxio exaſperetur, niſi cum ita ſunt fricatæ & maturæ, vt non valdè hæreant. Ablata cruſta vlcera ſunt ſiccanda & detergenda. Tergent aqua mulſa, Errhinum ex decocto hordei integri, roſarum rubrarum, agrimoniæ, centaurij minoris, abſinthij, plantaginis, morſus gallinæ, diſſolvatur ad ℔.j. mellis roſati ℥. iiij. Hoc errhinum terget, ſiccat, putredinem inhibet, ac per ſe vlcera ſæpè ſanat: naribus autem demiſſo ſæpius capite hauriatur. Idem validius præſtat aqua aluminoſa, vel ea quæ ad Polypum exſiccandum & adſtringendum præſcripta eſt, quæ fit ex vuis immaturis, &c. Quæ ſi non ſufficiant, abluatur vlcus aqua ſublimati, bis, ter, quater quóque die. Siccat enim egregiè, & citra vllum morſum terget. Idem præſtat oleum ex vitellis ouorum, & ol. è tartaro, & ol. vitriol. quorum vſus eſſe debet, vbi alia non profuerint. Vlcus deterſum incarnant roſæ aridæ tritæ inſperſæ, vel inſufflatæ naribus, vt etiam puluis ex pompholige, & corallo. Rondeletius valdè in hoc affectu probat ſuffitus, vlcere probè deterſo, qui fieri dent ex validiſſimis reſiccantibus, auripigmento, cinabrio, quibus adduntur odorata, vt myrrha, thus, maſtiche, benioinum. Excipiuntur Therebinthina, & fiant Trochiſci pro ſuffitu. Notandum hic eſt, quod vbi acria medicamenta in nares immittun-

mittuntur, debet æger ore continere vel lac, vel aquam, vel quid aliud, ne quid in os per palati foramen illabatur. Et quia vis medicamentorum iniectorum ſub inde affluentia humoris extinguitur, & ideo ſunt omittenda. Porrò inueterata vlcera vix curantur, quia oſſa ſubiecta tenuia cum ſint, facillimè ab humoribus fœtidis corrumpuntur, maius tamen negotium faceſſunt, magíſque ſunt periculoſa, quæ ſunt in ea parte, qua foramen eſt ad palatum, quia non tam facilè à medicamentis attingi poſſunt. Attinguntur autem ſpecilli extremitate ore ampliſſimè aperto, & demiſſa lingua. Interim victus præſcribatur idoneus, qui humorum acrimoniam temperet. Nec omittatur venæ ſectio, purgatio, roboratio capitis & exſiccatio.

FOETOR NARIVM.

FOetoris qui à naribus procedit cauſſa eſt putridus humor deliteſcens, vel in ventriculis cerebri, vel in proceſſu mammillari, vel in naribus. Si ſit in cerebri ventriculis aut circa os ethmoides, vix vllo vnquam remedio vincitur, eúmque fœtorem æger non percipit, ſed tantum aſſidentes. Vt enim odor percipiatur neceſſe eſt ex eo vaporem quodam interuallo in eum ſenſum & priores ventriculos cerebri efferri. Cùm autem fœtoris cauſſa eſt obſtructio oſſis ethmoidis ab humoribus pituitoſis ibi

ob longam moram putrefactis. Poſt vniuerſales purgationes roboretur & ſiccetur cerebrum. His factis oſſa ethmoida obſtructione liberentur attractis per nares errhinis tergentibus, & dein pituitam attrahentibus, vt eorum beneficio retentæ putris pituitis curſus deriuetur in nares. Detergent vinum album, ſuccus betæ, maioranæ, mentaſtri, anagallidis cum vino albo extractus, mel roſarum.

℞. Succi morſus gallinæ ℥. iiij. ſucci maioranæ ℥. j. ß. vini albi ℥. iij. miſce, fiat Errhinum. Vel,

℞. fol. anagallid. ſaluiæ, betonicæ, maioran. recent. ana. M j. tere omnia ſimul, ſuperfundendo vini albi ℥. iiij. Exprimatur ſuccus pro Errhino. Quod ſequitur Errhinum validius pituitam purgat, & oſſa ethmoidea obſtructa ſoluit.

℞. Rad. ciclamin. ſeu artanitæ ſiue panis porcini ℥. ß. tundatur cum ℥. vj. vini albi, & ℥. iiij. aquæ, dein colletur liquor, cui adde mellis communis ℥. iiij. attrahatur tantillum in nares manè tepidum. Interim fallatur fœto ſequentibus remediis, fit nodulus qui continet gr. 6. moſchi, ambræ gr. ij. caryophyll. ʒ. ß. nucis moſch. ʒ. ij. macerentur in aq. ſaluiæ ℔. ij. aquæ roſ. ℥. vj. pro Errhino. Item æger perpetuò in ore teneat cort.

citri

citri, caryophyllos, drageam Veronenſem. Fiant & alia quæ in oris fœtore exponemus.

CORYZA.

Coryza morbus eſt magis moleſtus, quam periculoſus, quia ſolus naturæ beneficio ſoluitur, ex interuallis recurrens, aliàs longioribus, aliàs breuioribus. Cúmque in hoc affectu cerebrum per nares ſe ab excrementitiis humoribus exoneret, non eſt ea ſiſtenda fluxio, ſed potius ſi ſubſiſtit, Errhinis prouocanda. Si cui tamen moleſtiam inferat, velitque eam ſupprimi, ille per nares excipiat vaporem elatum ex aceto ſimplici vel roſaceo, ſenſim in laminam ferream inſtillato.

STERNVTATIO.

Sternvtatio, eſt vehemens cerebri motus, id quod ſibi noxium eſt expellere conatis ſpiritus per nares confertim acto. Hic motus fit per dilatationem ventriculorum cere-

bri, ad quam dilatationem repentina ſequitur aëris tum in cerebrum, tum in pulmones attractio, & ſtatim eorundem cita, & vehementiſſima compreſſio quam ſequitur celerrimus aëris per narium meatus emiſſio. Confert ſternutatio frigidis, & ſoporoſis affectibus, & acceſſioni Epilepticæ, ſuffocationi matricis, quia expergefacit naturam in his morbis ſopitam, & cauſſam morbi tollit. Prodeſt etiam ad facilitandum partum, & ad expellendas ſecundinas, quia in eo motu comprimuntur muſculi Epigaſtrij, & aër valido impetu ad inferiora defertur, & ob eandem cauſſam liberat à ſingultu. Ideo in his affectibus ſternutatio prouocatur ſternutatoriis, qualia ſunt piper, pyrethrum, zinziber, nux moſch. garyophyll. caſtoreum, rad. helleb. albi.

℞. Piperis, pyrethri, ana. ℥.ß. rad. helleb. alb. ℈. j. fiat puluis tenuiſſimus, qui naribus agitata pixide adhibeatur, vel calamo in nares inſuffletur, aut inſpiratus trahatur. Porrò in morbis acutis exceptis iis, qui pulmones exercent, ſternutatio ſuperueniens, modò non fiat aliqua externa cauſſa ſuſcitante, ſecuritatem polliceri videtur: quia indicat robur expultricis cerebri, & Authore Auicenna nunquam accidit iis, qui iam ſunt morituri. Vnde vulgus ægrotis qui ſternutant bene ominari ſolet. Mala verò eſt in pulmonis inflammatione eiúſque vlceribus, quia fluxionem auget, & vlcera irritat, quia pulmones concitat, qui potiùs quieſcere

quieſcere deberent. Ideò temerè faciunt, qui in pulmonis affectibus ſternutatoria præſcribunt. Periculoſa etiam eſt quæ diu durat, quia ventriculi cerebri non ſine magno incommodò dilatantur. Ideo natura nullam ei perſeuerantiam, vt in tuſſi dedit, quia pulmo cum ſubſtantia conſtet laxa non tam citò à tuſſi offenditur. Quod ſi homines tamdiu & eodem impetu perſeuerante ſternutarent, quo tuſſiunt vel protinus morerentur concuſſo & rupto cerebro, vel Epileptica acceſſione corriperentur. Ob id conſuetudine nobis à maioribus introducta ſolemus precari vt Deus ſit propitius iis, qui ſternutant. Frequenter verò ſternutatio compeſcitur per aliquod tempus narium apprehenſione, & ſpiritus cohibitione. Cum enim fiat contracto cerebro, ſi retineatur ſpiritus cerebrum dilatatum ſeruatur, quo fit vt motus ille ſiſtatur. Compeſcitur etiam olei roſati immiſſione in nares, aqua tepida fronti aſperſa, venarúmque ab vtraque naſi parte (quæ iuxta magnos oculorum angulos ſitæ ſunt) compreſſione digitorum beneficio facta, oculi vtriuſque perfrictione, & propterea ad eius recurſionem impediendam ſudorum perfuſione è cerebro, facta eiuſdem cerebri roboratione & ſiccatione. Ocymum ſi credimus Aetio & Paulo ſedat ſternutationem: contra Dioſcoridem lib. 2. cap. 29. Ab Ocymo ait ſternutamenta copioſa excitari. Has contrarias ſententias ita conciliat Auicennas. Ocymum, inquit, ſuo odore mouet ſternutationes, quia calfacit,

pungit, & mordet; at ſi ſternutatio fiat ab obſtructione, eam ſedat, quia incidit, attenuat, obſtructa aperit.

HÆMORRHAGIA.

Fluit ſanguinis è naribus, vel cum febre, vel ſine febre dupliciter, vel criticè, vel ſymptomaticè. Criticè fluit dum die morbi verè critico, vt 7. 14. 21. prius præiudicato in die indice. 4. 17. ídque in morbis, qui eam criſin, ſeu criſis ſpeciem amant, quæ fit per fluxum ſanguinis, quales ſunt phlegmone internorum viſcerum, febres acutæ, quas æſtuans in venis ſanguis excitauit. Grauiſſimi capitis dolores à calidis humoribus. Cúmque in iis affectibus fluat ſanguis, vt & robore naturæ ſinendus eſt effluere, donec vaſorum plenitudini ſit ſatisfactum. Nam quod ait Hippocrat. aphor. 25. ſect. 4. Malum eſſe ſanguinem ſuperius efferri qualiſcunque ſit, Oportet intelligere excretionem eam ſanguinis, quæ fit per os non per nares. Contra ſymptomaticè fluit cum vi morbi manat non die critico, nullis antegreſſis coctionis ſignis, & in iis morbis quibus & criſis ſpecies non conuenit, vt in quartanis febribus, aliiſque diuturnis morbis, in quibus ſanguinis adeſt penuria, & hic primo quoque tempore debet ſiſti, quia fluit præter naturam. Fluit autem ſine febre aliàs ex naturali conſuetudine, hæcque flu-

que fluxio non eſt ſiſtenda, ſed naturæ arbitrio relinquenda, niſi ſit immoderatior, vt neque ea quæ ob ſuppreſſos menſes aut haimorrhoides accidit. Nam vt rectè ſcripſit Hippocrates aph. 33. ſect. 5. Bonum eſt retentis menſtruis ſanguinem per nares fluere. Ita verò ſiſtitur hæmorrhagia, quæ ob imbecillitatem retentricis facultatis hepatis accidit. Roboretur hepar euchymo victu ſicco & tenui, potus abſtinentia, & maximè aquæ crudorúmque omnium fructuum. Fiant & alia quæ in imbecillitate hepatis tradentur, ſine quorum ope topica omnia quæ adhibentur ad eam hæmorrhagiam corrigendam naribus inutilia ſunt. Cum autem ſupprimi debet ſanguis, tres ſcopi inſurgunt. Primus, vt cauſſæ fluxionis remoueantur. Secundus, vt impetus fluentis ſanguinis aliò conuertatur, aut intercipiatur. Tertius, vt orificium venæ ſanguinem effundentis occludatur. Duos priores ſcopos conſequimur venæ ſectione, cucurbitularum appoſitione, omnique alio reuulſionum genere. Secatur autem Baſilica, aut Cephalica, aut Mediana lateris è directo reſpicientis narem, à qua fluit ſanguis. Si adſit plethora, viréſque & ætas id permittunt, non verò lateris oppoſiti, vt volunt Arabes, qui ſe muniunt Authoritate Hipp. docentis, quàm longiſſimè à locis vbi dolor eſt mittendum eſſe ſanguinem. Hic enim locus Hippoc. intelligendus venit de reuulſione è directo, quàm longiſſimè facienda. Quod ſi ex vtraque nare fluat ſanguis, vtriuſque lateris

vena ſecanda eſt, nec ad animi deliquium, vt iubet Galen. Satiùs enim ſemel aut bis venæ ſectionem repetere. Adde quod experientia docuit, animi deliquio in multis ſanguinem non fluxiſſe. Admouentur cucurbitulæ ſimplices regioni hepatis, & poſt ſcapulis, eáque cum ſcatificatu. Sunt qui ligent arctè brachia, crura, coxas, vt hæ partes dolentes ſanguinem ad ſe attrahant. Ego tamen non libenter ligaturis vtor, tum quod ſubiectas partes ſpiritu, & calore influente priuent, tum quòd compreſſione muſculorum ſanguinem fluentem exagitare & impellere videantur. Ad ſanguinem ſurſum repentem cohibendum eiuſque impetum continendum vniuerſum collum vel certè latera colli, per quæ iugulares venæ decurrunt, & facies atque tempora inuoluuntur linteo immerſo in oxycrato, vel in aqua plantag. roſar. acetoſ. & ſimilibus, quibus additur Camphora. Quod linteolum cum primum incaluerit renouandum eſt, poſt apponitur Cataplaſma ex terra ſigillata, bolo armeno, thure, maſtiche, oloë, farina volatili oui alb. exceptis. Ex iiſdem fit litus pro fronte & temporibus. Poſt admouetur Emplaſtrum contra rupturam deſiccatiuum rubrum, quibus additur maſtix, malaxentur ſimul cum oleo myrtillorum. Hæc remedia prædictis partibus appoſita multum iuuant, quia ſua adſtrictione repellunt, & meatus relaxatos occludunt, ideoque ſanguinem è naribus fluentem ſiſtunt interceptis viis per quas ſanguis ad nares aſcendit. Totum dorſum litu

refrige-

refrigerante illinitur, quia illi arteria magna, & vena caua ſubeſt. Itaque oxyrrhodinum conueniet. Vnguentum album refrigerans Galeni in aceto prius lotum. Oleum roſatum in eodem aceto lotum, mucilag. ſem. pſyllij, extract. in aq. plantag. Linteum oxycrato frigidiſſimo maceratum teſtibus imponitur ea lege, vt cum primum mora incaluerit, renouetur. Quod ſi hepar initium huic morbo dederit, ei admoueatur Epithema refrigerans. Introſumuntur potiones refrigerantes, incraſſantes, & ſanguinis acrimoniam temperantes, ex iulep. roſat. ſyrup. granat. myrtillorum, limon. roſarum ſiccarum, nymphea, cydoniorum, diſſolut. in aq. plantag. portulac. lactuc. centinodij. diſſoluitur terra ſigillata, bolus armena, puluis coralli rubri, trochiſci de Carabe, & ſimilia. Ex iiſdem pulueribus cum conſerua ſymphyti, roſarum, addito ſyrupo proprio, fiat opiata. Ex ſucco vrticæ mortuæ fit ſyrupus ad ſanguinem ſiſtendum. Orificium venæ occluditur his remediis. Penicillus è pilis leporis aut linteo contorto paratus circumuoluitur vnguentis infra ſcriptis, & in narem, è qua fluit ſanguis, inditur ea lege, vt naſi ala, qua parte cartilago oſſi connectitur, digito comprimatur, vt apertum venæ oſculum vnguento adhæreat & occludatur. Sed interim æger non ſedeat in latus, nec iaceat ſupinus, ne in fauces ſanguis relabatur.

℞. Sanguinis Draconis, boli armeni, ana. ʒ. iij. cum albo oui fiat litus: Pili leporis labra vulneris adducta beneficio Emplaſtrorum reti-

nent. Dein ſanguis concretus obſtruendo vaſis oſculum ſanguinem retinet. Fiunt & penicilli è tela aranearum cum farina volatili. Efficaciſſimum eſt remedium ſtercus porcinum aut aſininum adhuc calens fronti admotum & temporibus, tum in nares ex turunda immiſſum.

℞. Stercoris porcini exſiccati ℥. iij. pulueris roſarum ad fœtorem diſcutiendum. ℥. ß. diſtemperentur cum ſucco plantag. & in ea intingatur bombax naribus immittendus.

Vbi prædicta nihil profecerint, eſcharotica quæ vrendo exſiccant erunt vſui. Vitriolum vſtum, calchitis vſta, alumen vſtum incorporentur cum ſucco porri, & aq. plantag. Turunda in iis immergitur naribus indenda, ea lege ne cruſta ab iis facta euellatur. Nam fieret maior ſanguinis euacuatio. Dein hæc fiunt. Totum corpus detegatur aut tenui tegumento obuoluatur, & ſuper ſtramen collocetur, ne lecti calore ſanguis incaleſcat. Refrigeretur omnibus medicamentis tum aſſumptis, tum admotis, imperetur quies totius corporis, linguæ, maxillarum. Nam ſi ſæpè loquantur, aut maxillas moueant, magis fluet ſanguis. Nutriendus ergo alimentis frigidis, & quæ citra maſticationem deuorari poſſunt, vt pedibus veruecinis bene coctis, hordeo mundato, iuſculis refrigerantibus. Teneat caput detectum, & oculos clauſos ne ſanguinem fluentem videat. Phantaſia enim ab obiectio mota ſanguinem commouet. Vitentur animi pathemata quæ ſanguinem ſurſum impellunt, vt ira, riſus, ter-

ſus, terror non inutiliter ei incutietur, qui ſanguinem intrò reuocat. Sunt quidam lapides, qui collo geſtati ſanguinis fluxum ſiſtere creduntur. Vulgus corallum collo appendit.

FACIEI MORBI.

RVBOR.

RVbor faciei, ſi à primo ortu fuerit contractus; aut ſi poſt ortum genitus, iam diu radices egerit, difficillimè tollitur, quia continens illius cauſſa, qui eſt ſanguis feruidior non tantum epidermidi, ſed etiam veræ cuti inſidet. Hoc autem ſymptoma maximè mulieribus tædium adfert. neque ſolum iis quæ de ſola facie ſunt ſollicitæ, ſed quibus, licet abſtemiis, meraci vini vſum ementitur.

Rubor faciei vel ſimplex & ſolitarius, & vel ſine puſtulis, vel puſtulas comites habet. Hæ poſtulæ ſi intenſum ruborem habent, & atrociſſimum dolorem excitant, gutta roſacea vocantur. Si duræ & exiguæ ex frigido & craſſo humore genitæ ac velut in callum concretæ vari nominantur. Deformatur & facies Eryſipelate, herpete, impetigine, vt & lentigine, & rugi quæ nihil aliud ſunt quàm cutis contractiones à quibuſlibet cauſſis exſiccantibus procreatæ. Ad delendum faciei ruborem & Eryſypelata, primum hepatis eſt habenda ratio, quod refrigerari, & humectari debet, tum ſumptis, tum admotis, quæ poſtea proprio capite exponentur. Balnea

aquæ tepidè mirificè conferunt, quia humorum acrimoniam temperant, vt & vſus lactis aſinini, & proba victus ratio refrigerans & humectans. Interim frequenti purgatione billioſi & acres humores euacuentur, nec omittatur baſilicæ dextræ ſectio ſæpius repetenda, maximè ſi ſuppreſſus ab vtero haimorrhoidibus aut naribus ſanguis hunc affectum creauerit. Interim faciei applicantur panni linei macerati in ſuccis plantag. ſolani, roſarum, limonum, aceto roſaceo, in quibus alumen, ceruſſa & camphora diſſoluuntur. Sunt qui cum prædictis refrigerantibus addunt digerentia, & diſcutientia, vt ſulphur quo tenuis ſanguis cuti imbibitus ſiccetur & digeratur. Lauatur facies lacte virginali, quod fit ex Lythargiri argent. ℥. j. ceruſſ. candidiſſ. ℥. iij. camphoræ. ℥ ß. diſſolutis omnibus in aq. plantag. ſolan. roſarum, & tranſmiſſis per filtrum. Non habent valetudinis ſuæ curam mulieres, quæ ad tollendum faciei ruborem quotidie manè cyathum vini meracioris hauriunt ieiunæ, aut quæ zinzibere, garyophyllis, & ſimilibus vtuntur copiosè. Ita enim horum vſu probam viſcerum conſtitutionem labefactant, calorem natiuum obruunt, & tandem incidunt in phlogoſin, & obſtructiones viſcerum, colores pallidos, cachexiam, Leucophlegmatiam, quos affectus hydrops conſequitur. Quod ſi rubor comitatus ſit puſtulis, continens illarum cauſſa cuti impacta ſiccanda & digerenda, quod fiet ex lacte virginali ſuprascripto; cui par portio miſcetur

ſcetur alterius aquæ deſtillatæ ex ſale communi, alumine crudo, aquis roſarum, & ſolani diſſolutis prius ſuper calidos cineres, dein per filtrum deſtillatis, vel abluitur facies aqua roſarum, in qua ſulphur viuum, alumen crudum & ſal commune miſta ſint, vel puſtulæ exulcerentur, & aqua ſublimati bis in die tangantur. Et his exſiccatis facies ex oleo ex vitellis ouorum extracto illinitur. Sed hoc remedio non eſt vtendum, ſi hæ puſtulæ ſunt inſlammatæ. Scabrities, herpes, & impetigo faciei tollitur aqua plantaginis & roſarum in quibus diſſoluitur ſulphur viuum, vel aqua ſublimati, vel oleo de Tartaro. Rugas verò tollit, & faciem illuſtrat aqua ſequens deſtillata.

℞. Carnes duarum gallinarum albarum, amygdal. dulcium, ana. ℥. iiij. fiátque deſtillatio pro ablutione faciei.

LABRORVM AFFECTVS.

FISSVRÆ.

SI ab humoribus acribus labia vlcerentur, conueniunt adſtringentia, exſiccantia, & cicatricem inducentia vlceri impoſita, vt aqua aluminoſa, ſublimati, oleum myrrhæ, oleum è vitellis ouorum, & ſimilia. Sin à frigore & ſicco vento, illinenda ſunt butyro inſulſo, adipe gallinæ recenti, pomata, & ſimilibus.

LABRORVM MVTILATIO.

CVrta in Labiis ſi parua ſunt, curari poſſunt. Sin magna aut non accipiunt curationem aut ita per hanc deformantur, vt ante minus indecora fuerint. Huc accedit quod labris ob magnitudinem vlceris nimium contractis minus facilè & cibus aſſumitur, & ſermo explicatur, neque enim creatur ibi corpus, ſed ex vicino adducitur. Quod ſi mutilatio ſit parua, ita reſarciri poteſt, vt deformitas ſit nulla, nulláque vſus labiorum & linguæ iactura. Sin autem magna non item, neque verò ſenes, neque cacochymi, nec ij in quibus vlcera difficulter curantur, huic curationi, quæ fit per chirurgiam idonei ſunt, quia nulla pars corporis eſt, quam facilius cancer occupet, aut ex qua difficilius tollatur. Ita autem manus opera Curta in labris reſarciuntur, vt docuit Gal. 4. methodi, & Paul. lib. 6. cap. 26. cutis vtrinque leuiter inciditur & excoriatur, deinde detracto eo, quod calloſum eſt & induratum adducuntur & coniunguntur inter ſe extremitates partium recenter vulneratum, poſt conſuuntur, & conſutæ agglutinantur.

GINGIVARVM AFFECTVS.

PARVLIS.

PArulis parua eſt inflammatio partis alicuius gingiuarum cum timore, quæ ſi non reſol-

reſoluitur ſuppurat, & in abſceſſum vertitur, qui malè curatur in vlcera ſerpentia ſæpè degenerat. Si vnà dolor adſit, leniatur ille gargariſmatis è lacte tepido, Cataplaſmate ex mica panis albi in lacte cocta miſto oui vitello, croco & oleo roſato. Si non reſoluatur tumor, & ad ſuppurationem tendat, ficus pinguis per medium ſecta carboni accenſo ſuperponitur, dum aliquantulum areſcat, dein tumori gingiuæ apponitur. interdiu atque noctu geſtatur dum maturata parulide pus ſponte aut arte fluat. Abſceſſus hinc relictus non ad cutem faciei, non ad radices dentium aperiri ſolet, vel ſponte naturâ, vel manu chirurgi, quo aperto pus erumpit, ſtatimque dolor ceſſat, & breui pars redit ad priſtinum ſtatum. Si Gingiuæ citra tumorem inflammantur, id eſt, ſi phlogoſi laborent, conuenit gargariſmus, ex aqua communi tepida, aq. plantag. roſar. addito aceto roſato, vel oxycrato, vel ex ſuccis ſemperviui, plantaginis, ſolani.

EPVLIS.

Epulis eſt excreſcens gingiuarum caro parulidem malè curatam ſæpè conſequens. Niſi enim in parulide quæ ſuppurauerit, vlcus fuerit propè deterſum, luxuriat ibi caro, quæ Epulis dicitur, & ſenſim augetur, aliquando oui magnitudinem ſuperans, & ſermonem maſticationémque impedit. Interdum in cancrum

degenerat, quod inde noſcitur, quod cum prius eſſe indolens, nunc lancinante dolore comitata eſt. Cúmque in cancrum degenerat, nec ferro nec manu chirurgica attingi debet. At quæ nullum dolorem excitat, alligetur filo duplicato donec excidat, vbi autem excidit, ne repullulet eius radix cauterio ignito attingatur, vel potentiali, vel oleo vitrioli, aqua forti & ſimilibus, cauendo tamen ne ab iis corrodentibus partes ſanæ lædantur.

EXCRESCENTIA GINGIVARVM.

GIngiuæ nihil aliud ſunt, quàm carnes, quia dentes & maxillas comprehendunt, eæ interdum valdè increſcunt, adeò vt totos dentes prorſus obtegant præcipuè iis qui valdè humido victu vtuntur, & qui in locis aquoſis degunt. Remedia ſunt frequens purgatio, capitis exſiccatio, & roboratio, victus tenuis, ſiccans. Topica quæ natam hyperſarcoſin abſumant, dein quæ cicatricem obducant.

IMMINVTIO ET CORROSIO GINGIVARVM.

GIngiuæ interdum imminuuntur & exeduntur ab humoris acris & ſalſi affluxu, qui

qui vel impuris viſceribus, vel è capite eò delabitur. Interdum fit ab vlcuſculis vndecunque genitis, interdum etiam à frequenti dentium deterſione ex alumine. Alumen enim carnem exedit. Cum ab hac vltima cauſſa id vitij proceſſit, ſolum mel roſatum parti illitum ſufficit. Carnem enim regignit. At cum ab impuris viſceribus duo ſint curationis ſcopi. Primus eſt totius corporis euacuatio. Secundus vlceris conſolidatio. Vt primum ſcopum conſequamur, expurganda viſcera idoneis catharticis, humorum acrimonia temperanda conuenienti victus ratione refrigerante. Balneis aquæ tepidæ, vt & vſu lactis aſinini, dein vlcus tergendum, ſiccandum, & ſi latius ſerpat, cohibendum. Primum mitioribus quæ citra morſum id præſtant, qualia ſunt gargariſmata ex decocto hordei integri, agrimon. plantag. roſ. rub. Incolatura mel. roſ. diſſoluitur quo etiam gingiuæ fricantur vel ſolo vel mixto cum ſyrup. de abſinth. In quam rem linteolum externæ parti baculi alligatum in melle immergitur, & gingiuis apponitur. Illud gargariſma erit efficacius, ſi cum prædicto incoquatur alum. crud. ℥. ß. miſcetur & melli roſato puluis ariſtoloch. ireos florent. coralli albi. Ad ſiccandum & detergendum oleum myrrhæ inter mitia recenſetur, quia citra acrimoniam inſignem terget, & ſerpens vlcus cohibet. In illud ergo oleum calens lana immergitur, & gingiuis adhibetur bis terve quoque die. Interdum &

aqua aluminoſa, quæ citra inſignem dolorem vlcerum ichorem exſiccat. Sub quibus medicamentis ſi non ſaneſcant prædicta vlcera, validioribus vtendum, qualia ſunt hæc.

℞. Alumin. vitriol. vſtorum, ana. ℈.j. tuthiæ præparatæ ℥. j. pulu. ireos florent. roſar. ana. ʒ.ß. mellis roſati ℥. j. illinatur pars bis térve quoque die, dum ſatis deterſa ſunt vlcera, tum enim ſolum mel, cum puluere tuthiæ ſufficit. Interdum humor vlcerum illorum cauſſa eſt malignus, ita vt confugiendum ſit ad aquam ſublimati, quæ fit ex ſublimato diſſoluto ſuper cineres calidos cum aqua plantag. & roſarum. Non tamen quod hæc aqua dentes denigrat. Dein ad aquam fortem extinctam, cum aqua ſolani & plantaginis miſtam, hæc enim virus vlceris domant atque hebetant. His ergo aquis abluantur vlcera, dein illinantur melle roſato. Fit & puluis ex ærugine, alumine vſto, oſtreorum cinere, ſale ammoniaco vſto & naturali, arſenico quod & auripigmentum vocant. cui additur mel, vel calcis viuæ partes duæ, auripigmenti vna, diſſolut. in aqua. ita ter aqua affundatur & poſt pharmacum deſiccetur. Ex quibus cum melle roſato miſtis fit litus gingiuarum, ſumma tamen cautione adhibita, ne quid ex iis deglutiatur. Quod ſi nec iis malum cedat, ad ſumma & extrema remedia veniendum. Lanam igitur ſpecillo circumligatam feruenti oleo immerſam gingiuis toties admoue, donec exæquentur, & partes circumſtantes albeſcant.

ſcant : vel oleo colochyntidis, quod vitriolum Romanum vocant, vlcerata loca comburere. Hoc enim ignea vi malignitatem vlceris compeſcet, inambulationémque tollet, vi adſtringente vlcus conſolidabit & locum roborabit.

ORIS AFFECTVS.

APHTHÆ.

IIſdem remediis curantur aphthæ, id eſt, oris vlcera, quibus infantes qui adhuc lactant ſunt admodum obnoxij, quia cum habeant internas oris partes valdè molles & tenellas, eæ facillimè exulcerantur. à lactis quo ſugunt acrimonia, & ab eiuſdem copioſius aſſumpti putredine. Cúmque ob ea vlcera nequeant ſugere, neque lac attrahere, ſæpè illis immoriuntur. Vt autem aphthæ ſuperficiariæ paruæ caloris & doloris expertes facilè curantur: ſic profundæ ſordidæ dolore & febræ comitatæ, nigræ & cruſtoſæ difficillimè curantur, eáque in cancros facillimè degenerant. In pueris autem adhuc lactantibus talis ſit aphtharum curatio. Purgetur nutrix Caſſia, catholicone & ſimilibus. Refrigeretur etiam ſanguis vſu alimentorum refrigerantium aquæ & ptiſanæ potu, vſu

ſeri lactis, hordei mundati, & ſimilum. Interim tanguntur vlcera melle roſato, quoties linteolum imbutum, & bacillo appenſum in os indatur. huic melli puluis boli armeni & roſarum commodè miſcetur, indatur etiam in os pueri ſaccarum roſatum. Si tamen vlcus ſit contumacius, prædicto melli miſcebitur puluis aluminis & vitrioli vſti. Dein abluetur aqua adſtringente, ſiccante, exedente ex vuis immaturis dictâ à nobis in cura polypi, vel aqua aluminoſa. Quod ſi vlcus fuerit malignum & cruſtoſum, domandum erit aqua forti extincta, pro cuius vna gutta 5. aut 6. guttæ aquæ fontanæ ponantur, plus vel minùs pro malignitate vlceris. In adultis poſt conuenientes purgationes, & venæ ſectionem imperetur gargariſma refrigerans, repellens, & detergens ex hordei p. j. agrimon. centaur. minor. plantag. roſar. rubrar. ana. M.j. aluminis crudi. ℥. ß. fiat decocto ad ℔. j. diſſol. mellis roſat. ℥. v. aq. plantag. ℥. iiij. Quod ſi vlcera ſint valdè ſordida, & metus ſit ne in cancrum degenerent, additur ægyptiaci ℥. j. Poſt collutionem oris ex gargariſm. attingantur vlcera aqua aluminoſa, ſublimatij, aqua forti ex aq. roſar. & plantag. excepta, vt eius malignitas tollatur. Et poſt attactum, decocto hordei os abluendum. Aetius conſulit vt putrida oris vlcera tangantur oleo feruente, in quo immerſus ſit floccus lanæ, in extremo bacilli alligatus, donec ea vlcera vndiquaque alba appareant, ſintque

reant, ſintque cuti adæquata. Sic enim corroſionem vlceris cohiberi poſſe. Quod cauterium igitur vbi admotum fuerit colluat æger os gargariſmate ex decocto hordei, plantag. & ſimilium, in cuius ℔. j. diſſolue mell. roſ. ℥. j. caueat autem æger diligentiſſimè, ne vbi prædicta medicamenta erodentia admota fuerint ſaliuam intrò hauriat, quam ſi incautus hauſit, ſtatim ſumat cibum aliquem emplaſticum & lenientem, vt lac, hydromel. hord. mundat. iuſculum aliquod pingue. Notandum hic venit quod ſæpè vlcera gingiuarum in fiſtulas abeunt, vnde radix dentis cariem contrahit & tandem vlcus foras penetrat, & ſub mento, quod vlcus quidam ſtrumam eſſe, ſed falsò ſibi perſuadent. Hoc cum accidit, euellatur dens. Sic enim fiſtula exſtirpatur, reprimitur gingiua & quod reliquum erit, facillimè curabitur, quia putridus dens vlcus illud fouebat. de qua re vide Celſum lib. 6. cap. 13.

FOETOR ORIS.

FOetor putredinis ſemper omnes eſt. Ideò os putrere nequit, niſi vel in ore, vel aliis partibus ori continuatis putridus humor deliteſcat, vt in cerebro, in naribus, in pulmonibus, in thoracis cauo, in ventriculo, in iecore, in liene. Cum in cerebro aut proceſſu mamillari fœtoris cauſſa continetur æger non percipit fœtorem illum, ſed tantum aſſidentes. Nec enim percipitur odor, niſi vapor quodam interuallo in odoratus ſenſum efferatur. A pulmone autem vlcerato vapor fœtidus ſiue fœ-

tor manat incredibilis, qui nullis remediis diſſimulari poteſt. Hepatis etiam & lienis corrupta ſubſtantia, aut vitioſis & putridis humoribus referta, fœtidum reddit anhelitum. Sed & retenta cibi portiuncula in eo interuallo, quod eſt inter ſingulos dentes putret, & oris fœtorem accerſit. Idem etiam facit putridus lentor in eorum ſuperficiis inhærens. Pro varietate autem cauſſæ variat curandi ratio, in propriis particularium morborum à quibus fœtor ille prodit capitibus tradenda. Quæ dum fiunt, fallendus fœtor odoratis, tum geſtatis, tum ori appoſitis. Geſtantur puluis violaceus, pomum odoratum, moſchus, zibethum. Tenentur in ore cortex citri, cinamomum, garyophylli, rad. ireos florent. drageta Terdunenſis vel hi Trochiſci.

℞. Saccari albiſſimi. ℥.iiij. moſchi.gr. vj. rad. ireos florent. ℥. ß. mucilag. gummi tragacanth. extract. in aq. roſ. q. ſ. fiant Trochiſci pondere ʒ. ij. in ore continendi. Colluitur & os acri aceto, vino, in quo roſæ ſint coctæ, vitentur dulcia, pinguia, vt allia, porri, cœpe, & ſimilia, quæ oris fœtorem faciunt.

DENTIVM AFFECTVS.

DOLOR.

DOlor dentium ſi fiat ab humore frigido, ſiccetur & roboretur caput poſt conuenientes purgationes per pillulas cochias, aureas,

reas, ex ſcammonio, & ſimilibus. Dein humor impactus in rad. dentis maſticatoriis, gargariſm. & errhinis educendus. Maſticatoria fiunt ex rad. pyrethri, ſtaphiſagr. maſtiche, & ſimilibus. Erthina ex ſucco betæ, maioran. anagallid. vino albo, & melle roſato. Gargariſm. ex fol. ſalu. ſicc. hederæ terreſtr. & arboreſcentis decoctis in vino albo, additur parum aquæ vitæ. Sola & aqua vitæ cum cottone in dolentem partem immittitur. Portiuncula etiam allij ſub cineribus coquitur, & quam calidiſſimè denti extrinſecus apponitur, vt & ol. garyophyll. ſaluiæ, roriſmarin. arte chimica elicita: Extrinſecus faciei apponitur Cataplaſma anodynum ex lacte, vel pulpa pomorum dulcium ſub cineribus coctorum. Scarificatio gingiuæ cum ſcalpello, vt aliquid humoris contenti educatur, & neruus liberius tranſpiret. Adſtringentia & fluxionem inhibentia, & intercipientia ex gummi Elemi, opio & ſimilibus tempori per quod decurrit fluxio adhibita, vt & veſicatoria ad radicem aurium. Et ſi atrociſſimus dolor ſit, narcotica cauo dentis impoſita vt pillulæ ex opio ſæpius loto in aqua vitæ, vel aduſtio nerui aq. forti deſtillata in cauum dentis, aut ol. vitriol. aut cauterio ignito, vſto enim neruo dolor ſtatim ceſſat, nec amplius redit. Si dolor non his remediis cedit, aut cauſtico neruus, qui in radicem dentis inſeritur, erit adurendus, eo enim aduſto nullus amplius dolor ſentietur, aut ferro extrahendus, maximè ſi ſit exeſus & ſemiputris. Nam præterquam quod dens corruptus vicinos contagione putrefacit, fluxionem etiam perpetuo in gingiuam

allicit, fœtorem oris inducit. Cauſticum erit aqua fortis cum aqua vitæ in dentem immiſſa. Ferrum candens ſubinde denti infixum. Sunt qui ſuperiores dentes portiuncula nuclei iuglandis incenſa adurunt. exſtirpatur verò dens inſtrumentis cheirurgicis, & eo exſtirpato dolor ſtatim ceſſat, non amplius reuerſurus. Non verò exſtirpari debet dens eo tempore, quo aut caput dolet, aut tumet gingiua, aut dolor atrox ſentitur. Primores & primi, quia vna tantùm radice nituntur facilè euelluntur. At molares, qui vel tribus vel quatuor, ægerrimè: neque verò violenter & affatim vno ſcilicet ictu euelli debet dens, ne violentam firmiſſimè hærentis extractionem conſequatur maxima cerebri concuſſio, & oſſis maxillæ diſruptio, quam haimorrhagia, febris, & oris tortura cum maxima ægri deformitate comitentur. Ante euulſionem ſcarificetur gingiua quæ dentem contegit, ex vtraque parte. & ſi dens ſit cauus, impleatur eius cauitas ſubere, ne conſtrictus ab inſtrumento cheirurgico confringatur, adeóque radice eius intrò manente ſola ſuperior pars rumpatur. Euulſo dente ſinatur tantùm effluere ſanguinis q. ſ. Deinde ea pars à qua dens extractus eſt, digitis vndiquaque comprimatur, vt alueolus dentis minùs dilatatus conſtringatur, & ad naturalem ſtatum redeat. Pòſt æger os colluat oxycrato tepido, caueátque ab aëre frigido ne noua fluxio in alios dentes delabatur. Quod ſi rupta ſit vena aut arteria,

arteria, ſanguis in tanta copia interdum defluit, vt vix poſſit cohiberi, vt in vno & item in altero obſeruaui. Valleriola lib. 5. obſeruat. 30. cap. refert hiſtoriam cuiuſdam, qui dente ſine vlla vi, & ſine ferro, ſed ſolo digito apprehenſo, & (gingiua leuiſſimè contuſa) emoto, ſanguinis ℔. j. vno impetu eiecit, & altero die ferè tantum ex arteria gingiuæ ſuppoſita. Ad eum autem ſanguinem ſiſtendum mirificam vim habet Vitriolum vſtum, aut etiam non vſtum admotum, & ſuperimpoſitum linteum in aceto maceratum; ita tamen vt digitus parti à qua fluit ſanguis, firmiter apponatur, donec cruſta ſit inducta. Poſtremum remedium eſt cauterium ignitum. Hoc enim ſanguis erumpens ſtatim cohibetur. Quod ſi quis Cheirurgi manum refugiat veniendum ad pulueres, qui contra dolorem & abſque ferro dentem depellunt, qualia ſunt paſta ex lacte tithymali, & thuris polline ſimul incorporatis cum flore amyli in cauum dentis immiſſa. Reſina Cedri ſeu aculeus paſtinacæ marinæ, qui eius caudâ elatus aduerſis, quam mis reflectitur. Ranunculi radix, lachrymæ oliuæ ſylueſtris, cortex rad. mori tenerior, Pyrethrum acerrimo aceto conditum, deinde tritum, Cinis vermium terreſtrium in vaſe fictili exuſtorum, qui pulueres cauernis dentium inditi eos fruſtatim frangere dicuntur. Interdum dentes dolore quodam ſtupido afficiuntur, qui ab acidorum vel acerborum vſu, vel ab humore acido & frigido, qui aut à cerebro in dentem decumbit, vel à ventriculo vomitu red-

ditus eſt, à quo neruus dentium ita refrigeratur, vt per eum affluere nequeat ſpiritus animalis. Ob quam cauſſam dens ita ſtupens nullum cibum conterire ſine dolore poteſt. Si ab humoribus acidis illi euacuentur per conuenientia remedia, & ventriculo capitique proſpiciatur. Si à ciborum acidorum & acerborum vſu, conueniunt ea quæ leniunt aſperitatem, & quæ aliquo lentore partem replent, atque calfaciunt, quod præſtant portulaca commanſa ac ſemen eius, amygdalæ & auellanæ, collutio oris cum lacte tepente, & cum vino in quo bullierint ſaluia, roriſmar. garyophylli, nux moſchata, & ſimilia.

EXESIO DENTIVM.

DEntes exeduntur, corroduntur, excauantur à crapula cruditatibus, praua viſcerum affectione, vitioſis alimentis, crebra & ſæpè recurrente in dentes defluxione, & ab humore terreſtri inſtar rubiginis concreſcente, qui dentes perinde ac rubigo ferrum exedit. Ab iiſdem cauſſis nigredinem & liuorem dentes contrahunt. Ad curationem rubigo illa inſtrumentis propriis radenda, dein quod non potuit radi adiectis inſtrumentis detergendum eſt dentifriciis optimis. Fiunt autem dentifricia optima ex iis, quæ ſiccant. Cum enim ſicci & oſſei dentes ſint, ſiccandi vim habere oportet, quæ illis detergendis adhibentur. Non tamen ea acria nimis eſſe debent. Hæc enim gingiuas exedunt, & dentium radices abſumpta carne denudant. Fiunt autem

autem ex radice althææ, malu. corall. pumice, raſur. cornu cerui, & eboris vſtorum (vruntur autem vt magis ſiccent) bol. armena, cruſta panis vſti, marmore albo, criſtallo, teſtis oſtreorum vſtorum, & conchis marinis in furno vſtis, oſſe ſepiæ non vſto, cortic. ouorum non vſtis. Hæc enim duo vſta fœtidum odorem exſpirant, alumine vſto, ſale torrefacto, quibus miſceantur aromata ad ſaporis, & odoris gratiam, vt myrrha quæ vritur, vt amittat amarorem, vt moſchus, zibethum, garyophylli, nux moſchata, rad. ireos florent. puluis violac. & ſimilia. Fiunt autem dentifricia vel in forma puluerum vel opiatæ. Interdum & multo ſolidiore forma, vt cum radix altheæ mundata & inciſa in partes longas, 5. 6. digitos, coquitur per horam in vini albi. ℔.j. ß. in qua aluminis. ℥. ij. & ſalis. ℥. iij. ſint diſſolutæ. Dein in furno ſiccentur, vel ad ſolem pro dentifricio. Si addatur rad. ireos, decoctio erit magis odorifera. Rad. althææ optimum eſt remedium, quia mollis eſt, nec lædit carnem gingiuarum, & adſtrictionem ab alumine recipit, & lentorem ab eodem alumine & ſale deperdit. In forma pulueris ſic deſcribitur.

℞. Corall. albi, oſſis ſepiæ, lapidis pumicis, rad. ireos florent. ana. ℈. ij. raſur. cornu cerui, & eboris ſc. raſur. vſtorum, ana. ℈. j. aluminis vſti, ſalis torrefacti, ana. ℈. ß. Fiat puluis tenuiſſimus. Nam quo tenuior erit, eò præſtantius erit dentifricium. Quod ſi gingiuæ ſiccæ ſint, aut per acria dentifricia contabeſcant, & carne nudentur, vt accidit in bilioſis, & iis qui ha-

bent gingiuas ſiccas. Hi pulueres melle roſato excipiuntur, vel gingiuæ prius illinuntur butyro inſulſo. Hic ergo notandum erit, quod quo humidiores erunt gingiuæ, eo acriores debent deeſſe pulueres dentifriciorum. Quod ſi prædicto pulueri addas aliquot moſchi grana, is erit odoratus. Quidam è ſolo pane toſto puluerem faciunt; alij toſtam panem dentifriciis addunt. Fit & aqua deſtillata ad detergendos dentes

℞. Salis ammoniaci & gemmæ, ana. ℥. j. ſalis communis, ℥. iiij. alum. ℥. iij. aquæ roſ. ℥. vj. fiat deſtillatio. hæc aqua ſordes dentibus hærentes terget, eos dealbat, & ſtabilit. Sunt qui oleo vitrioli aut ſulphuris arte chimica extracto liniant dentes: dein eos perfricant panno aſperiore ad eorum ſordes ſtatim excutiendas. Qui autem dentes albos & nitidos habere deſiderat, vitet crapulam & cruditates. Harum enim nidoroſa exſpiratio illos citò vel tabefacit vel corrumpit, vel rubigine & fœdo lentore obducit. Vitet quoque vſum frequentem ſalſorum calidorum, vaporoſorum, piperatorum, & viſcoſorum pinguium, & dulcium, maximè ſi illa dulcia lentáque ſint, & glutinoſa, vt & ſaccarum, lac, adipes. Vitet quoque vſum ficuum, porrorum, alliorum, fructuum horariorum, & eorum quæ ſtatim corrumpuntur & putrent in ventriculo, vt & portulacam, quæ occulto quodam maleficio dentibus obeſſe dicitur. Et quia frigida dentibus ſunt valdè noxia, maximè cùm cibo calido vehementer incaluerint, veluti &

calida

calida, cum fuerunt refrigerati. Ideò maximè cauebit ne paruâ morâ interiectâ nunc nimium calidis, nunc nimium frigidis vtatur, cum, quòd calidiſſimum eſt dentibus ſit noxium, vt etiam quod frigidiſſimum eſt altero poſt alium ſtatim aſſumpto grauiſſima dentibus contingit noxa. Conſeruat verò dentes eorum deterſio ſtatim à paſtu, & ſingulis matutinis eorundem ablutio aqua frigida, aut vino cum aqua miſto eóque frigido non calido. Nam dentes corrumpi monſtrat experientia, ſi aqua calida ſæpiùs abluantur.

VERMES DENTIVM.

EX putredine & corroſione dentium vermes in eorum radicibus, vt & in aliis omnibus partibus naſcuntur. Enecantur autem amaris in dentis cauum immiſſis, vt ſucco tanaceti, abſynthij, decocto centaurij colocynt. & ſimil. Ad idem fit ſuffitus ex ſemine hyoſcyami in carbones iniecto velato tamen capite, ne vapor permeet in cerebrum. His ſuffitus vermes manifeſtè educit è dente. Sunt tamen qui contendunt, quod incenſum hyoſcyami ſemen profert ex ſe veluti quoſdam vermiculos quódque non egrediantur è dente, hoc argumento, quod etiam ſi fumus ille non attingat vermiculoſum dentem nihilominus ex eo veluti vermes quidam prodeunt.

MOBILITAS DENTIVM.

TRemunt & vacillant dentes ab omnibus cauſſis quæ relaxant, & dilatant alueolum,

in quo dentes continentur, quique neruum in eorum radice diſperſum, & eos firmantem remolliunt, & relaxant, vt à fluxione calida vel frigida, ſiue à cerebro in alueolum dentis influat, ſiue à toto corpore confluat, vt contingit hydrargyro vel intro ſumpto, vel extrà admoto. Sed & interdum penuriam alimenti hoc ſymptoma conſequitur. Si à nimia gingiuæ humiditate & alueoli relaxatione, confirmandæ ſunt gingiuæ & exſiccandæ hæc opiata.

℞. Aluminis vſti, ſalis torrefacti, an. ʒ. ß. ſem. plantag. pulueriſati, ʒ. j. boli armen. ſang. dracon. cornu cerui vſti, eboris vſti, ana. ℈. j. ß. mellis roſati q. ſ. illinatur gingiua, & ante illitum gargariſetur hoc decoctum.

℞. Aceti, mellis roſat. ana. ℔. j. aluminis rochæ, ʒ. ij. coque ad aceti conſumptionem.

Quod ſi frigida ſit fluxio aq. vitæ, ℥. j. vtiliter affunditur, ſin acris & calida ſucci plantag. totidem. Fit & gargariſma ex decocto oxycrato in quod bullierit cortex granat. nuces cupreſ. myrtill. balauſt. & parum aluminis. Nota tamen quod hæc adſtringentia nigrorem dentibus adferunt. Commendatur & hæc aqua ad dentes commotos ſtabiliendos & dealbandos, quæ fit ex nitro, ſale communi, alumine rochæ, ſiue maſtiche, ſang. dracon. deſtillatis in alembico addito vino rubro adſtringente, aut aqua roſarum. Interim roboretur & ſiccetur cerebrum, & redundans illa humiditas, quæ in gingiuas & os influit exhauriatur propriis catharticis. Quod ſi ab alimenti inopia extenuati & marceſcentes dentes vacil-

vacillent, quod frequens eſt in ſenibus & per inedias longiores. Imperetur refectoria, & euchyma victus ratio. Sin dentium vacillatio ab hydrargyri vnctione orta ſit, vbi conquieſcere incipiet ſputatio abluatur os adſtringente decocto huiuſmodi.

℞. Cort. granat. balauſtior. ana. ℥.ß. fol. ſalu. ſicc. & roſ. rubr. ana. p.j. fiat decoctio in ℔. ij. vini albi, dum ℔. j. ß. ſuperſit. Dein adde ſub finem maſtiches, ℥.ß. aluminis crudi, ʒ. j. ß. commodè additur ei aqua fabrorum. Item gargariſma prodeſt vbi aut externa vis dentes concuſſit, aut vbi integra fluxio, id ſymptoma peperit. A quacunque autem cauſſa dentes vacillent, æger duriores cibos non maſticet, imò neque molliores, niſi blandè & leniter, alioquin eſſet periculum, ne inter edendum exciderent.

LONGITVDO DENTIVM.

SOli dentes ex omnibus oſſibus toto vitæ tempore augentur. Oſſa enim à natura determinatum incrementum aſſequuta ſunt, quod accidit 22 aut 25. anno tunc enim augeri deſinunt. Nullos autem incrementi terminos dentibus natura dedit, quia mandendo atteruntur, quod niſi regenerarentur, tandē prorſus deficerent. Interdum autem longiores euadunt, cum amiſſus eſt dens ex aduerſo poſitus; Interdum cum maxima oris deformitate foràs ſunt excreti aut intrò ad oris capacitatem conuerſi. Longiores lima atteri, & reſecari debent, quod fit citra vllum dolorem, non enim ſentiunt dentes in ea parte quæ foris extra gingiuas apparet, quia in eam denſiſſimam dentis

partem neruorum fibræ non penetrant. Si verò foras admodum promineant, aut ad os ſint ita conuerſi, vt vel faciem dehoneſtent, vel vocem impediant, euelli debent, ſi lima non ſatisfaciat. Vt autem lima debeant atteri docet Ætius tertia bibl. 2. ſermon. 4. cap. 30.

ODAXISMVS.

DVm concreſcit, & confirmatur dens intra ſuum alueolum, & dum concretus erumpit extra gingiuam atrociſſimum dolorem infert ſub quo interdum infantes mori contingit. Erumpunt autem vt plurimum 7. menſe. non ergo negligenda eſt huius affectus curatio, quia tota poſita eſt in hoc, vt reddatur facilis eruptio ipſius dentis. Id vt obtineatur nutrix digito fricet pueri gingiuam butyro inſulſo. In id commendatur cerebrum leporis, quod proprietate quadam creditur dentibus exitum præbere, ſiue crudum, aſſum, ſiue elixum, ſiue ſiccatum in furno, quo vel ſolo vel mixto cum butyro inſulſo, vel cum melle roſato, vel cum medulla cruris bouis confricanda gingiua, neque ſolum dente erumpente, ſed longè ante eius eruptionem, ad huius ſymptomatis præcautionem. Ad id confert cerebrum porci iunioris. Datur etiam infantibus bacillus liquiritiæ contuſus in ſuo extremo, & mello imbibitus. Quod ſi membrana durior & ſolidior nequeat ab acie dentis perforari, & inde febris vehementiſſima conuulſione comitata procedat, vel vngue illa eſt dilaceranda, qua parte alba eminet vel-

denti-

dentiſcalpij argentei cuſpide, quo remedio plures infantes à magnis ſymptomatibus protinus fuerunt liberati.

LINGVÆ AFFECTVS.

STVPOR.

CVm tota lingua prehenditur, Apoplexiam, cùm altera eius pars ſolam paralyſin portendit. Obſeruauit tamen Fernelius diuturnam totius linguæ paralyſin, nec apoplexiam, nec paralyſin intuliſſe. Proſpiciatur capiti cephalicis remediis, imperentur apophlegmatiſmi & errhina. Conueniunt in primis gargariſmi è decocto ſaluiæ, maioranæ, chamæpythios & ſimilium, in cuius ℔. j. diſſoluetur mellis anthoſat. ℥. ij. Fit & gargariſm. ex ſolius Guaiaci decocto. Conueuit etiam frequens gargariſatio aq. vitæ tepentis. Teneat æger in ore nucis moſchatæ fruſtulum, garyophyll. rad. angelicæ. Paris capitis anterior & poſterior ceruixque illinatur oleis dictis in paralyſi. Poſt pelle vulpina aut leporina ſuffumigata inuoluantur. Applicantur cucurbitulæ in collo & ſcapulis. Veſicæ in ceruice excitentur, vel eidem parti cauterium apponatur. Interim æger loqui perpetuò nitatur, linguámque in ore frequentiſſimè exerceat.

RANVNCVLVS.

RAnunculus naſcitur in inferiore oris parte, quæ ſub lingua eſt. Tumor eſt mollis,

indolens, laxus, rima etiam media dextram eius partem à ſiniſtra dirimens, ranæ poſteriorem parpartem refert, vnde fortaſſe affectus nomen, aut potius quod eo tumore laborantes vocem habeant parem voci ranę. Continetur in eo tumore humor craſſus lentus, oui albo colore & conſiſtentia ſimilis. Exſiccatur ille tumor, & conſumitur deſiccantibus, adſtringentibus, & exedentibus, vt ſale ammoniaco, flore æris, alumine vſto: quæ ſi nihil proficiant veniendum ad ferrum vel ad ignem. Arripitur ſummitas tumoris, poſt illic vtrinque ſcalpello aperitur, ſinitúrque muſcoſus humor effluere, donec nihil illius ſuperſit. Poſt colluat os aceto aquæ miſto, poſca, vel oxycrato cui parum ſalis additur. Continuatur illud gargariſma, donec tumor prorſus euanuerit. Sunt qui illum tumorem ſcalpello radicitus abſcindant veriti ne repullulet, ſangũinémque ex illa effuſione immodicè fluentem ſiſtunt puluere vitrioli vſti. Alij tumorem eum malunt ferro ignito aperire, quod ignis eius reuerſionem prohibeat.

TONSILLARVM tumor frigidus.

INFLAMMATIO ET VLCVS.

TONSILLÆ tument interdum à defluxione humoris pituitoſi in eis facta. Ad cuius tumoris reſolutionem conueniunt (præmiſſa pur-

purgatione) erthina, maſticatoria, attrahentia, detergentia, quæ illum humorem in dictis partibus contentum colliquent, & colliquatum attrahant ex cubebis, zingibere, ſtaphiſagr. pipere exceptis melle aut ficubus. Et gargariſmata adſtringentia ex decocto gallar. balauſtior. cort. nucum cupreſſ. & ſimilibus, in quo diſſoluantur ſal & alumen. Interdum inflammantur ſanguine è venis in eas partes effuſo. Inflammatis autem tonſillis eadem curatio debetur, quæ omnibus inflammationibus.

Reuellendus eſt humor venæ ſectione bis (ſi opus) eſt iterata. Cucurbitulis appoſitis, & ceruici & ſcapulis forti frictione ad carpos facta. Quæ dum fiunt præſcribantur gargariſmata refrigerantia & adſtringentia ex decocto hordei, florum roſarum, rud. myrtill. nucum cupreſſi. Diſſolue in ℔. j. diamoron. ℥. iiij. vel ex aqua plantag. & roſarum ana. ℔. ß. ſyrup. granat. & roſarum, ana. ℥. ij. In incremento imperentur gargariſmata digerentia, & diſcutientia ex decocto fol. anethi, camomill. origani. In colatura mel deſpumatum diſſoluitur.

Quod ſi humor tendat ad ſuppurationem, pus promouendum eſt medicamentis tum internis, tum externis. Inter externa ſunt Emplaſtrum diachylon, vel cataplaſ. ex fol. malu. biſmalu. violar. rad. altheæ, liliorum, coctis piſtatis ad ℔. ß. additis butyri inſulſi ℥. iij. farin. tritici ℥. j. ß. croci. ℈. j. Intrò ſumuntur gargariſmata ſuppurantia, ex decocto caricarum, rad. malu. ſeminis lini, fœnugræc. floribus camomill. Vbi

tumor ſuppurauerit, niſi ſponte naturæ rumpantur, ſcalpello debent aperiri, poſt detergeri aqua mulſa, & ſimilibus. Poſtremo cicatrice obduci, vt ſuperius dictum eſt. Quibuſdam tonſillarum inflammatione laborantib. nati ſunt in collo infra aures ſinguli tumores, quibus apertis pus profluxit, vlcera tonſillarum non facilè coërcentur, præſertim maligna cum ſint in collo calidiore & humidiore, ac excrementis ſuſcipiendis adeóque putredini opportuno. Quod ſi ſanies ab illis dimanans intro deſtillet, maximum internis viſceribus incommodum adfert. Tangantur ea bacillo vel ſpecillo bondace munito, qui immerſus ſit in aqua aluminoſa, aqua ſublimati, aqua forti, & ſimilibus ſupradictis. Quod ſi ea vlcera à Lue Venerea ortum habuerint confugiendum ad decoctum Guaiacinum & illitum ex hydrargyro. Sub his enim remediis funditus peribunt & extinguentur.

COLVMELLÆ affectus.

INFLAMMATIO.

COLVMELLÆ inflammatio miſſione ſanguiuis è cephalica; dein è venis ſublingualibus & appoſitione cucurbitularum in lateribus colli. Gargariſm. primum adſtringentibus, ex decocto gallarum, roſ. rub. plantag. vuæ acerbæ, pomorum & pyrorum, ſylueſtrium, ſorborum,

borum, mororum, malorum granatorum acidorum, ex aqua roſar. plantag. quibus acetum vel ſimplex vel roſatum additur. Extrinſecus admouentur reſiccantia, non humectantia. metus enim eſt ne relaxetur columella. Quod ſi gangrænam minetur in quam cito migrat, quod internæ oris partes putredini ſint admodum obnoxiæ ſcarificetur, & abſcindatur, vti mox exponetur.

RELAXATIO.

RElaxata columella curatur pituitæ purgatione, corroboratione & exſiccatione cerebri ſuffitibus, ſacculis, Emplaſtris, gargariſmatis adſtringentibus, quæ dum æger ore tenet, caput habeat ſupinum, vt ſcilicet tangant partem affectam frequenti eiuſdem partis ex tenuiſſimo puluere piperis longi, quod exſiccando, calfaciendo, & pituitam abſorbendo leniter adſtringit, vel ex ſale vel alumine appoſito ſuper gladium non acutum aut ſuper paruam ſpatulam. His enim pulueribus contactu columella contrahetur, ſurſúmque remeans, breuior euadet. Præter ſupradicta ſyncipiti raſo admouetur Emplaſtrum paruum ex pice, cuius ope dicunt columellam eleuari & fluxionem quæ à cerebro in eam decumbit reuelli ac ſiſti. Mulierem noui quæ digito indice contactam columellam in ſuum locum reponit. Si autem perſeuerans in ſua magnitudine periculum ſuffocationis adferat, ea aut ferro procidenda, aut cauſtico vrenda. Neque tamen nimis præcipitan-

I

da eſt abſciſſio ſi vllo alio remedio poſſit ſanatio abſolui, quod aliquando ex ea abſorptione, & vox lædatur & excitetur ſanguinis profluuium, quod ægerrimè ſiſti poteſt. Antequam autem abſcindatur videndum eſt, qualis ſit figura & color. Non enim tangenda eſt ſi ſit rotunda in inferiore ſui parte, & ſuperiore gracilis veluti ex pedunculo pendente, aut etiam ſi valdè rubicunda ſit & veluti cruenta, id eſt guttis ſanguinis perfuſa, aut ſi dolorem inferat. Talis enim ſi tangatur in carcinoma facilè tranſit. Contra ſi tenuis ſit & oblonga & in ima ſui parte, nec valdè rubicunda ſed albicans tutò poteſt abſcindi, ita tamen vt id ſolum abſcindatur, quod præter naturæ modum eminet. Huius verò exſcindendæ rationes tradunt Aëtius tetrabibl. 2. ſerm. 4. cap. 41. Paulus lib. 6. cap. 31. Paræus lib. 7. de tumoribus, cap. 7. Non ita pridem à quodam huius ciuitatis chirurgo columellam compreſſam vidimus inſtrumento quodam chirurgico, quod roſtrum coruinum vocant, ore ægri prius valdè aperto, dein altera manu partem columellæ, quæ erat infra illud inſtrumentum forcipe abſcidit, indeque nullus dolor, nulla inflammatio, nulla hæmorrhagia conſequuta eſt. Cum autem ea fuerit amputata æger gargariſet poſcam, leuiter tamen. Metus enim, ne magnam & linguæ, & aliarum oris partium agitationem hæmorrhagia conſequatur. Addi etiam poteſt alumen, & ſi ſanguis immodicè profluat ad puluerem è vitriolo, vel ol. è vitriolo confugiendum. Quod ſi

æger

æger ferrum reſpuat abſumenda erit adurente medicamento ex aqua forti. Adurendi ratio traditur à Guidone Gauliaco.

AD SPINAS GVTTVRI INFIXAS EXIMENDAS.

SI in fauces acutum oſſiculum piſcis aut aliud quodlibet incidit; tuſſis prouocetur, & ſternutatio. Nam ex vehementi agitatione, & ſpiritu vehementer expulſo illud ſolet excerni. Quod ſi id quod infixum eſt ore aperto ſub aſpectum cadat volſella apprehenditur, cum verò in inferioribus locis delite ſcit, ita educitur. Spongiam paruam Therebinthina immerſam valido filo colligatam æger deglutiat, & mox comprehenſam per alligatum filum rurſus extrahat. Hoc enim modo, ſæpe etiam id quod infixum fuit ſimul & ſpongia cui adhæret educitur. Panis etiam recenter è furno extracti bolum deglutiat aut caricam citra manducationem. Cum autem inferius penetrarit aquam mulſam exhibe iuſcula pinguia, & quæcunque ſuo lentore hunc meatum oblinunt. Vomitus aut digitis aut penna oleo intincta excitatur. Interdum id quod infixum eſt, vna cum iis quæ in ventriculo continentur, educit.

FAVCIVM AFFECTVS.

ANGINA.

CVm angina atrociſſimus morbus ſit, vt qui intra tertium diem, interdum primo die iugulet, ſtatim initio ſummis remediis debet oppugnari. Protinus ergò mittendus ſanguis è cephalica, aut ſi ea non compareat, ex mediana ad ℔. j. ℔. j. ß. ℔. ij. non tamen vna vice metu ſyncopes, ſed partitè. Venæ etiam ſub lingua inciduntur, & ceruici ſúbque mento cornua ſeu cucurbitæ admouentur, quæ remedia poſtridie ſi opus ſit iterantur. Contegitur collum lana ſuccida imbuta oleo liliorum, camomel. amygdal. dulc. quibus axung. gallinæ recens, butyrum, inſulſum, & crocus miſceri poſſunt. Sunt qui ad repellendum humorem influentem imperant gargariſma ex auſteris, acerbis, guſtui non ingratis comparatis, vt ex aqu. roſ. plantag. caprifol. granatorum, ſucco ſorborum, prunorum ſylueſtr. vel ex decocto aſtringentium, in cuius ℔. j. diſſolue diamoron, aut dianucum. ℥. j. aut ℥. j. ß. quod fit ex ſucco cort. virid. nucum iugland. cui vna pars mellis additur. Gargariſmatum tamen vſus in hoc affectu mihi ſuſpectus eſt, quia partes inflammatæ quiete indigent. gargariſmate autem guttur, & fauces commouentur. Ergo aut ab iis abſtinendum, aut certè ore tantum citra vllam agitationem contineri debent, idque

reſupino

reſupino corpore, vt partem affectam contingant. Quod ſi inflammatio ſuppuret, puris promotio procuranda eſt, tum, intrò ſumptis, vt gargariſmat. ſuppurantibus factis ex rad. biſmalu. ſem. lini, caricis pinguibus, & ſimilibus. Tum etiam admotis, vt Cataplaſmatis ſuppurantibus. Valleriola ſequens Cataplaſma valdè commendat, quod egregiè humorem foras euocet, euocatum diſcutiat, aut ſi diſcuti nequeat, in pus conuertit. Eius efficaciam in duobus anginoſis anno ſuperiore ſum expertus.

♃. Nidum hirundinis integrum, id eſt cum terra paleis & ſtercore, bulliat in oleo camomelino, liliorum, piſtetur, & ſetaceo cribro tranſmittatur, addendo ſtercoris ſicci canis oſſibus (vt minus fæteat, & magis ſiccet.) nutriti ℥. ij. œſypi humidi ℥. j. ol. liliorum, q. ſ. fiat puls inſtar cataplaſmatis admouenda anteriori parti colli ſub mento. Vel coquitur nidus hirundinis integer in aqua cum rad. althææ, liliorum alborum, fol malu. biſmalu. caricis ping. dum omninò molleſcant. Poſt teruntur in mortario, poſtremo per cribrum tranſmittuntur. His dein additur farina ſeminis lini, farina frumenti, axung. gallinæ recens, butyr. inſulſ. ol. liliorum, & crocus. Sunt qui puluerem ſtercoris canis exſiccati, & cinerem hirundinum in furno, detractis eorum capite & plumis crematarum cum melle aut axungia porci miſcent, & ita admouent. Quod ſi tumor ſuppurauerit, quod ex ſymptomatum remiſſione cognoſcitur, nec tamen is ſponte naturæ rumpatur, ægri os per ſpecu-

tulum oris valdè aperiatur, & vbi apparuerit tumor ſcalpello incuruo, quod biſtorium vocant incidatur, aut æger digitis in fauces immiſſis eum rumpere conetur. Beneuenius cuidam angina latente, ſtrangulante, affecto & iam conclamato incîdit locum altioribus plagis ſub ipſis maxillis & etiam ſupra collum, vnde ſanie multa prorumpente illum à morte ad vitam reuocauit. Rupta vomica æger inclinet caput ne pus in pulmones irrumpat, dein ad detergendum vlcus gargarizet hydromel, vel œnomel. deterſum vlcus cicatrizabitur gargariſmate ex aq. aluminoſa comparata. Quod ſi tumor verſus latera aſperæ arteriæ foras erumpat, ſcalpello aperitur, & apertum detergetur communi mundificatiuo, deterſum cicatrice obducetur. Interim toto morbi decurſu æger vitet frequentem loquelam, & quaſuis animi perturbationes. Alatur iuſculis aut clyſteribus nutrientibus ſi iuſcula deglutire nequeat. Initio morbi longo ſomno ne vtatur, quia is in angina, vt & in aliis internis inflammationibus nocet, quia in ea ſanguis intrò repit. Quod ſi, vt interdum accidit, deferuente inflammatione tumor non ſuppuret, ſed induretur, remolliendus eſt Cataplaſmate facto ex radic. bryoniæ, cucumer. agreſt. fol. parietariæ, origani, calamen h. centaurij minor. caricis pinguibus, ſemine lini, fœnugræci coctis, tuſis, cretis, addito poſtea butyro recenti, axungia anſeris, puluere hirundinum combuſtarum, ſtercore ſicco, canis oſſibus nutriti, ſulphure & oleo anethino.

THO-

THORACIS PVLMONVM ET CORDIS affectus.

ASTHMA.

EAdem Orthopnææ quæ aſthmatis, & eadem aſthmatis quæ catarrhi in pulmonem influentis curatio. Eáque duplex: vna quæ paroxyſmo conuenit. Altera quæ paroxyſmum fieri prohibet. Cum ergo aliquem adoritur, baſilica ſtatim ſecanda, maximè ſi ſit plethoricus & validus, ſeque veluti laqueo ſtrangulari conqueratur. depletis ſanguine venis liberior erit reſpiratio. Quod ſi hoc ſymptoma ſit vetus & aſſuetum, pleriſque iam miſſus ſanguis fuerit, ab eo remedio abſtinendum. Licèt enim ſymptomati ſuccurrat, eius tamen cauſſam fouet. Exhauſto enim per venæ ſectionem ſæpius repetitam calore, qui in ſanguine reſidet, magnus fit pituitoſorum humorum, qui hunc affectum excitant prouentus, Fernelius vbi venæ ſectioni locus non eſt, ipſo ſtatim inuaſionis tempore valid. purgat ad reuulſionem humoris in pulmones fluentis. Quod ſi vna purgatio non ſufficiat, adhibet & ei alteram dum fluxio magna ex parte ſit cohibita. Cuius cõſilium pleriq; ſequuntur. Conueniens purgatio ex diacarthamo, & ſyr. roſ. laxatiu. ana. ℥. ß. diſſol. in vini albi, & aquæ ſcabioſ. aut hyſſopi, ana. ℥. iij. Vel ex maſ. pillular. aurearum aut cochiarum, & de agaric. ana. ʒ. ß. cum gr. iij. trochiſcorum alhandal. malaxatis omnibus cum ſyrup. capil. ve-

ner. aut ex gr. xij. ſcammonij optimi, cum ʒ. ß. mithridatij, aut ex caſſ. ℥. ß. diaprun. ſolut. & diacarth. (ſi æger iecur habeat calidum) ʒ. iij. Sunt qui clyſteres acres ad reuulſionem humoris in pulmones decurrentis indant, quibus tamen abſtinendum cenſeo, quia tumefaciunt inteſtina. his autem diſtentis comprimitur diaphragma, & per conſequens pulmo, vnde euadit difficilior reſpiratio. Sed neque vomitum in ipſo paroxyſmo cenſeo prouocandum, quod is ſit ſuſpectus in quouis thoracis affectu, maximè verò ſuffocante. Purgato corpore æger vtatur bechicis coquentibus, tergentibus, & craſſitiem humoris incidentibus, vt ſyr. capill. vener. glycyrrhizæ, hyſſop. praſſio, oxymelite, quod incidit ob acetum & terget ob mel, adeoque ſputum prouocat & facilitat. Ad idem conueniunt looch ex puluere diatragacanth. frigid. ſucco liquiritiæ, penidiis, ſaccaro cando, ex ſyr. capill. vener. hydromelit. in quo decoctum ſit hyſſopum. Syrupus ſolemnis thoracius comparatus ex polypod. poſſul. iuiub. ſebeſten. dactyl. ficubus, glycyrrhiza, hyſſopo, ſcabioſa, vngula caballina, praſſio, ſemine bombacis, fœniculi, in ℔. j. diſſolue ſucci vngul. caballin. & ſcabioſæ, ana. ℥. iiij. ſucci hyſſopi, ſaccari, & mell. optimi, ana. quar. iij. aromatiſetur. ℥. ß. rad. ireos florent. & ʒ. ß. cinamomi. hoc ſyrupo vtatur æger ex cochleari omni hora. At quia dilatato thorace facilis fit reſpiratio, ad eum dilatandum, quidam cucurbitulas ei admouent. Leniunt etiam thoracem oleo liliorum, chamemel.

mel. amygdal. dulc. butyro inſulſo, axung. gallinæ, mucilag. ſem. lini, fœnugræci, extractæ in aqu. vngulæ caballinæ. Superponitúrque linteum calidum aut cotto linteolo aſſutus, aut lana ſuccida. Suffiuntur etiam integumenta capitis extra cubiculum, cauendo maximè ne eum ſuffitum æger ore excipiat. Hic enim non aliter ac quilibet alius fumus in aſthmatis paroxyſmo reſpirationem facit difficiliorem. Teneat interim caput & thoracem eleuatum. Nam in ſupino decubitu à thorace comprimitur pulmo, vnde difficilior eſt reſpiratio. Verſetur in ſumma tum animi tum corporis tranquillitate. Durante paroxyſmo (modo non ſit diuturnior) abſtineat à cibo & potu, quo enim venter magis turget, & minus facilè fit reſpiratio. Sunt qui aquam cinamomi ex cochleari ſumptam ad leniendum aſthmatis paroxyſmum præſentaneum remedium eſſe dicunt, vt oleum ſalu. roriſmarin. & aniſi arte chymica extract. quorum guttæ. 3. 4. aut 5. cum vino propinantur, vel his aſperguntur, vel irrigantur tabellæ diatragacanth. frigid. quæ ægro vorandæ dantur. Dodonæus ſcribit, ſe fœlici ſucceſſu vſum ſæpiſſimè ℈. j. pulueris croci cum cochleari vini maluatici. Ego ſoleo in valdè ſenibus & pituitoſis, & frigido temperamento præditis aquam vitæ hyppocrat. exhibere. hæc enim egregiè coquit craſſos & pituitoſos humores flatus colliquat, & diſſipat, vires roborat, & ſputum facilitat. Cuius eſt hæc formula.

℞. Aquæ vitæ. ℥. iiij. aquæ vngul. caballin.

& ſcabioſ. ana. ℥. iij. ſaccari ℥. ij. cinamoni. ʒ. vj. traiiciantur per manicam Hyp. At verò ſoluto paroxyſmo, eiuſq; cauſa ſputatione repurgata, ne fiat eius reuerſio, capitis fluxionis origini prouidendum. Vtendũ ergo matutinis capitis frictionibus & cerebri, pectine verſus poſteriora. A capitis frictione quotidie manè mucus expurgetur per nares, ſucco ſaluiæ, maioranæ, anagallid. & ſimilibus. Sternutamenta etiam poterunt cieri, vt cerebri excrementa deſcendant in nares. Nec verò vtendum apophlegmatiſmis, quia in hoc affectu tuta non eſt humoris deriuatio, quæ fit per os ob vicinitatem faucium per quas fluxio decurrit à cerebro in pulmones. Interdum ſemel aut bis in quaque hebdomada manè ante lecti egreſſum capiti tonſo admouebuntur ſacculi ſequentes quàm calidiſſimè. Fiunt illi ex ſemine aniſi, fœniculi, cumini, baccis lauri, granis iuniperi, ſale communi, arena, fol. ſaluiæ, anthos torrefactis in ſartagine, mox repoſitis in ſacculo. Interim ſemel aut bis purgabitur quoq; menſe, vt antecedens morbi cauſſa ſubtrahatur. Ad idque fiet ſyrupus ſolennis ex bechicis ſupradic. in cuius. ℔. j. infundẽtur fol. ſen. ℥. iiij. agaric. ℥. ij. turbith ℥. j. Rhabar. ℥. j. ß. Doſis. ℥. j. ℥. j. ß. ℥. ij. ex cochleari. Duabus verò aut tribus diebus ante ſolitũ acceſſionis tempus purgabitur per dictum ſyrupum. Cuius ℥. j ß. cum ʒ. iij. diacar. diſſoluetur in decocto conuenienti vt cauſſa paroxyſmi aut prorſus aut aliqua ex parte ſublata prohibeatur, aut certè lenior fiat paroxyſmus. Ad deterſionem craſſorum humorum in pulmonis bronchiis impactorum, vtatur hydromelyte Enulatio,

latio, vino etiam enulato diluto aqua ſcabioſ. & ſimil. ad reuulſionem etiam eiuſdē humoris admoueatur cauterium occipiti aut brachiis quatuor digitis ab oſſe ſcapulari. Sunt etiam quibus placet medio pectori admoueri. Huc accedat victus tenuis ſiccans & attenuans. Abſtineat æger ab alimentis craſſos humores generantibus, pane azymo, carne ſuilla, extremitatibus animalium, piſcibus, caſeo à flatulentis vt caſtaneis, fabis, piſis, & ſimilibus. Ab aquoſis humores catarrhi materiam cumulantibus & leguminibus, fructibus crudis & horatiis ab acidis tuſſim prouocantibus. A vino & alio potu vaporoſo & caput replente, à ſomno meridiano, aëre veſpertino & nocturno, & à ſupino decubitu, quia in eo ſitu excrementa in aſperam arteriā à cerebro facilè decurrunt. Vtatur verò amygdalis, prunis, butyro inſulſo cum ſaccaro miſto. Sæpe toleret ſitim & famem, vt ſuperfluus humor abſorbeatur. Exerceat ſe lenta de ambulatione vſq; ad defatigationem & lōgum ſomnum vitet. Quia autem hic affectus contumax eſt, & ſub his remediis ne cedat, æger ſemel aut bis in anno, vti vere & autumno per 10. aut 15. dies vtatur Guaiaco, & ſemel in die ſudorem excipiat in lecto, quarto tamen quoque die ab vſu guaiaci abſtineat, & eo die purgetur.

Peripnevmonia.

Peripneumonia pleuritide tanto eſt periculoſior, quanto Pulmo latere præſtantior, cordi vicinior, & putredini aptior. Periculoſa eſt, quæ ſuppurat, Nam vomica aut pus affatim excutitur in bronchia pulmonis, & tunc repente ſuffocat, aut in ſpacium thoracis effunditur, fitq;

Empyema. Periculoſiſſima etiam eſt, quæ pleuritidi ſuccedit, vt quilibet acutus morbus acuto morbo ſuccedens. Cum enim priore malo vires factæ ſint, noui alterius acceſſione, prorſus concidunt. Mors imminet, cùm æger inter reſpirandum ſtertit, cúmque extrema frigent, pulſu ſenſim deficiente. Curatur ſanguinis miſſione, ſputorum emiſſione & ſudoribus. Sanguis autem primo quoque die copioſè mittendus, neque tamen confertim, metu ſyncopes, ſed partitè. Niſi enim primis diebus copioſa fiat ſanguinis vacuatio, ſuppuratio metuenda eſt. Iam verò cum pulmo multo ſanguine abundet, requirátque peripneumonia copioſam ſanguinis vacuationem, tum quod fiat à ſanguine exuperante, tum quod occupet partem cordi vicinam, à quo exæſtuante multus ſanguis attrahitur, non debemus vreri, ter, quater, quinquies, ſexies, venam ſecare. Si tamen peripneumonia anginæ & pleuritidi ſuccedat, maiori cum religione ſanguis mittendus eſt, maximè ſi iam ſcopus fuerit prætermiſſus, ægrique vires ſint afflictæ. Mittitur autem è baſilica vtraque vel alterutra tantum quæ lateri affecto magis reſpondeat, in quo ſcilicet æger aut grauitatem maiorem ſentit, & ex quo ſputum potius euehi percipit. Promouetur ſputitio lenientibus, humectantibus, & expectorantibus, vt ſyr. capill. vener. iuiubino, violaceo, & aliis mox in pleuritide dicendis. Thoraci extrinſecus apponuntur laxantia, ol. violat. amygdal. dulc. butyrum inſulſum & ſimilia. Si aluus ſit pigrior, ſollicitanda clyſtere

clyſtere blando, aut caſſia. Vitentur autem cathartica vehementia. Nam præterquam quod nihil ex affecta parte extra hanc aut euacuent, vires etiam diſiiciunt. Adde quod alui fluorem excitant, qui peripneumoniæ ſuperueniens lethalis eſſe ſolet, vt annotauit Hip. in aphor. Vtatur iuſculis & aliis refrigerantibus. Potus ſit ptiſana. Notandum hic eſt, quod videntur quædam peripneumoniæ graſſari ex aëris malignitate genitæ alias ſalutares, ideóque magna ex parte lethales. Media quadam affectione pleuritide & peripneumonia compoſita, pleuritide tamen periculoſior iis ſæpe fit, quibus pulmones malè affecti coſtis adhærent. Effuſa enim in latus fluxio facilè rumpitur in pulmone morboſo, imbecillo & lateri alligato. Hinc à pleuritide diſcernitur, quod quidem habeat lateris dolorem comitem, ſed minorem quàm pro febris ratione, quodque grauis dolor vſque ad medium thoracem extenſus ſentiantur. Dein quod ſemel bis terve miſſo ſanguine dolor lateris conquieſcat, perſeueret autem febris, ſpirandi difficultas, ſputorum calore flauorũ aut rubrorum eiectio. Curatur pleuritis & peripneumonia ſanguinis miſſione, ex affecto latere, expectorantibus & topicis lenientibus.

PHTHISIS.

Phthiſis à pulmonis vlcere ſi ſit confirmata eſt incurabilis. Confirmatam indicant exſpuitio purulenta, tuſſis, alui fluor lientericus, pedum tumor œdematoſus, & ſumma totius corporis extenuatio. Sed neque incipiens

facilè curari poteſt. Tum quod vlcus, vt ſanetur, quiete opus eſt. At pulmo ob neceſſitatem anhelitus in perpetuo eſt motu, tum quod tuſſis hunc affectum indeſinenter comitatur, quæ vlcus ſemper refricat. Id ergo tantum proba victus ratione, idoneíſque remediis adhibitis in hoc affectu aſſequimur, vt vita ægri in longius tempus producatur. Incipiente morbo, ſi plenitudo adeſt ſanguis mittitur, nunc è dextra, nunc è ſiniſtra baſilica, vt vtraque pulmonis pars exoneretur. Et increſcente morbo cum opus eſſe videbitur, repetetur venæ ſectio, idque quandiu vires ferre poterunt. Et quia cacochymia bilioſa in pulmonem illabens ſæpè hunc affectum profert, ea erit medicamentis blandis, iiſque lenientibus euacuanda, vt per bolum caſſiæ, cui Rharbarb. miſcetur, vel per expreſſionem Rhei infuſi in decocto pectorali, cui adiiciatur ſyr. violat. ℥. ß. aut per ſimilia leniendo & corroborando vacuantia vitatis vehementioribus, vt ſcāmonio, turpetho, & ſimilibus, quæ præterquam quod nihil ex affecta parte educunt, vires etiam diſſoluunt, & alui fluorem acceſſunt in hoc affectu lethalem. At verò cum phthiſis eſt confirmata, ab omnibus purgantibus etiam blandis eſt abſtinendum, & aluus ſi dura ſit clyſtere blando, & leniente euacuanda. Præcipua ergò cura ſit bechicorum, quæ & ſputa facilitent & roborando pulmonis ſubſtantiam, putredinem inhibeant & retardent. Hic conueniunt ſyrupi omnes, qui leniendo & refrigerando tegere, & ſputa promouere poſſunt, vt violatus, iuiubinus, de tuſſilagine, capill. vener. glycyrrhyz.

cyrrhiz. in quibus poni poteſt portio quædam ſaccari, vt ſint vice looch. Quod ſi cruor in ſputis appareat, his miſcetur ſyrupus myrtillorum, roſarum ſiccarum, & parũ boli armeni, coralli, aut terræ ſigillatæ, vt leuiter ſiccando & adſtringendo ſanguinem ſiſtant. Fiunt & ad idẽ pillulæ ſublinguales hora ſomni tenendæ ex puluu. diatrag. frig. terræ ſigill. boli armeni. corallij, ana. ʒ. ß. ſucci liquiritiæ. ʒ. ij. pulueris liquir. ℈. ß. ſyr. myrtill. q. ſ. Sunt qui in pulmone vulpis arcanam quandam vim eſſe volũt ad robarandum pulmonem & vlcera eius tergenda & ſiccanda, & conſolidanda, & ex eius præparati puluere cum melle faciunt Eclegma; aut eius puluerem dant cum ſaccaro roſato. Sic autẽ præparant, in fruſta diuidunt, abluũt, & ex vino incoquunt leuiter in aq. roſarum. Rurſus lauant, deinde ſiccant. Sunt qui multa ad ſiccãdum & corroborandum cerebrum admouent, quæ vt vtilia ſunt, cùm catarrhus à capite defluens huius affectus cauſa eſt, ſic inutilis cùm vel vlcus ex rupto vel exeſo vaſe relictum eſt, vel cacochymia è iecore affluens huic malo cauſam dedit: quia verò corporis ſubſtantia plurimum continenter tum per ſputa, tum per inſenſibilem tranſpirationẽ abſumitur, plenior ſit victus, íſq; euchymus, & coctu facilis, ob febrem refrigerãs, idémq; liquidus, vt vias partim ob ſiccitatem contractas faciliùs ſubeat. Conueniunt ergo iuſcula carnium euchymarum, carnes gallinæ, caponis, perdicum, vituli, veruecis, & ſimilium, eæque elixæ potiùs quàm aſſæ, vt magis humectent, conſumpta ex carnibus euchymis diutiſſimè lento igne coctis dum tabeſcant. Expreſſa ex armo

ouillo, capo aut perdice aſſatis. Hordeata quia bene nutriunt & humoris acrimoniam obtundunt. Gelatina abſque vino & aromatibus confecta. Potus ſit ptiſana vulgaris, aut hydroſaccharum, aut hydromel, aut pomaceum ſecundarium, aut ſi primarium ſit, aqua dilutum. Cum autem deliquium aderit, vinum poterit exhiberi, aliàs nocebit, incipiente morbo, bis, ter, quaterve die nutriri ſatis eſt, At viribus labaſcentibus, tertia aut quarta quáque hora cibus dandus eſt. Neque enim ante obitum appetentia deſtituuntur, nec mori ſe putant, & ſæpe loquentes moriuntur. Nihil autem æquè porrigit vitam tabidorum atque lactis caprilli atque etiam aſinini vſus, quod recens mulctum hariatur ieiunè, quia cibo corrumpitur, aut tribus horis ante alium cibum miſcebitur, ſaccaro roſato: hoc enim præterquam quod in hoc affectu vtiliſſimum eſt, nutrit, terget, & conſolidat. lactis etiam concretionem in ventriculo impedit. Quænam autem ſint in eius vſu obſeruanda copioſè expoſui in cura Hectices.

PLEVRITIS.

Lateris dolor à flatu aut defluxione humoris frigidi à cerebro facta ſine febre diſcrucians purgationem deſiderat, eámque validam. Dabitur ergo aut Bolus ex caſſia, cui diaprunum laxatiuum aut diacartham, aut diaphœnic. miſcebuntur. Aut potio ex decocto pectorali, in quo phlegmagoga, quæ è diſtantioribus partibus humores euacuant, diſſoluantur. Aut pillul. coch. aur. & ſine quibus.

Purgato-

Purgato corpore ſi nulla ſit febris ſuſpicio, admouenda ſunt topica lateri, quæ humores in latere hærentes per halitum digerant. qualia ſunt fomenta ex ol. camomill. amygdal. amar. rutæ. Vel ſacculi comparati ex emollientibus & digerentibus, rad. altheæ, liliorum, ſem. lini, fœnugræc. rutæ, coctis in vino rubro, vel albo & aqua. vel ſacculi ſicci comparati ex hordeo, auena, ſale in ſartagine torrefactis. Remotis ſacculis pix Burgundica extenſa, vel ſi validius attrahere & diſcutere velimus, Emplaſtrum factum ex pice nauali, gummi pini, ammoniaco liquefacto, in aq. ſcabioſæ, thuris polline, & ſulphure, oleóque irino. Si tamen æger ſit plethoricus, valdè metuendum eſt, ne horum calidorum fotu, & Emplaſtrorum vſu plus humorum in partem affectam attrahatur, quàm euaporet. quod vt præcaueatur ante topicorum admotionem ſecetur baſilica lateris affecti.

Quod ſi neque venæ ſectione, neque topicis per aliquot dies continuatis ceſſet dolor; iteranda purgatio, & à purgatione fomenta humida lateri admouenda facta ex rad. altheæ, liliorum & ſemine lini, biſmaluæ, maluæ, fol. parietar. chamemel melilot. oleo liliorum, & butyro inſulſo reiectis ſiccis vt Emplaſtris, ne ſcilicet eorum geſtatione pulmones exſiccentur, & incaleſcant, vnde in phlogoſin aut peripneumoniam inciderent. At ſi lateris dolor febrem habeat comitem primo quoque die, neglectis fomentis, cataplaſmatis, & aliis topicis, ſanguis mittendus eſt, aluo prius ſi dura ſit emollita.

Mittatur autem ſemel aut bis, vel ter in die cum peracuta pleuritis eſt, ſemel autem cum leuis, rurſuſque denuo extrahatur, poſtridie & perendie ſi dolor lateris & ſpirandi difficultas perſeuerent. Imò etiam poſt ſeptimum, & vndecimum, ſi noua fluxio inciderit in latus. mittitur porrò è baſilica affecti lateris, quæ ſi non appareat è ramo baſilicæ, qui in os cubiti fertur, & ſi hic aſpectum fugiat è mediana pollice appreſſo cephalicæ, vt à ſola baſilica fiat euacuatio, & mediana non comparente incidenda potius cephalica eiuſdem lateris, quam baſilica appoſiti. Cumque id remedium ſit præſtantiſſimum, nunquam eſt omittendum, etiam in vteri geſtatione, in puerperio, in lochiorum aut menſium fluxione. Docuit enim experientia grauidis etiam in octauo aut nono geſtationis menſe, puerperis, & in non grauidis, quibus menſes fluunt. immò verò in infantibus & ſeptuagenariis pleuriticis ſanguine per baſilicam lateris affecti miſſo opportunè ſuccurri. Quantum verò in hoc affectu prodeſt venæ ſectio, tantum nocet purgatio, quamlibet blanda & leniens. Ea enim commotis humoribus fluxionem auget, aut ſi iam fluxio conſtiterat eam renouat magno ægri damno. Huc accedit quod in malis thoracis alui fluor noxius eſt. Ideo toto curationis decurſu à catharticis abſtinendum. Alternis tantum diebus aluus dura clyſtere remollienda. Interim dum hæc fiunt etiam ab initio morbi dolor lateris topicis erit leniendus. Dolorem leniunt

leniunt ea quæ blandè citra attractionem cutim rarefaciunt, vt ſunt ol. liliorum, chamemeli, amygdal. dulc. axung. gall. mucilag. ſem. lini, altheæ, extract. in aq. pectorali, & butyrum inſulſum. Sunt qui, vbi humor, qui pleuritidem committit biliosus eſt, admiſcent refrigerantia, vt ol. violatum locum in aceto, mucilag. pſyllij. Verum refrigerantibus in hoc affectu abſtinendum cenſeo, quia illa præterquam quod lateri ſunt inimica, humorem etiam reprimunt in cor & pulmonem, eumque impingunt, & incraſſant, adeoque ne perſpiret, prohibent. Potior autem eſt indicatio, quæ ſumitur à natura partis & ſitu, quàm ab humoris qualitate.

℞. olei liliorum, & amygdal. dulc. ana. ℥. j. ß. butyri inſulſi. ℥. ij. liniatur latus. Dein ſuperponitur lana ſuccida linteo conſuta.

℞. Mucilag. ſem. lini, & altheæ extract. in decocto rad. altheæ. ℥. ij. in quibus diſſolu. ol. liliorum, butyri recentis inſulſi, ana. ℥. j. ß. illinatur latus dolens, & ſupertegatur vt ſuprà

Progrediente verò morbo, remollientibus digerentia permiſcenda, vt ol. camomill. adeps. gall. anatis, muccago, ſem. fœnugræc. extract. in aq. aut decocto camomillæ Quidam in his inunctionibus ceram miſcent, ſed ab ea quia tranſpirationem prohibet abſtinendum cenſeo. Fit & Cataplaſma ex rad. althææ, liliorum, ſem. lini, fœnugræci, fol. malu. violar. parietar. melilot

camomill. coctis, tuſis, & cribro cretis, quibus additur oleum liliorum, butyrum inſulſum, farina lini, & fœnugræci, oleum camomillæ. Illud Cataplaſma ab illitu admoueatur, & aptè caleat linteo calido ſuperſtrato. Ruſtici ſtercus bubulum cum butyro frigunt, & parti admouent in modum Cataplaſmatis. Inclinante morbo ſi quid lateri ſit impactum digerendum eſt hoc Emplaſtro, quod per aliquot dies etiam ſedata febre geſtari poterit.

℞. Maſſæ Emplaſtri de meliloto, & de mucilag. ana. ℥. j. ß. ſtyracis. ℥. ß. ſpicę nardi. ℈. iiij. ſulphuris vini. ℥. j. miſce, & cum therebinthina, oleo camomillæ liquata fiat Ceratum.

Sunt qui picem Burgundicam ſuper alutam extenſam lateri admouent. Cum autem humoris in thorace & latere contenti à venæſectione relicti vnica purgationis via ſit per aſperam arteriam omni morbi tempore bechicorum vſus eſſe debet. Si humor ſit calidus & tenuis, conueniunt inter bechica lenientia, tergentia, refrigerantia, ſyrup. violat. Elect. diatragacanth. frigid. Et progrediente morbo ſyrup. iuiubinus, capill. vener. glycyrrhiz. & inclinante morbo ſyrup. de hyſſop. de praſſio, & aliis lenientibus, vt violaceo temperatus. At ſi humor ſit frigidus & craſſus, ſtatim ab initio conueniunt ſyrup. iuiubinus, capill. vener. cum parte ſyrup. de hyſſop. Si cum his ſyrupis miſceantur Elect. diatragacanth. diaireos, ſuccus glycyrrhizæ, ſaccarum candum, penidiæ fit Eclegma, lambendum baculo liquiritiæ contuſo, & immerſo, ſenſimque de-

deglutiendum, non confertim vorandum, vt e-ius portio in aſperam arteriam illabatur. Syrup. autem ex cochleari ſumuntur. Tenentur & ore ſaccarum candum, radix aut ſuccus liquiritiæ, penidiæ, alphœnicum. hæc enim detergent pulmones, & ſputum facilitant. Fiunt & iulepi bechici, ex ſyr. violaceo, iuiubino, capill. vener. diſſoluto in aquis cardui bened. ſcabioſæ. Et apozemata ex bechicis comparata, quibus vtendum bis in die. Victus ratio refrigeret & humectet. Conueniunt ergo iuſcula ex carnibus euchymis, gelatina è concreto ſucco carnium & ſaccaro confecta, conſummata. hordeum mundatum, mala dulcia cocta aſperſa ſaccaro, pruna damaſcena cocta ſaccaro condita. Potus ſit ptiſana vulgaris aut hydroſaccarum aut hydromel, ſi pleuritis ſit pituitoſa. Vinum toto morbi decurſu ne guſtandum quidem. Docet enim quotidiana experientia vinum omnibus inflammationibus aduerſari, & iam pene cunctas pleuritides & peripneumonias renouare. In ſumma virium imbecillitate præſcribatur deſtillatum reſtaurans in hunc modum, ſi æger diues ſit.

℞. Conſeru. borrag. violar. capill. vener. ana. ℥.ij. pulu. elect. diatragacanth. frigid. & diarmargarit. frigid. ana. ℥. ß. ſem. quatuor. frigid. maior. ſem. melon. & cardui benedict. contuſi, ana. ʒ.ij. decocti galli decrepiti cum bugloſſ. borrag. pimpinella, ſcabioſa alterati. ℔. iiiij. aquarum ſtillat. viol. ſcabioſæ, cardui benedict. vngul. caball. ana. ℥. vj. ponantur omnia in alembico vitreo, cum carne capi iuuenis, & duarum perdi-

cum fiat deſtillatio in Balneo Mariæ.

℞. prædicta deſtillati ℔. ß. ſaccari ℥. ij. cinamomi. ʒ. ß. coletur per manicam Hippocratis. Inprimis autem pleuriticus caueat à frigore, ideoque cubiculum in quo degit ſemper caleat, frigidus enim aër & lateri nocet, & ſputa cohibet, caput & thoracem paululum in lecto habeat erectum. Tum autem nec venæ ſectione pluries reperita, nec topicis nec bechicis prædictis pleuritis cedet, veniendum eſt ad ea, quæ ſaniem in latere collectam exſorbent, quæ in Empyemate exponentur, & ad ea quæ occulta vi internos abſceſſus rumpere & purgare creduntur, vt ſunt, dens apri tenuiſſimè pulueriſatus, cuius ʒ. j. aut ʒ. ij. cum aq. cardui benedicti aut ſcabiotæ, aut cum aqua vlmariæ diſſolutæ, dabuntur. Aut radicis vlmariæ ſiccæ & tritæ. ʒ. j. è vino albo diluto aqua cardui benedicti pota. Palmarius in deploratis pleuriticis ſæpè expertus eſt, pomum dulce & coctum, cui exempto corde ſaccarum, & aliquot pinguia olibani, & thuris granula incoxerint. Vrgente ſpirandi difficultate & ſtercore dantur qualibet hora, & ſi profuerint; repetuntur. Sæpè breui tempore craſſam & tenacem pituitam præpararunt & concoxerunt, vt illicò ſputis facilè prodeuntibus æger maximam alleuiationem ſenſerit.

EMPYEMA.

FIt interdum Empyema ex vulnere lateri inflicto, ſanguine è venis ruptis in capacitatem

tatem thoracis effuſo, ibique in pus conuerſo. Interdum pleuritidi aut peripneumoniæ malè curatæ ſuccedit, cum ſcilicet ſanguis non eſt miſſus, aut cum quidem miſſus eſt, ſed in minore copia cum ſcilicet plus ſanguinis in latere aut pulmone relictum eſt, quàm ſputis expurgari poſſit. Inde enim fit abſceſſus, quem conſequitur ſuppuratio. Qui autem ex pleuritide ſuppuratur, ſi in 40. diebus purgatur, numerando à die qua facta fuit ruptio, liberantur, ſi verò non, in tabem vt plurimum incidunt, vt habetur aphoriſm. 15. libro quinto. vt autem euadunt qui firmis ſunt lateribus, & pulmone integro, puſque recipiunt laudabile, album ſcilicet, læue, & æquale citra vehementem tuſſim: ſic contra moriuntur, qui pulmones ſemiputres, & coſtis alligatos habent, quique ob virium imbecillitatem tuſſire nequeunt. Tuſſis enim, vnica via eſt ad reiectionem eorum, quæ in pulmone continentur. Aut qui pus exſpuunt tenue diuulſum, fæculentum, oleoſum, nigrum, liuidum, viride. Idque cum validiſſimo labore, & vehementiſſima tuſſi; vti habetur apud aphor. Hippoc. 63. libri ſecundi prognoſt. & aph. 40. libri ſeptimi. Non autem omne pus in quacunque parte fuerit collectum, quia præter naturam eſt, ſui ablationem indicet. Empyema autem ſit puris in capacitate thoracis collectio. Pus illud foras euacuandum venit. Euacuatur autem vel per os tranſſumpto pure è capacitate thoracis, q in aſpera arteria pulmonis, vel per latus, latere vel per ſcalpellum, vel per caute-

rium aperto, vel per aluum & veſicam natura pure viam per meatus ſibi cognitos nobis incognitos molliente; quod licet rarò contingat, obſeruatum eſt tamen in quibuſdam. Ad ſaniem è pulmonibus & thorace per os expurgandam eadem bechica conueniunt ſuperius in cura phtiſeos & pleuritidis expoſita. Cum verò nulla ſpes eſt pus & ſputa per os expurgari, veniendum ad lateris vſtionem vel ſectionem, quod tamen non niſi aliis tentatis remediis eſt faciendum. Hippocr. præfert vſtionem ſectioni, cuius ſententiam ſequitur Galenus. Cheirurgi autem potius ſecant quam vrunt. Vult autem Hippocr. ſectionem quam proximè ad ſeptum tranſuerſum ferri; ita tamen vt ſeptum non lædatur. ob quam cauſſam Amatus Luſitanus contendit ſectionem fieri debere, intra ſecundam & tertiam coſtam computando à nothis coſtis, quod ſepto tranſuerſo ea ſectione nocere nequeat, vt ſeſe expertum affirmat. Cum etiam extendatur ſeptum propè primam coſtam notham, tantumque ſit interuallum inter ſeptum, ſecundamque & tertiam coſtam, vt citra ſepti læſionem ſectio in ea parte fieri poſſit. Paulus tamen inter tertiam & quartam coſtam. Alij inter quartam & quintam. Sunt qui inter quintam & ſextam. Sed ſectione inter quintam & ſextam facta pus maiori cum difficultate, nec niſi eleuatis cruribus & prono capite expurgari poteſt. Debet autem fieri ſectio ſecundum coſtarum inceſſum, idque in inferiori parte coſtæ, quod ſcilicet ſuperiore vena, arteria, & neruus in-

uius ineſt, Apertione facta ſenſim pus euacuandum eſt. Suppurati enim & hydropici, qui vruntur aut ſecantur, vt notauit Hippoc. in aph. ſi pus aut aqua vniuerſim effluxerit, moriuntur. Dein in thoracis cauum iniectiones detergentes immittuntur, quibus per ſyringam extractis (Cauendum enim ſi fieri poteſt ne quod intus remaneat) admouebitur turunda argentea aut plumbea, foraminibus in imo pertuſa, vt per ea foramina pus vigilanti & dormienti euacuetur. Interim vtatur æger bis quoque die potione vulneraria, quæ ſanguinem expurgandi, di, & clarificandi, vlcera tergendi, & putredinem inhibendi vim habet; cuius hæc ſit formula.

℞. Saniculæ, buglæ, ſcabioſæ, beton. hyperici, cardui benedicti, piloſellæ, pimpinellæ, vincæ peruincæ, agrimoniæ, plantag. ana. M. j. ſeminis hyperici, cardui benedicti, ana. ℥. ß. florum cordial. ana. p. j. coque in hydromel. ad ℔. j. de qua iniiciatur etiam ad thoracis cauum. Victus idem ſit, qui in phthiſi. Hic etiam conceditur lactis aſinini vſus, ſi neque febris grauis, nec viſcerum obſtructio. Detur autem recens mulctum, & ex pauco melle vel ex ſaccaro exceptum.

SPVTVM SANGVINIS.

Coniuncta hæmoptoſeos cauſſa eſt, vel ruptio, vel exeſio, vel apertio alicuius venæ, aut oris faucium, aſperæ arteriæ, aut pulmonis, aut thoracis. Interdum tamen, ſanguis qui

ſcreatu redditur è naribus è quibus fluxio in fauces relabitur. Rumpitur vena ab ingenti clamore, caſu ab alto, ictu, & maximè ſanguinis copia, quá interdum & plenior victus & menſium hæmorrhoidúmve ſuppreſſio accumulauit. Rupta vena ægrè coaleſcit, & ſæpè tanto impetu ſanguinem fundit affatim, vt repentina mors conſequatur. Statim ab initio ſanguis auferatur venæ ſectione, non affatim ſed partitè. Sic enim melius reuellitur ſanguis & ſeruatur virtus. poſtridie repetatur venę ſectio ſi ſanguis adhuc ſpuatur ægerque validus ſit & plethoricus. Nam ſi eius vires ſint infirmæ, & ſanguinis adſit penuria parcè ſanguis mittendus eſt. Quod ſi ſuppreſſio menſium & hæmorrhoidum huic ſymptomati originem dedit, ſecabitur prima die baſilica eius lateris, in quo aliqua eſt doloris coniectura; cuius ſi nulla ſit, nunc ex vno, nunc ex altero latere detrahendum. Interim primo quoque tempore, & ante venæ ſectionem, & poſt eam, adſtringentes opiatæ, ſyrupi, tabellæ præſcribendæ. Opiata fit ex conſeruis roſarum, ſymphyti, carne cydoniorum, puluere boli armeni præparati, id eſt loti in aq. roſarum, & ſiccati, terræ ſigillatæ, corallij, margarit. eboris vſti, & ſimilibus. Ex his cum ſyrupo myrtillorum, roſarum ſiccarum, cydoniorum. Fiant Opiatæ, & cum ſaccaro condita & Electuaria huiuſmodi.

℞. Conſeruæ ſymphyti maior. roſarum, ana ℥. j. boli armen. præparati, terræ ſigillat. ana ʒ. j. ſyrup. roſ. ſiccat. q. ſ. fiat Opiata, teneat ſæpè in ore & ſenſim deglutiat. Conditum.

℞. Con-

℞. Conſeru. roſ. ſicc. ℥. iij. Trochiſcorum de Carabe, & de terra ſigillat. ana. ℥. ß. margarit. elect. ℈. j. ſaccar. roſ. q. ſ. fiat conditum, capiat cochlear. j. hora ante paſtum. Elect.

℞. Terræ ſigillat. bol. armen. corall. ana. ʒ. ß. pulu. elect. diatragacanth. frigidi. ʒ. j. ſaccari in aq. roſ. diſſoluti (cui quidem aquæ infuſæ fuerunt roſæ ſiccæ) ℥. iij. fiat Elect. per tabellas minimas in forma pillularum ſublingualium. Fiunt etiam ſyrupi, iulepi, potiones, & Eclegmota adſtringentia, & ſanguinem ſupprantia in hunc modum.

℞. aqu. roſ. plantag. centinod. portulac. ana. ℥. iiij. Trochiſcorum de Carabe, & de terra ſigillata ana. ʒ. ij. ſyr. roſ. ſiccar. ℥. iiij. fiat iulep. Syrup.

℞. rad. oxalyd. pimpinell. cichorij, paſſul. cum toto contuſ. balauſtiorum, ſumach. myrtill. ana. ℥ ß. ſeminis plantag. ʒ. iij fol. centinodiæ, plantag. & ſolani vtriuſque roſarum rubr. portulac. ana. M. j. fiat decoctio ad ℔. j. in colatura diſſolue ſaccari roſati. ℔. j. fiat ſyrupus aromatizatus bolo armeno, & ʒ. j. ſantali citrini, cape ex cochleari omni hora. Potio.

℞. Decocti roſ. & plantag. centinod. ſem. papau. albi, & ſem. frigid. maior. ℥. v. diſſolue boli armeni præparati. ʒ. j. ſyrup. cydon. ℥. ß. fiat potio. Looch.

℞. Bol armen. terræ ſigillat. ana. ʒ. ß. ſyrup. myrtill. & roſ. ſiccarum, q. ſ. fiat Looch, vtatur cum baculo liquiritiæ. Looch ſequens efficax eſt ad omnem ſanguinis reiectionẽ à quacunq; cauſſa

profectam & guſtui iucundum, paratuque facile. Album oui tamdiu agitatur, quouſque ſpuma in aquam ſit conuerſa. huic par ſaccari roſ. pulueriſati pondus admiſcetur & amyli. q. ſ. ad looch conſiſtentiam. Dum hæc fiunt cucurbitulæ iecori admouentur, & his ſublatis, epithema ex aq. roſarum, plantag. cichor. camphoræ, & pulu. electuar. triaſantal. Lumbi etiam & ſpina dorſi illiniuntur oleo roſ. nymph. papaueris in aceto lotis, quibus additur camphora, vt ſanguinis in vena caua collecti feruor temperetur. Sunt qui pectori olea adſtringentia, vt cydoniorum, roſarum, mytillorum, admouent, & Cataplaſ. ex ſanguinem ſupprimentibus. Sed ea mihi minus probantur, quod parum prodeſſe poſſint extrinſecus adhibita; multum verò nocere, quod frigiditate ſua tuſſim excitent, quam maior ſanguinis fluxio ſit exceptura. Inter adſtringentia quæ initio ſumuntur primas tenet Rhabarb. in ſubſtantia exhibitum cum conſeru. roſar. vel cum pulpa carnis cydon. vel diſſolu. in aq. plantag. & roſarum, addita ſyr. roſ. ſicc. ℥.j. Puluis è limacibus in tegula ſiccatis ſtrenuè glutinando ſanguinem ſupprimit. Inditur in Catapotia facta ex Rhabarb. & aliis ſimilibus. Datur & ſolus ex cochleari, & cum ſaccaro roſato & corallo miſceatur. Quod ſi his non ſiſtatur ſanguis, confugiendum eſt ad narcotica, quæ tenues humores incraſſant, crudos refrigerans. & præterea ſomnum qui euacuationes omnes præter ſudorem cohibet, conciliat. Rectè ergo vſurpantur philonium, & athanaſia modo ſint

ſint recentia. Nam Opij efficacia poſt ſex aut ſeptem menſes à calidis ſic obtunditur, vt aut nullus, aut obſcurus effectus conſequatur. Experientia verò docuit pillulas ex opio in rem præſentem paratas nulli vnquam fuiſſe noxias, modo illius quantitas ſingulis naturis accommodetur, & non niſi validis exhibeatur. Dentur autem Opij in pillulis pro quaque doſi grana. ij. iij. In clyſteribus verò, gran. iiij. Corrigitur autem Opium, caſtoreo, mithridatio, croco. Datur autem philonij, aut athanaſ. ℨ. ß. ℨ. j. in potionibus, & in clyſteribus. ℨ. ij. vel iij.

Victus ratio refrigeret, humectet, adſtringat, incraſſet, vt ſanguinem ad fluxum reddat ineptiorem. Conueniunt ergo iuſcula ex refrigerantibus, & adſtringentibus herbis alterata, vt lactuca, portulaca, plantagine.

Extremitates animalium, quæ ſanguinem incraſſant. Acetaria ex lactuca, plantagine, pimpinella, ſummitatibus ruborum, in aceto & oleo conditis. Hordeato ex aqua plantag. roſar. comparata cum ſaccaro roſato, mala cydon. pyra cocta, caſeus recens, non ſalſus. Intingantur etiam carnes ſuccis vuæ immaturæ, arantiorum, citriorum, & arantia & citria diſſecta. Immergantur in aq. roſar. & ſaccaro roſato. Cuius etiam ſaccari roſati vſus qualibet hora eſt conuenientiſſimus. Abſtineat æger ab omnibus ſalſis, piperatis, aromatis conditis, ficubus, amygdalis, nucleis pineis. Potus ſit aqua ſimplex vel chalybeata cum iulepo roſato val ſaccarata, vel iulep alexandrinus, vel ptiſana, vel pomaceum ſecun-

darium. Abſtineat autem à vino, aliiſque calidis portulentis, Quod ſi ex copioſiore ſanguinis fluxione vires langueant, concedi poteſt vinum auſterum aqua chalybeata dilutum. Fiat gelatina ex decocto pedum vituli, & arietis. Aër cubiculi in quo deget æger, ſit frigidus, decumbat in ſtraminea culcitra, in ſilentio & quiete contineatur. Loquutio enim thoracem & pulmones exagitat, ab ira, clamore, aliiſque animi perturbationibus ſibi temperet. Vena exeſa primis diebus exiguum ſanguinem fundit, dein copioſiorum, cum maior in ea facta eſt eroſio. In initio baſilica lateris dolentis ſecanda, ſed parcius ſanguis mittendus, quàm, cùm vena rupta eſt. Nam hæc cauſſa purgationem magis quàm phlebotomiam deſiderat. Purgatio ergo frequens ſit, ſed blanda, vt viſcerum impuritas antecedens huius affectus cauſa detergeatur. Commendatur caſſia, cathol. ſenna. Rheum. infuſum in decocto hordei, iuiubarum, ſebeſten, Tamarindorum, rad. cichorij, oxalid, oxylapath. liquiritiæ fol. capill. vener. beton. agrimon. ſcabioſæ, pimpinellæ, tuſſilag. ex quibus fient apozemata laxatiua in tres doſes, & ſyrup. magiſtral. laxat. ſemel aut bis in menſe ſumendi. Cum cruentum ſputum apparet, detur potius Rhabarb. infuſ. in aqua plantag. roſar. portulac. addito cort. myrobalan. citrinorum. In forti expreſſione diſſolue pulueris eiuſdem Rhabarb. cum tantillo terræ ſigillatæ, & boli armeni cum ſyrupo magiſtrali, vel in iiſdem aquis ſolus Rhei puluis diſſoluitur, vel miſcetur Rheum
cum

cum caſſia. Vitanda ſunt cathartica acria & vehementia, ut ſcammoniata, coloquintis, & ſimilia. Hæc enim calfaciunt bilem accendunt, & ora venarum magis aperiunt. Interim dum vena ſecatur, & purgatio adhibetur, adſtringentia intrò ſumuntur ad ſanguinem occluſa vena ſupprimendum. Potionis, opiatæ, conditi, tabellæ forma, quorum remediorum formulas iam exhibuimus, fit ad pulmonem roborandum, & tergenda eius vlcera ſyrup. efficaciſſ. ex ℔. ß. decocti ſymphyti vtriuſque pimpinellæ, plantag. cydon. & ex ℔. ß. ſucci tuſſilag. & ſaccari. ℔. j. percoctis omnibus in ſyrupum clarificatum, & aromatiſatum ſantalo citrino, & bolo armena. Hæ etiam tabellæ tergent, ſiccant, pulmonis corruptionem arcent.

℞. Succi liquiritiæ. ℥. ß. pulu. elect. diatragacanth. frigid. ʒ. ij. boli armeni, terræ ſigillatæ. ana. ʒ. ß. ſaccari in aq. roſ. infuſi roſ. ſiccatum, ſoluti. ℥. vj. fiat pillulæ ſublinguales, aut aliæ tabellæ paruæ, quas æger ſæpè teneat in ore, ibique ſinat liqueſcere.

His autem adſtringentibus locus tantum eſt, cum cruor in ſputis comparet, vbi enim ſuppreſſus eſt illorum loco vſurpanda ſunt bechica, quæ ſine inſigni calore leuiter tergent, ſiccant mediocriter, & purulentam saniem exſorbeant, quæ ſuperius in cura phthiſeos expoſita ſunt. Quod ſi forte tuſſis acerbior ſuppreſſum cruorem reuocat, ad narcotica confugiendum eſt, quorum vſus eſſe debet ea ratione, quâ iam expoſui. Si acris fluxio è capite in

pulmones illabens cauſſa ſit huius ſymptomatis præter ſupradicta, caput etiam ſiccandum roborandumq; propriis remediis: effluxio ſuſpendenda ſuffitib. ex vernicis, maſtiches, olibani, ana. ℥. ij. nigell. roman. ℥. j. roſ. rubr. p. j. Cucurbitæ ceruici & ſcapulis adhibendæ. Tandem verò cauteriæ brachiis & occipiti admouenda, vt in illis vſtis vlcuſculis deriuetur humor, qui in fauces & pulmonem irruebat. Si his malum nõ ſaneſcat. ſed tuſſis aſſidua vexet, ſputumq; ſit purulentum, confugiendum eſt ad vſum lactis caprilli aut aſinini, aut aliorum quæ in cura phthiſis expoſita ſunt. Vena pulmonis dehiſcens ſponte naturæ citra artis apem occluditur. Si tamen ſanguinis copia eiuſ ſymptomatis cauſſa ſit, ea venæ ſectione minuenda. Cũ autem per diapedeſin ſanguis è venis pulmonum effluit, aut venæ raritas, aut ſanguis tenuitas, accuſanda vtraque cauſſa oppugnanda eſt glutinantibus, & obſtruentibus. Itaque Alimenta conueniunt, quæ Emplaſticam vim habent & obſtruentem, vt frequens vſus pultis ex lacte vaccino & farina puriſſima, pedum vitulinorũ, & arietinorũ, & ſimilium. Non valdè periculoſa eſt ſanguinis expuitio, quæ à capite & naribus procedit. neque eget magnis remediis niſi admodum magna ſit, tuncque recurrendum ad ea quæ dicta ſunt capite de hæmorrhagia. Sanguis qui ſimplici excreatione citra tuſſim redditur, manat ex aliqua oris parte. Curatur autem manſa tantum portulaca, aut gummi tragacantho aut arabico, aut maſtiche aut ſyrupo myrtillorum, cydon. in ore detentis, aut gargariſmate refrigerante

rante & adſtringente ex aqua roſarum, ſolani, portulacæ, aceto roſato, & ſimilibus.

SYNCOPE.

INfinitæ ſunt Syncopes cauſſæ, quæcunque autem cauſſæ ſint. hæc in Paroxyſmo conueniunt. Supinus decubitus. Iniectio aquæ frigidæ in faciem. inſufflatio pulu. hellebori in nares, vini meraci, aq. cinamom. aqu. vitæ, & ſimilium ex cochleari in os & fauces immiſſio. Admotio panis adhuc calentis è furno propè meatum narium. frictiones & ligaturæ extremorum. vociferatio & ægri agitatio. At verò extra paroxyſmum cauſa quæ ſyncopem facit amouenda. hæc ſi fuerit malignus vapor ab vtero ſublatus, occurratur iis remediis, quæ dicentur in hyſterico ſtrangulatu. Sin vermes in inteſtinis contenti, eiiciantur ij amaris potionibus intrò ſumptis & Clyſteribus comparatis ex lacte, ſaccaro, vitellis ouorum. Si bilis acrimonia ſua orificium ventriculi vellicet, cienda vomitio. Purgatio danda, & acidis humectantibúſque feruor humoris contemperandus. Si ab inedia euchymo alimento vires fouendæ, pauco quidem, ſed ex interuallis breuioribus dato, vt iuſculis, expreſſionibus, gelatina, deſtillatis reſtauratiuis. Sin à largiore ſudorum profuſione ſiſti illi debent, tum aëris tum corporis refrigeratione & meatuum cutis obſtructione.

Refrigeratur aër cubili arte, turba hominum ingredi prohibetur, quia aërem calfacit; refrigeratur corpus detractione integumentorum. Obſtruuntur pori inunctionibus cutis ex

oleo roſat. myrtill. maſtiche.

Si ab hypercatharſi, datur ſtatim theriaca recens, aut ſi non ſit in manu antiqua, adde opij gr. ij. Capiat æger cum vino albo. Vngatur venter ol. cydon. myrtill. lotorum in aceto, fiant frictiones partium ſuperiorum & brachiorum. Detur etiam clyſter ex lactis bubuli ſufficienti quantitate, in quo extinctum ſit ferrum candens, in quo diſſol. tres vitellos ouorum, opij ℈. j. aut gr. vj. virium habita ratione, aut in locum opij athanaſiæ. ℥. ij. Narcotica ſtatim purgationem ſedant tum per ſe, tum per accidens, quia ſomnum, qui immoderatas omnes fluxiones præter ſudores cohibet, conciliant. Si ab hauſtu veneni vomitio ſtatim cieatur, & poſt dentur propria illius veneni alexiteria. Detur etiam lac, butyrum, & iuſcula pinguia, quæ veneni acrimoniam obtundant. In ſumma Syncope cum ſymptoma ſit, omnis medicamenti intenſio dirigi debet, ad tollendum morbum, qui eam excitat.

PALPITATIO CORDIS.

Palpitatio cordis vt plurimum fit à bile retorrida, in lienis, meſenterij, & vteri venis, vel à pituita cruda & ſeroſa in prima & ſecunda corporis regione cumulata. Cum enim humoris aut motu vehementiore, aut animi pathemate, aut vini meracioris, aliorúmque calidorum vſu commouetur: toties de ſe vapores fundit, qui in cor elati palpitionem excitant. Cor enim vt illum venenatum vaporem excutiat, ſeſe vehementer dilatat, nec enim prius æger deſinit, quam eum foras detruſerit, vel omnino defecerit,

vnde

vnde aliquando ſyncope, aut mors repentina conſequuta eſt. Huius venenati vaporis ſi magna ſit copia, non ſolum cor, ſed etiam arteriæ ab eo ortæ omnes ferè palpitant, præcipuè tamen quæ ſupra iugulum ſunt. Interdum verò accidit, vt illæſo corde dextri ſolius aut ſiniſtri lateris, ſæpè etiam ſolius occipitis aut ſolius ſyncipitis, aut alterius temporis arteria palpitet. E qua autem parte vapor ille efferatur ad curationem, internoſcendum. Si à liene, adſunt ſigna lienis affecti, vt vteri, ſi ab vtero. Sin è venis maioribus, ac toto corporis habitu, ſucco crudo referto, vt contingit in virginibus quæ pallidis coloribus laborant, adſunt manifeſta cachexiæ ſigna. Cum ergo atrabilarius & retorridus humor in corporis regione hoc ſymptoma excitarit, remedia ſint illius humoris præparatio, per ea quæ malignam illius qualitatem contemperent, vt frequens illius præparati purgatio, ſanguinis miſſio, & idonea victus ratio. Præparantia ſunt cortex rad. cappar. & tamariſci; polypod. cichorij, oxalid. oxylapath. fol. bugloſſ. borrag. endiu. ſcariol. capill. vener. ſem. frig. maior. ſyrup. de ſucco borrag. endiu. de ſcolopendr. ſaporis, epithymi, de cichorio ſimplici, capill. vener. Ex his fiunt iulepi, apozemata, & ſyrupi præparantes. Præparatus prædictis humor educetur apozem. laxat. facto ex fol. ſen. agaric. & Rhabarb. infuſ. in decocto proprio. Conuenit etiam Bolus ex Caſſia, cathol. confect. hamech. Fiunt etiam Opiatæ laxatiuæ ex iiſdem, quibus adduntur conſeruæ violarum, bugloſſ. borrag. &

ſimil. Fiunt & ſyrupi magiſtrales laxatiui. Nul-
lum catharticum erit efficacius ad illos atrabi-
larios humores euacuandos. Interim ſi vel in ſi-
niſtro vel in dextro hypochondrio ſit tenſio, aut
durities, vſurpanda ſunt, quæ poſtea in cura ob-
ſtructionum viſcerum tradentur. Balneum aquæ
dulcis ex decocto herbarum remollient. rad. al-
theæ, liliorum, ſemine lini, fol. violariæ, maluæ,
parietariæ, nullo remedio cedit. Malignam enim
humoris atrabilarij qualitatem egregiè domat,
ſiccitatem temperat, & præterea humoris melan-
cholici frigiditatem calfacit, craſſitiem attenuat,
eámque reddit purgationi obedientem, nullam
interim viſceribus noxam relinquens, ægerque in
eo ſudores excipiat. humectare enim volumus
non exſiccare. Fiunt & opiatæ & condita car-
diaca in quibus cauendum, ne cardiacis calidio-
ribus atrabilarius humor exuratur, aut nimium
refrigerantibus aut humectantibus melancholi-
cus humor reddatur frigidior & crudior. Hæc
ergo remedia ſingulorum naturis accommodata
viciſſim repetuntur, dum morbi focus ſit exhau-
ſtus. Nunc verò agendum nobis eſt de palpita-
tione, quæ fit à pituitoſis & ſeroſis humoribus
cumulatis in prima & ſecunda corporis regio-
ne. Puellæ fructuum & crudorum alimentorum
vſu, aut aquæ potu, in grauiſſimas viſcerum ob-
ſtructiones incidunt, appetente præſertim men-
ſtruorum purgationis tempore, ac tantam inſiti
caloris iacturam faciunt, vt fruſtata in iecore, &
ſingulis partibus concoctione, non niſi ſerum in
corpore ſuccreſcat. Sed & ſanguis ante mor-
bum in

bum in venis coadſeruatus breui tempore in ſerum totius degenerat, alias pituitoſum, alias bilioſum. Vnde facies omnibus decolor euadit, aliis tamen albidior, aliis liuidior, aliis flaueſcens, pro humoris ratione in eis dominantis, vnde vulgus hunc affectum pallidos colores vocat. Medicus autem Cachexiam pituitoſam, bilioſam, melancholicam. Eſtque pituitoſa aliis frequentior, leucophlegmatias principium, in quem affectum in ſenibus facilè tranſit. in iuuenibus ægrius. in his tamen accerſit œdematoſos tumores in pedibus, in tibiis, in facie. Neque verò tantum ex menſium ſuppreſſione, & inſanis amoribus oritur hæc affectio hoc argumento, quod puellas 6. aut 7. annos natas nihil eiuſmodi cogitantes, ac fœminas viri conſuetudine vtentes inuadit. Mœror & mœſtitia & frigidus victus ac humidus frequentiſſimè hunc affectum accerſit. Ex his enim cauſſis fiunt viſcerum obſtructiones, quas hoc ſymptoma comitatur. Signa huius ſymptomatis ſunt acidorum deſiderium, facies malè colorata, & ſubtumida, deiecta appetentia, febris lenta, pica, grauitas, & laſſitudo totius corporis, & frequentiſſima palpitatio, non cordis ſolum, ſed & temporum, & aliarum partium, præſertim per ambulationem & motum corporis vel minimum. Crudus enim humor leui occaſione in craſſum reſoluitur, qui arterias implens & praua qualitate cordi moleſtus, illud proinde atque arterias ad pulſandum ſtimulat. Pituitoſa cachexia victum poſtulat ſicciſſimum. Abſtinendum ergo ab elixis, ſorbitionibus, ſtu-

ctibus, & acidis omnibus. Potus ſit vinum album aut rufum aqua temperatum. Pomaceum generoſum bene defœcatum. Imperetur exercitium, & vitetur otium. Purgata (leui catharſi) prima corporis regione, pituitoſus humor præparandus, id eſt, calfaciendus, attenuandus, concoquendus, incidendus, quos effectus præſtat Apozema frequens.

℞. Rad. polypod. rad. aperit. calfacient Enulæ, ſem. carthami, ana ℥. ß. cum capillar. hyſſop. meliſſ. arthemiſ. maior. thymi, menthæ, abſynthij, epithymi, ana. M. j. ſem. aniſi, fœniculi, ana. ʒ. ij. fiat decoctio ad ℔. j. addendo in fine rad. angel. & gentianæ, an. ʒ. j. In expreſſ. diſſolue mellis deſpumati. ℥. iiij. fiat Apozema clarum, aromatiſatum ʒ. j. cinamom. Doſis. ℥. iiij. bis in die hora j. ante paſtum, hauſta prius tabella ſequenti.

℞. Pulu. elect. diarrhod. abbat. ʒ. ij. chalyb. præparati ʒ. iij. cinamomi ʒ. j. ſaccari diſſoluti in vini albi ℥. iiij. fiat Elect. per tabellas ponder. ʒ. ß. Loco tabellarum hic puluis poteſt vſurpari.

℞. Seminis fœnicul. aniſ. coriand. præparati, ana. ʒ. ij. chalyb. præparati. ℥. ß. cinamom. menthæ, origani, pulegij, an. ʒ. j. ſaccari ſextuplum. vel ſic conditi condit: forma.

℞. Carnis nucis moſch. conſeru. anthos, ana. ʒ. j. ß. conſeru. meliſſ. ℥. iij. conſeru. rad. apij, capill. veneris, ceterach. bugloſſ. cortic. citri ſicci conditi, ana. ℥. ß. chalyb. præparati. ʒ. ß. ſaccari, q. ſ. fiat Conditum. Vel ſic opiata.

℞. Mithridat. ʒ. ß. conſeru. meliſſ. anthos, cort. citri condit. ana. ℥. j. chalyb. præparati ʒ. ß.

ſyr. menth.

ſyr. menth. q. ſ. fiat Opiata. Si ægra diues ſit addi poſſunt ambræ griſ. gr. xij.

Præparata triduum aut quatriduum his remediis & exquiſito victu, materia cathartico tradenda eſt.

℞. Rad. polypod. petroſel. Enul. ſiccæ, ſeminis catharmi, ana. ℥. ß. fol. hyſſoph. beton. capillarium, flor. cordial. epithymi, ana. p. j. ſem. fœniculi. ʒ. j. fiat decoctio pro doſi. In colatura infunde fol. ſen. mundat. ʒ. iij. caryophyll. ʒ. ß. Rhabarb. ʒ. j. ß. cinamomi. ʒ. ß. In expreſſ. diſſolu. diapruni laxat. ʒ. j. vel ʒ. j. ß. plus minúſve pro ægri natura, aut diaphœn. vel diacarth. ʒ. j. ʒ. j. ß. & ſyr. roſ. pallid. ℥. j. Vel fiat Apozema pro tribus doſibus ex ſupradictis radicibus, & herbis. In quarum decocto infundantur fol. ſenæ. ℥. j. ß. ℥. ij. turpethi. ʒ. iij. Rhei. ʒ. ij. Vel ſyrup. ſolemnis, in cuius ℔. j. infund. fol. ſen. ℥. iiij. ægar. ℥. ij. turpeth. ℥. j. Rhabarb. ℥. iij. cum ſuis correctiuis, & diſſoluatur ſaccari. ℔. j. Vel fiat Opiata laxatiua ex conſerua menthæ, enulæ, anthos, cathol. caſſ. diaprun. laxat. viciſſim ergo modò coquenda materia eſt, modò purganda, donec ſublata cachexia palpitatio cordis & arteriarum, & febris lenta, quæ huius affectus comes eſſe ſolet, & faciei pallor euanuerit, quod in puellis quibuſdam breui conſequimur, in aliis tardius, prout illæ prudenter, aut negligenter ſe gerunt in victus ratione, & exercitiis. Inter præparantia & coquentia locum tenent hæ pillulæ, quarum vſu continuato morbus radicitus profligatur, & nitor faciei reſtituitur.

℞. Aloë. ℥. j. pulu. chalyb. preparati. ʒ. ij. lumbricorum terræ lotorum in vino albo, & exſiccatorum in furno. ʒ. iij. rad. gentianæ, ariſtoloch. an. ʒ. ß. opopanacis, ſagapeni, ammoniaci, ana. ʒ. j. ſyr. de hyſſop. q. ſ. fiat maſſa, de qua capiat ʒ. j. quotidie mane in pill. 4. aut 5. Interim ſemel ſaltem in hebdomade purgetur ægra per purgationem præſcriptam, aut doſin apozematis, aut ſyrupi.

Medici malè progrediuntur in curanda multorum cachexia, dum ſtatim ab initio nulla humoris præparatione, nulla viarum obſtructarum rarefactione facta, menſes ſuppreſſos ſectione ſaphenæ promouere conantur. Non enim prius natura ſanguinem per vteri venas deponi, quam calor inſitus priſtinum recuperauerit vigorem, abſumptæque ſint magna ex parte cruditates, quibus peractis ad ſectionem venæ in malleolis, & alia remedia quibus menſes promoueri ſolent, confugiendum. Ferè enim fit vt concoctis cruditatibus, & totius corporis œconomia reſtituta ſponte reuocentur ſuppreſſæ purgationes naturales. His ſi accedat ſudorum perfuſio vſu decocti Guaiacini, æſtuario, in illud ſit in manu aut ſi deſit in lecto per duas aut tres hebdomadas continuati. Nullus erit tam fœdus faciei color, qui non hac curandi methodo profligetur; ea tamen cautione adhibita, vt quarto aut quinto quoque die intermiſſo ſudore catharticum detur, quod humorem circum viſcera collectum, & præparatum, concoctumque (ad ſudores tamen ineptum) per aluum detrahit.

Alioquin

Alioquin intus ſi reſtitet, ibi obdureſcens & putreſcens febris & aliorum morborum occaſio erit. Decocti Guaiaci ad pituitoſam Cachexiam præſcribendi talis eſt formula.

℞. Raſur. ligni ſancti ℔. ß. cortic. eiuſdem. ℥. ij. macera in. ℔. vj. quæ per horas. 12. loco tepido, ſeu igne lento. Deinde coque ad. ℔. ij. in decocto percolato, adiice mellis albi & deſpumati. ℥. iiij. Doſis ℥. iiij. aut v. quib. hauſtis æger vaporarium ingreditur, ibique ſudorem moderato æſtuarij calore excipiet quamdiu vires ferre poterunt. His enim langueſcentibus aperto vaporarii oſtiolo in lecto collocetur, in quo per horam j. quieſcet. Melancholica cachexia iiſdem remediis curatur, paulo tamen minus ſiccantibus &, calfacientibus. nam metus eſt ne humor melancholicus vſtione euadat atrabilarius. Præparabitur & concoquetur ille humor apozemat. comparatis ex rad. polypod. Enul. cort. cappar. & tamariſci, fraxini, fol. bugloſſ. borg. ſcolopendr. ceterach. florib. anthos, geniſtæ, epithymi, & ſimilibus. Diſſoluetur ſyr. de ſcolopendr. bizantinus, aut ſimil. Infundetur ei ad præparationem eiuſdem humoris & vaſorum reſerationem, radix Enul. camp. per talcol. & fol. abſynthij in pomaceo, in vino albo aut rubro. Doſis erit. ℥. vj. bis in die hora vna ante paſtum, ſumptis prius pillularum. ʒ. j. pond. ex hac maſſa.

℞. Caſtorei, aſſæ fœtidæ, ana. ʒ. j. opoponac. ammoniac. ana. ʒ. ß. lumbricorum terreſtrium præparatorum. ʒ. iij. aloës. ℥. j. malaxentur

ſimul cum ſyrupo hyſſopo.

Præparatus humor melancholicus purgabitur melanagogis ſumptis, vt fol. ſen. infuſ. & compoſitis, vt confect. hamech. diſſolut. in decocto proprio ſplenetico. Cum autem non facilè in ſudores abeat craſſus & fœculentus humor melancholicus frequentior purgatio in hac cachexia, quàm in pituitoſa neceſſaria eſt. Hæc enim vel citra catharticorum opem tota ferè concoqui poteſt, & ſiccantibus medicamentis abſorberi. In illa verò tenuis quidam & crudus ſeroſúſque humor habet opus victu attenuantem concoquente, exſiccante. Craſſamentum verò melancholicum in venis aut in arteriis lienis collectum, vt ſenſim coquitur, ſic ſenſim catharticis demi poſtulat. Ergo eadem melancholicæ cachexiæ curatio eſt quæ pituitoſæ, præterquam quod frequentius in melancholia, quàm in pituitoſa purgandum eſt. Adeóque deſcripta omnia remedia ad pituitoſam cachexiam transferuntur ad melancholicam velut vaporarium, & ſudorum per decoctum Guaiacinum procuratio. Bilioſa cachexia iiſdem quoque remediis curatur, ſed paulò minus calfacientibus & ſiccantibus. Ideóque in hac cachexia iuſcula, & alia humectantia conueniunt: prodeſt etiam in hac cauſſa ſudores per decoctum Guaiaciuum ciere, ſed à cortice Guaiaci, quia impenſè ſiccat, abſtinendum, & cum ligno Guaiaci radix ſalſæ parillæ adiicienda, fiétque eorum infuſio in aqua; in qua bullierint rad. & herbæ refrigerantes in hunc modum.

rad-

℞. Rad. cichorij, acetoſæ, polypod. paſſul. ana. ℥. j. omnium capillar. bugloſſ. borrag. endiuiæ, ſcariolæ, hepaticæ, ana. M. j. coq; ad ℔. iiij. in colatura macera raſuræ ligni ſancti. ℥. iiij. ſalſæparillæ ℥. j. coque igne lento ad ℔. ij. Interim quarto quoque die æger abſtineat à ſudore & ab vſu decocti Guaiacini, & eo die conueniente catharſi purgetur.

In biliosa Cachexia admodum moderato calore ſudor in vaporario ciendus, in melancholia paulò intenſiore, in pituitoſa intenſiſſimo. Intenſiſſimum voco, quem citra virium defectionem per horam j. æger in vaporario perferre poteſt. Sed & ſingulorum naturis æſtuarij tepor accommodandus, ne in eo vires deficiant, & hæc eſt cura cachexiæ, quæ puellis aut fæminis ex mœrore vel crudorum vſu vel potu frigidæ accidit. non verò iis quibus natu maioribus, & immodico vſu vini meracioris, hypocratici, moſcatellini, ſalſorum, piperatorum, & ſimilium calfacientium, & exſiccantium vſu generatur. In hac enim cum hepar ſit calidiſſimum & ſicciſſimum, ſitque in prima & ſecunda corporis regione, nimirum in venis, hepatis, lienis, meſenterii, & in venis arteriiſque maioribus magna copia humoris melancholici retorridi, id eſt, atrabilarij. Balnea potius quàm vaporarium ex vſu ſunt. Calidum enim & ſiccum hepar humectari poſtulat non exſiccari. Humor etiam atrabilarius calidorum vſu, & ſudorum profuſione mirè excandeſcit, & irritatur. Conueniunt & alia remedia poſtea exponenda, in cura intemperiei hepatis

calidæ & ſiccæ, & melancholiæ hypochondriacæ ab atra bile. quanquam & modo deſcripta omnem Cachexiam tuto ſanare poſſunt, ſi affectis corporibus & principium partium conſtitutionis rectè accommodentur.

VENTRICVLI AFFECTVS.

Frigida & humida eius intemperies.

FRIGIDA ventriculi intemperies fit ab omnibus cauſſis refrigerantibus & humectantibus, vnde plurimus pituitæ prouentus. Interdum tamen igneus hepatis calor hanc intemperiem accerſit. Si à pituitoſis humoribus, hi ſunt primum vacuandi, deinde ventriculus calfaciendus, roborandus. Vacuantur vomitu, ſi in ventriculo fluitant, nauſeámque pariunt & æger facillimè vomat. Prouocatur vomitus hydræleo, butyro liquato, vel ſi valentiore vomitorio opus eſt, ʒ. j. rad. aſari diſſoluta in vino albo. Sin verò illi humores craſſi ſint, & impacti tunicis ventriculi, ægérque vomitui non ſit aſſuetus, in aluum ſunt deturbandi pillulis potius quàm potionibus, quia pillulæ melius eluunt & detergent ventriculum, & propterea magis roborant. Conueniunt pillulæ ex hiera ſimplici, quibus efficaciores pillulæ aſſaieret. & validiores his maſtichinæ, quæ quia agaricum continent

nent validiùs pituitam craſſam expurgant, quàm quæ fiunt ex ſola aloë. His ſi miſceatur Rhabarbarum fient præſtantiſſimæ. Quod ſi metus calidioris iecoris, his ſimul miſcentur refrigerantia, vt melonum mundatorum ſemen, puluis roſ. rubr. pulu. triaſantali, & fiat malaxatio cum ſyrupo de cichor. compoſ. cum Rheo. Validiores pillulæ quæ à diſtantioribus partibus pituitam extrahunt, non conueniunt, vt ſine quibus, aureæ, & ſimiles. Quod ſi æger à pillulis abhorreat, Infuſio fiat fol. ſen. Rhei in decocto conueniente & diſſolut. diaprun. laxat. aut diacarthami. Quantum ad venæ ſectionem nullus ei in hac cauſſa locus eſſe poteſt, niſi iecur ſit calidius. Expurgatus ventriculus roborandus tam ſumptis, quàm admotis. Sumuntur ſyr. abſynth. cydonior. menth. myrtill. elect. diarthod. diatrionpipereon, aromat. roſat. myrobal. condit. nuc. moſchata cond. nuces iugland. condit. cydon. cond. cort. citr. cond. zingib. conditum. Conſeru. ſaluiæ, anthos, menthæ, vinum abſinthites, enulatum, ſaluiatum, aq. vitæ hippocrat. Ex his conſeru. & cond. mixtis pulueribus fiant opiatæ cum ſyrup. mentha.

℞. Conſeru. anthos, meliſſ. carn. cydon. nuc. moſchat. cond. ana. ℥. ß. cort. citri conditi, ℥. j. cinamom. ʒ. j. margaritar. corall. ana. ʒ. ß. ſyr. de mentha q. ſ. fiat Opiata, quæ erit validior, ſi. 5. aut 6. guttæ olei de mentha arte chymica extracti adiiciantur. Imò ſola conſerua roſarum cum tantillo olei è mentha, ſaluia, arte chymica eliciti, ſingulis tabellis duæ guttæ eius olei infunden-

litur paulò ante vſum. Extra admouentur olea, linimenta, ſacculi, emplaſtra calfacientia. Sed qua in parte topica affecto ventriculo apponi debeant, valdè controuerſum eſt. Rondelet. ea admouet poſteriori parti circa tertiam vertebram: alij anteriori parti verſus regionem hepatis. Amatus Luſitanus vtrique parti, ſcilicet anteriori & poſteriori admouenda contendit. Obſeruandum verò in topicis ventriculo admouendis, quod annotauit Ioubertus, num hepar ſimili intemperie laboret ac ventriculus. Nam ſi diſſimili non erit inungenda regio ventriculi ab anteriore parte ad cartilaginem & hypochondria. Nam ſi prius, hepar afficitur, poſtremò verò ventriculus, & veluti per acceſſus, cum ſcilicet qualitatem hepati impreſſam recipiat, quod incommodum vt viteiur, mauult Ioubertus in dorſo è regione ventriculi inunctiones facere. Sed quia ea eſt vertebrarum & multarum craſſiſſimarumque denſitas, vt medicamentis ad ventriculum penetratio impediatur. Præſtat (inquit ille) quoſcunque ventriculi affectus aſſumptis curare, quorum etiam promptiſſima eſt actio. Nam mox, integríſque viribus pertingunt, & ab interna parte afficiunt; at verò admotarum non item, niſi hepatis & ventriculi ſimilis intemperies corrigenda veniat, excepta tamen ventriculi refrigeratione, quæ ex hepate calidiore prouenit. Hepate enim refrigerato, ventriculus ad ſuam temperiem facilè reuertitur. Olea ſunt abſinthij, menthæ, thymi, nucis moſchatæ, de ſpica nardi, ex quorum duobus aut tribus fit litus, miſta ce-

ſta cera. Interdum inſperguntur pulueres galangæ, nucis moſchatæ, garyophyll. ita vt ſingul. oleorum vnciæ recipiant, ʒ. j. vel plures, ſi ceratum validius velimus componere. Huc etiam pertinet Ceratum ſtomachicum Galeni.

Fotus fiunt ex Mentha, abſinthio, Maiorana, thymo, origano, pulegio, calamentha, ſaluia ſiccis. Rad. cyperi, calam. aromat. garyophyll. ſeminibus fœniculi, aniſi, baccis lauri, iuniperi, decoctis in vino rubro pro fotu ventriculi cum ſpongia vel linteo complicato, vel iiſdem implentur, ſacculíque qui bulliant in vino rubro, & expreſſi admoueantur. A fotu applicantur olea & vnguenta prædicta. Dein ſcuta ex Maiorana, mentha, origano, abſinthio, galanga, garyophyllis, cinnamomo, ligno aloës, nuce moſchata pulueriſatis, & multo cottone exceptis & interſutis. In horum verò calidorum admotione diligenter cauendum, ne hepati noxa inferatur, néve immodicè calefiat ventriculus, ne ſcilicet natiuus eius calor reſoluatur. Victus calfaciat & exſiccet. Abſtineat ergo æger à iuſculis, immodico potu, & ab iis quæ remolliunt & relaxant, vtatúrque potius aſſis, quàm elixis.

CALIDA ET SICCA EIVS INTEMPERIES.

CVm ventriculus totus membranoſus, frigidus & ſiccus ſit, vix vnquam primariò, & per ſe calidiore, intemperie laborat. Quoties igitur eius calidioris notæ ex ſiti inexplebili, frigidi potus appetentia, linguæ ariditate

& nigritie, à frigidis tum ſumptis tum admotis recreatione, à calidis verò offenſione, nidoroſis ructibus, nauſea, oris amarore & inappetentia ſeſe produnt, vicinum iecur calidius accuſari debet, cuius ſympatheia ventriculus facilè afficitur. Cum enim iecur ventriculo incumbat, ſuas qualitates facilè ei imprimit. Si iecur in cauſſa ſit, præſcribatur victus refrigerans & humectans, ſyrupi, apozemata, epithemata & ſimilia, venæ ſectio, frequens bilis purgatio; Balneum aquæ dulcis, ſyrup. violaceus, acetoſus, granat. limonum, cydon. qui vel ſumuntur ex cochleari, vel diſſoluuntur in ptiſana, aut decocto lactucæ, portulacæ, rad. oxalid. oxylapath. graminis, paſſul. iuiub. ſebeſt. Tamarind. ſem. frigid. hordeo mundato. Hic ſyrup. egregiam vim habet ad calefactum ſtomachum roborandum & refrigerandum.

℞. Succi cydoniorum in reſident. depurat. & ſaccari ana. ℔. j. aceti. ℥. iij. coque in ſyrupum. Fiant Opiatæ ex conſeru. roſ. nymph. borag. florib. cichorij, lactuc. cucum. cucurb. cond. quibus miſcentur pulu. corall. raſur. ebor. diamarg. fryg. & ſyr. violat. & ſimilia. Sumuntur ad quantitat. nucis auellanæ, hora vna ante paſtum, ſuperbibit, aq. cichorij, ℥. iiij. Extrinſecus admouentur ol. roſ. cydon. myrtill. nymph. & violar. lota in aceto, quibus etiam parum aliorum oleorum calidorum miſcetur, ne nimium refrigeretur ventriculus. Sic.

℞. Ol. roſar. cydonior. lotor. in aceto ana. ℥. j. ß. ol. abſinth. ℥. ß. fiat linim. Quod ſi parum ceræ

aut cerati ſantalini addideris fiet ceratum, cui vt ſit ſolidius addi poſſunt pulueres ligni aloës, coral. roſarum rubrarum, & ſimilia.

IMBECILLITAS VENTRICVLI, CRVDITAS, inflatio.

RVCTVS.

OMnis ventriculi intemperies ſi diu perſeueret, eius imbecillitatem accerſit, qua concoctio minuitur, deprauatur, aut aboletur, generantúrque flatus, ructus, & inflationes ventriculi. Imbecilliore autem facto ventriculo diligenter inquirendum, num primariò ſit affectus, num ſecundariò, & ſi ſecundariò, vtrum hepatis, lienis, cerebri, aut totius corporis conſenſu laboret. Falluntur qui deprauatæ concoctionis pituitoſi vomitus, ructuum accidorum & flatuum frigidam duntaxat cauſſam eſſe putant. Sæpiſſimè enim iecur calidius hæc ſymptomata ſuſcitat. Illud enim cum calidius eſt, infirmiorem ventriculi calorem diſſipat, non aliter quàm maius lumen minus. Debilitatus autem ventriculi calor non bene alimenta coquit, multóſque pituitoſos humores & flatus generat: ideóque quoties ventriculus malè concoquit flatúſque generantur, non ſtatim accuſanda eſt frigiditas & humiditas ventriculi, nec more Empiricorum ad calfacientia remedia confugiendum. Sed diligenter inueſtigandum, num cauſſa

frigida aut calida illius robur diſſoluat, vt contrario oppugnetur remedio. Cum ergo calidior iecoris intemperies, deprauatæ concoctionis ventriculi cauſſa eſt, oppugnanda iis eſt, quæ iecur refrigerant & humectant, quibus adduntur, quæ leui adſtrictione ventriculi robur tuentur. Frequens debet eſſe bilis purgatio per ſyrupum è cichorio cum Rhabarb. Vitari debent vinum, & alia calfacientia alimenta. Experientia enim comprobatum eſt cruditates ventriculi ac deſtillationes ortas à iecoris feruore, & ſanguinis bilioſi exhalatione tenui & calido victu, vſu aquæ vitæ, vinorum generoſorum & ſimilium valdè exaſperari, contrariis verò miteſcere.

Cum igitur vẽtriculus malè concoquit, ſi adſint bilis redundantis ſigna, ad calidã iecoris intemperiem cauſſa referẽda eſt. Sin pituita, ad frigidam & humidam vẽtriculi intẽperiem: huius curatio iam tradita eſt, illius verò poſthac exponetur. Decoctũ abſinth. non ſolum in calida, ſed & in frigida cauſſa commẽdatur. Non enim ſolum ſuccũ bilioſum deterget, ſed præterea cruda concoquit, flatus diſcutit, imbecillitatem ventriculi tollit, nec vnquam nocet, niſi iis, quibus vel iecur calidius, vel retorridus humor malo cauſſam dedit, cum præſertim Enula inſeritur concoquendæ pituitæ efficax. Præterea in vtraque cauſſa conueniunt catelli pingues ventriculo admoti, pellis Struthiocameli, quibus imbecillior ventriculi calor roboratur. Sæpè imbecillitatis & cruditatis ventriculi cauſſa eſt bilis, aut atrabilis è iecore, liene, & menſenterio effuſa in ventriculum. Vtraque

enim

enim bilis natiuum calorem obterit & conculcat, flatúſque multos de ſe ſuſcitat, qui in inteſtinis coërciti, atrociſſimos dolores inferunt. hanc cauſſam in melancholicis, hypochondriacis & bilioſis mœrore & curis confectis frequenter licet agnoſcere, quæ ſi calfacientibus & attenuantibus oppugnetur, mirè exaſperatur cum magna ægri pernicie. Hæc cum cauſſa eſt frequens, debet eſſe vtriuſque bilis concoctio & præparatio per ea, quæ refrigerant, humectant, & acrimoniam vtriuſque humoris hebetant, & obtundunt. Præparatur autem aſſumptis, vt Iulepis, apozematibus, Opiatis, & ſimilibus: tum frequens etiam debet eſſe vtriuſque humoris præparati per cholagoga, & melanagoga purgatio. In ſumma eadem curatio tenenda eſt, quæ ad meſenterij & lienis obſtructiones à retorrida bile genitas poſtea exponetur. In conualeſcentibus à longo morbo hoc ſymptoma ſemper apparet. Si enim ob caloris imminutionem multi cibi coquere nequeunt, & vbi parum alimenti ſumpſerunt, concoquunt cum graui pondere, quod ſentiunt in ſtomacho, & eiuſdem tumore, nullo proprio ventriculi malo, ſed inſiti caloris infirmitate ex præcedenti morbo contracta. His nullis remediis opus eſt, ſed cibo modico & euchymo, coctu facili, ex breuioribus interuallis.

DOLOR VENTRICVLI.

VEntriculi dolor fit à variis cauſſis: ſc. à flatu, qui illius tunicas diſtendens & còuellens do-

lores patit atrociſſimos colicis ſimillimos, quos ideò vulgus colicam ſtomachi vocat, à bile acri tunicas ventriculi vellicante, à phlegmone, vlcere, & incumbentibus viſceribus hepate, liene, obſtructis, ſcirthoſis. Si à flatu, iniiciendus eſt Clyſter calfaciens, & pituitam purgans ex fol. ſaluiæ, rutæ, origani, pulegij, calamenthi, thymi, ſem. aniſi, anethi, fœniculi, cumini, & ſimilibus, in quorum decocto colato diſſolue benedict. laxatiu. ol. aneth. mel. anthoſatum. Purgato itaque corpore infunditur alius Clyſter, qui tamen calfaciat & flatus diſſipet ex vini rubri hyppoc. aut maluat. & olei rutacei aut nucum ana. ℔. ß. aq. vitæ ℥. ij. quibus niſi dolor deſinat ſex octóue olei iuniperi guttæ, aut è cinamomo, aut è caryophyllis arte chymica extracti. miſce cum vino albo miraculi inſtar liberant. Celeriter enim flatus diſcutiunt. Cucurbitæ vmbilico affiguntur, quibus ſublatis fouendus eſt infimus venter fotu calfaciente, & flatus diſcutiente ex mentha, origano, pulegio, calamentho, maiorana, ruta, camomilla, meliloto, ſaluia, hyſſopo, roſemarino, ſem. aniſi, fœniculi, baccis lauri, iuniperi, ſem. cumini, carui, dauci, rad. cyperi, galang. calam. aromat. floribus anthos, camomill. melilot. concluſis in duobus ſacculis, qui bulliant in vino albo aut rubro, dein expreſſi toti infimo ventri alternatim admoueantur. A fotu fiet illitus ex oleo rutaceo, anethino, miſtis cum aq. vitæ, quibus aliquid addetur, olei è ſaluia, aut caryophyll. arte chymica extracti, ſi ſit in manu. Et poſt litum ſupponetur Emplaſtrum è baccis lauri, vel eius

loco

loto Cataplaſma è melle, ſem. cumini. Quod ſi nauſea adſit, excitanda vomitio aſari puluere diſſoluto in vino albo, aut in hydromelite, vt purgetur pituita, nauſeæ & flatus cauſſa.

Purgato corpore dabitur oleum amygdal. amar. recens extractum, & cum vino albo mixtum, aut vinum hypocrat. muluat. aut aq. vitæ hypocratica, aq. cinamom. Vulgare eſt remedium panis mica toſta in vino maluatico macerata, & aſperſa puluere Ducis. Extremum eſt remedium idemq; vt tutiſſimum ſic cómodiſſimum Balneum aquæ dulcis cum decocto herbarum remollientium, calfacientium, vim enim habet flatus fundendi, quibus per poros apertos viam præbens ſtatim à dolore liberat. Confert & in Balneo aliquid eſt iis, quæ flatus diſcutiunt, hauriendum ægro dare, vt concurrente gemino præſidio, tum introſumpto, tum extrinſecus admoto cauſſa mali citius tollatur. Quod ſi ob doloris vehementiam, nec Clyſteres retineri tantiſper dum vim ſuã exerunt, in ipſo Balneo cathartica propinanda, & in eo vel horam integram vel dimidiam tũ morandũ, dũ vis cathartici ventriculum & viſcera attingat. Ita enim medicamentum purgans minimè reiectum pituitoſos humores deturbat, ac ſic dolorem tollit ſublata cauſſa. Aliquando autem vbi à doloris vehementia periculum imminet, narcoticis vtendum, vt Opij gr. j. diſſoluto in aq. vitæ, vel in iuris pullij. ℥. tribus addita ſyrup. abſynth. ℥. ß. vel datur ℥. ß. philonij diſſolut. in ℥. iij. vini rubri, vel diſtillatur ℥. j. Opij cum duobus aliorum capitibus, cuius aquæ modicum bibitur. Dolore prorſus ſublato,

ne fiat eius reuerſio bis ſingulis menſibus ad minimum ſemel purgetur, vel continens flatuum cauſſa auferatur. Si à bile acri, ad præſentis doloris mitigationem vomitio cienda, aut clyſteribus in aluum retrahendus humor, vel purgatione ex infuſo fol. ſen. & Rhabarb. in aq. cichorij. Extrinſecus admoueatur Cataplaſma ex mica panis, lacte, vitellis ouorum, & croco. Imperetur Balneum aquæ tepidæ. Demulceatur humoris acrimonia lacte recens mulcto, ol. amygdal. dulc. recent. extrac. vitell. ouor. & ſimilibus, quibus ſi non cedat dolor, neceſſitate vrgẽte ad narcotica confugiendum ſupradicta, & ne fiat huius ſymptomatis reuerſio, post doloris ſedationem, æger purgabitur bis in menſe cholagogis, & intemperies iecoris cala & ſicca bilis procreatrix victu refrigerante & humectante corrigetur. Si dolor ventriculi à mala viſcerum incumbentium obſtructione vel ſcirrho laborantiũ oriatur, recurre ad remedia his affectibus deſtinata. Sin à phlegmone vel vlcere vẽtriculi his remediis occurrendum proximè exponendis.

PHLEGMONE ABSCESSVS Vlcus ventriculi.

PHlegmone ventriculi morbus eſt, vt ſæuiſſimus: ita & periculoſiſſimus, & vt plurimum lethalis, vix dum enim effuſo inter mẽbranas ventriculi ſanguine vlla remedia liberãt, & ſi liberent abſceſſus tamen intus rumpitur, è quo relinquitur vlcus immedicabile acerbiſſimo cruciatu ad extremum vſque diem vitæ fatigans. Remedia ſunt venæ ſectio bis, ter, quater, quinquies repetita. Clyſteres emollientes & blandi, hique frequentes.

Epithemata refrigerantia & humectantia, & victus ſimilis. Vlceri verò medemur ſiccantibus, refrigerantibus & glutinantibus remediis. In id fit ſyrupus ex ſucco conſolidæ, ſaniculæ, buglæ, plantag. nicotianæ, & ſaccaro, cuius ex cochleari frequenter in die vſus eſſe debet. Pro potu datur hydromel vel decoctio plantagin. ſaniculæ buglæ, conſolidæ, rad. cichorij, paſſul. liquirit. quod dulcoratur ſaccaro roſato. Æger etiam perpetuo tenere debet in ore ſaccarum roſarum, conſer. roſarum, ſyrup. roſ. ſicc. Hordeata cum leniant, refrigerent & detergeant commodiſſima ſunt. Lac recẽs mulctum, addito ſaccaro roſato, iuſcula ex decocto capi, vituli, & pulli, cum lactuca, portulaca, plantag. ſanicula, bugla, & ſimilibus. Gelatina parabitur abſque vino, & cui terræ ſigillatæ momentum inſeratur. Sunt qui pomum cydonium integrum excauant, & cauitatem cera alba vel citrina replẽt, & indito operculo prunis admouent, donec prorſus liqueſcat cera, & pomi ſubſtantiæ confũdatur: idq́; pomum ægro vorãdum præbẽt ante alium cibum. Cera enim cum habeat vim emplaſticam agglutinare poteſt. Non eſt ciendus in vlcere ventriculi vomitus, ne inde vlcus irritetur, nec cathartica porrigenda, quia ad ventriculum partem affectam humores deducunt, hęcq́; ſatis erunt pro curando vlcere ſuperficiario ventriculi generato vel à colocynthide, vel ab aliis acrioribus medicamentis, vel ab humoribus bilioſis è iecore effuſis, vel ab acu aut acicula. Si verò vlcus fuerit ventriculo iniuſtum à cauſticis, vt ab arſenico, ſublimato: ſæpè poſt crudeliſſimos dolores colicum mentientes, totiúſq; corporis conuulſiones, mors conſequitur

ad ſeptimum aut nonum diem, irritis remediis omnibus ſi cauſtici maleficium, in ventriculi tunicas impreſſum. Ideóque ne id contingat, his remediis occurrendum. Statim ergo lactis recẽs mulcti, vel butyri inſulſi, vel olei communis, iuríſve communis ſelibra haurienda, vt partim vomitu identidem per ſupradicta repetito aſſumptum venenũ deturbetur cum oleis, & ita ventriculi tunicæ oblinianttur, ne illis cauſticum adhæreat. Qui alio remedio deſtituuntur aqua frigida ſeſe expleant, eámq; cito euomant, penna oleo illita in os & fauces immiſſa, dein aqua rurſus hauriatur & rurſus vomatur, illúdq; identidem repetatur, dum dolor & ſitis cõquieſcant. Copioſum aquæ frigidę potum mirificè conferre ad malignitatem ſublimati obtundendã docere nos poteſt exemplũ canũ & murium, qui ſi aliquando hauſto ſublimato aquam ad ſatietatem biberint, liberantur, qua denegata breui in atrociſſimos dolores incurrunt & moriuntur. Quod ſi vel vomitu venenum ſit reiectum, vel aquæ potu vis eius delata, tum opus eſt leniente, glutinante & refrigerante victu, vt exaſperati ventriculi tunica demulceatur, & ardor in ea conceptus refrigeretur, vt lacte vaccæ recens mulcto, butyro cum saccaro miſto, hordeatis, ouis ſorbilibus, vitatis ſalſis, acidis, acribus, acerbis. Frequens aquæ tepidæ balneum commodiſſimum eſt. Nã ventriculi dolorem demulcet, & veneni reliquias per inſenſibilẽ tranſpiratum digerit, exaſperatáq; ventriculi tunicas lenit & contemperat. In ea aqua decoqui debent remollientes & refrigerantes herbæ. Idem facit fotus ventriculi ex oleo lilior. violac. anethino,
vino

vino rubro, in quo bullierint fol. hyoſcyam. & ſimilia. Sunt qui in criſtallo vim quandam ſecretam ad corrigendam malignitatem ſublimati eſſe volunt, ideóque illum cum Theriaca aut mithridatio diſſoluunt in aq. plantag. hauriendúmq; præbent. Fit ad eundem affectum Opiata ex conſeru. bugloſſ. borag. ocellor. theriaca, cui addendus puluis criſtalli, & lapis bezoard. (qui ex capite cuiuſdam capræ indicę extrahitur) & ſyrup. limonum. Si nihilominus dolores totum infimum ventrem occupant, ad Narcotica confugiendum nuper expoſita. Interim ſi malum diutius perſeueret, ægérque in Tabem & Atrophiam incidat, vtatur ad multos dies lacte caprillo aut aſinino recens mulcto, cui ſaccarum ſit additum.

LAPSVS VENTRICVLI.

ACcidit & ori ventriculi affectus quidam, qui Lapſus ventriculi vulgò dicitur. Cartilago quæ ab oſſe pectoris aduerſus orificium ventriculi ſita à ſua ſede (id non puto fieri poſſe) delabitur ad inferiora, quod ei contingit vel ab ictu, vel à caſu, vel à depreſſione totius corporis ſuper pectus, vel à defluxione humoris in eum facta. Sic enim intro lapſa orificium ventriculi comprimit, indéq; perpetuam nauſeam ciet. Curatur vulgò hic affectus à mulieribus eam cartilaginem digito intromiſſo ad exteriora adducentibus, & pane toſto immerſo deſuper impoſito.

CARDIALGIA.

CArdialgia orificij ventriculi affectio eſt, quod Græcis καρδίαν appellare placuit ob

affinitatem quam habet cum corde, propter quam ſuum dolorem facilè ei impertit, qui ſpiritus diſſipans ſyncopem parit, non illam quidem primariam, ſed ſymptomaticam. Fit à multis cauſſis pro quarum varietate curatio quoque variat. A quacunque autem cauſſa proueniat calor intrò in cor recurrens ad extimas partes retrahendus corporis, ad ſpinam dorſi collocatione, frictionibus, aſperſione aquæ frigidæ ad faciem, fotu temporum ex aceto vini, aq. vitæ, cinamoni per cochlear in os immiſſione, & ſimilibus ſupradictis in ſyncope. Acceſſione verò ſublata Cardialgiæ cauſſa diligenter inueſtiganda, vt proprium ei apponatur remedium. Ea ſi ſit occulta quædam malignitas cardiacis eſt expugnanda. Sin cacochymia biliosa, vel in ventriculo genita, vel aliunde in ventrem defluens ab hepate, liene, meſenterio, ea & vomitoriis, & cholagogis blandis expurganda eſt. Dein roborandus ſtomachus, ne tales humores aut congerat aut excipiat. Sin lumbrici huius ſymptomatis ſint cauſſæ, ij enecandi ſunt amaris intro ſumptis & expreſſis Rhei infuſ. in aq. cardui benedict. expurgandi ſunt. Sæpiſſimè roſio & morſus in orificio ventriculi ſentitur, cum humores vitioſi vel ſponte naturæ, vel à medicamento purgante attracti per aluum emanant maximè cum deſcendunt per colum inteſtinum. Cum autem illis aluo redditis ſtatim hoc ſymptoma ceſſet, nullo alio remedio opus eſt. Poterit tamen æger ad roborandum ſtomachum ſumere cochlear vini, aut ſuccum mali citrij aut aurantij. Plurimæ febres intermittentes initio acceſſionis comitatæ ſunt

hoc ſymptomate. Quod verò à bile flaua effuſa in orificium ventriculi, vel à pituitoſis humoribus crudis contingit, tunc procurandus eſt vomitus, et ſi adſit animi deliquium, non erit alienum ex ſententia Galeni paulò ante acceſſionē ægrum reficere cibo euchymo & concoctu facili, immò etiam in ipſa acceſsione, cum metus eſt ne æger deficiat.

INAPPETENTIA.

INappetentia vt plurimum fit ab humoribus dulcibus, crudis, aquoſis, ſeroſis, bilioſis aut aliter vitioſis ventriculi orificium & tunicas imbuentibus, hiſque vel in ventriculo genitis, vel à venis hepatis & lienis aut meſenterij in ventriculum influentibus, interdum à ſolis vaporibus bilioſis aut aliter vitiatis videlicet in ventriculum elatis, ſiue hepate calidiore, ſiue à vermibus contentis in inteſtinis, ſiue ab vtero, ſiue à toto corpore, vt per febres accidit. Non eſt autem alienum in febribus proſterni appetitum, alienum verò illæſum & integrum permanere. Si à vitioſis humorib. deletus ſit appetitus, ſi quidem illi ſint bilioſi, corrigatur calida ſicca ventriculi aut hepatis intemperies, bilis procreatrix, idoneis remediis, partim ſupradictis, partim poſtea exponendis in cura intemperiei calidæ hepatis, tum vomitoriis per os & cholagogis per aluum educentur. Sin ſint crudi & pituitoſi, purgandi ſunt phlegmagogis, detergendúſque ventriculus frequenti vſu pill. è hiera, quibus etiam Rhabarb. & agar. addi poteſt. In hac cauſſa cōuenit vinum abſinthites, enulatū aut decoctum abſinthij, & rad. Enulæ. id enim noxios humores in tunicis ventriculi contentos abſorbet, calorem roborat, adeóq; appetentiam deperditam reſtituit.

PICA.

PIca deprauata appetentia eſt, qua vitioſi & portentoſi cibi appetuntur, vt terra, cinis, calx, grauidis & puellis affectis cachexia ſæpè accidens, nec ſolùm fœminis, ſed & viris. Si grauidas id ſymptoma infeſtet, conuenit frequens ventriculi deterſio per ſyrupum è cichorio cum Rheo, eiúſque corroboratio per vſum cortic. citri conditi, cotoneorum conditorum. Puellis autem cachecticis præſcribuntur præterea, vſus decocti abſinthij, & rad. enulæ, pillularum ex Aloë, gentian. lumbric. ariſtoloch. & mithridatio comparatarum. Balnei aquæ tepidæ & aliorum dictorum in cura Cachexiæ, quæ etiam viris Pica laborantibus conueniunt, non tamen grauidis præſcribenda, quia fœtum excutient.

ΒΟΥΛΙΜΟΣ.

BOulimi cauſſa eſt magna ventriculi refrigeratio ab externo frigore, aquæ potu, ſimilibúſque cauſſis inducta, licet id neget Trallianus, qui Boulimum potius ab immodico orificij ventriculi calore procreatum contendit. Fit & hoc ſymptoma ab alimenti penuria, quam vel longi morbi, vel vermes in inteſtinis contenti alimentum aſſumptum ſtatim abſorbentes vel diuturna alui profluuia, in quibus retentrix ventriculi & inteſtinorum facultas prorſus reſoluitur. Interdum & cæca quædam malignitas aëris ingentem famem eámque popularem accerſit, in qua multi in ipſis viis & plateis deficere ſunt viſi, cum copioſiore cibo ad famem obtundendam ſeſe ingurgitarent, adeò perni-

pernicioſa eſt nimia ſatietas, quam nimia fames inuexit. Plurimo verò qui calore abundant pueri ſæpè fame valida laborant, ratione cuius alimentum ſubinde aſſumunt, nec inediam citra animi defectionem ferre poſſunt. Hæc fames cum ſit naturalis ſed intenſior, copioſiore tamen aliméto eoq; bene nutriente ſedánda. A quacunq; autem cauſa boulimus originem habuerit, cum Cardialgiam & animi defectionem adferat, ſtatim reuocandæ ſunt vires ægrorum frictionibus, pilorum auulſionibus, odore panis recenter è furno extracti, vini flaui aut hippocratici, aut muſcatellin. aq. vitæ, aut aq. cinamom. per cochlear in os immiſſione, iniectis aliquot guttulis ol. caryophyll. aut ſalu. arte chymica extracti ſi ſit in manu. Reuocatus ab animi defectione ſtatim reficiatur mica panis toſta immerſa in vino rubro, & ſaccaro multo aſperſo, aut duobus vitellis ouorum hauſto deſuper vino rubro aut hyppocratico. Quod ſi frigida intemperies ventriculo impreſſa hunc affectum contraxerit, Galenus optimum remedium ſtatuit vinum copioſum vel non ſitienti vltro oblatum, idque flauum tenue odoratum, & nulla adſtrictione præditum. Huc accedunt alimenta calfacientia & roborantia piperata, aromatiſata, cinamomo condita, & alimenta medicamentoſa, iiſdem viribus prædita, vt ſyrup. abſynth. menth. diatrion pipereon, aromat. roſat. diagalanga, conſeru. menthæ, cortex citri conditi, & ſimilia iam præſcripta in cura frigidæ ventriculi intéperiei, inter ea quæ primas tenent oleum ſaluiæ, menthæ, caryophyll. cinamom. arte chymica extracta, quæ vel nitro

ſumpta vel admota os vẽtriculi neruoſum altè ſub eunt, eiuſq; frigidam intemperiem breui delent. In hac verò cauſſa cathartica noxia ſunt, tum quod ea ſit ſimplex intemperies citra affluxum humoris, tum quod catharſi ſumpta facillimè incidat æger in animi deliquium. Si bulimus longiorẽ inediam conſequatur, multus cibus non eſt affatim ingerẽdus: inde enim mors repentina conſequeretur: modicum potius per breuia interualla cibi exhibendum, vt vaſa quæ in ſeſe conciderãt ſenſim dilatẽtur, ne virtus alimentis penuria exoluta pondere ſuffocetur. Nam vt rectè conſulit Hippocrates. Quæ ſenſim ſunt extenuata, ſenſim reficere oportet. Sit autem cibus humidus & ſorbilis potius, quàm ſolidus cum ex Hippocr. ſententia facilius ſit impleri potu quàm cibo. Itaq; iuſcula carnium expreſſiones, gelatinæ per initia ſatis ſunt, cum vitellis ouorum & generoſo vino modicè diluto omnis adſtrictionis experte. Recreatis verò ægri viribus, cibus augendus eſt, itaq; debet eſſe ſolidior. Cum autem à vermibus hoc ſymptoma prodit, enecentur vermes, & enecati excludãtur propriis remediis. Alexander Trallianus cap. 6. lib. 7. ait ſe nouiſſe quandam mulierem, quæ nunquam cibis ſatiabatur, & ſi quando inediam, ferret, ſtatim incideret in animi diliquium, quæ, ſumpta hiera, vermem eduxit, qui longitudinem habebat duodecim cubitorum, & tũ vehemens illa appetentia cõquieuit, verme, qui ad cibum ſumendũ cõpellebat, eúmq; aſſumptum conſumebat, excluſo. Interdum hoc ſymptoma apparet in acceſſionibus febrium intermittentium, tuncque in quocunq; acceſſionis

tem,

tempore corripiat, cibandus eſt febricitans. Sed cibus qui afferetur ſit euchymus & coctu facilis. Cum malum adeò inualuit, vt vomitũ & alui profluuium inuehat remediis vtendum, quæ poſt ea ad vomitum, & alui profluuia ex imbecillitate ventriculi profecta, deſcribentur. Quod ſi aliquando vt vult Trallianus, fit bulimus ab immoderato oris ventriculi, & viſcerum calore cum imbecillitate coniuncto, contrariis remediis, id eſt refrigerantibus & humectantibus, ea cauſſa eſt oppugnanda.

CANINA APPETENTIA.

CAnina appetentia duas tantum habet cauſſas, refrigerationem ventriculi & humorem ori ipſius impactum aliâs pituitoſum, aliâs melancholicum. Curatur iiſdem remediis, quib. bulimus ab intẽperie frigida contractus, & propterea humoris qui eum affectum cõmittit pręparatione & purgatione. Inprimis autem diſtinguendũ nũ melãcholicus, num pituitoſus ſit humor, vt propriis remediis concoquatur & expurgetur. Primum autẽ vomitoriis, catharticis excludendus, melanagogis, ſi melanchol. & phlegmagog. ſi pituitoſus humor prima ſit mali cauſſa. Conuenit frequens vẽtriculi deterſio per pillulas ex hiera, alephang. & de agarico. Purgato ſatis ventriculo concoquentia primum ſibi locum vendicãt, inter quæ primas tenet decoctũ hoc in melancholicis affectibus, quòd etſi appetentiã nõ naturalem excitet famis tamen quę præter naturam eſt cauſſam concoquit, abſumit & tollit. ℞. Rad. Enul. campan. ſicc. paſſul. liquir. ana ℥.ß. fol. ceterach. ſcolopendr. ana. m. j. coq. ad ℔. j. addito ſub finem abſynthij p. j. in colatura diſſolue ſyrup. de mentha, & epithymo, ana. ℥. ij.

Doſis ℥. iiij. ante paſtus. Idem præſtat vinum abſynthites, Enulatum. Concoctus humor blandis catharticis quarto aut quinto quoque die eſt euacuandus. Præterea fotibus, linimentis, balneis acceleranda eſt concoctio. Hyppocr. aph. 21. lib. 2. meracioris vini potione famem caninam ſolui tradit, Gal. in comm. ad hunc aphoriſ. vult illud vinum eſſe flauum, tenue, odoratum, nullius adſtrictionis particeps, & vltro ægris dari etiamſi non ſitiant, huícque adiungit alimenta valdè pinguia, quorum continuatorum vſu, hanc famem prorſus ſedari ſcribit. Sunt tamen qui alimenta admodum pinguia huic affectui contraria eſſe cenſent, quia vomitum cient, qui in hoc affectu valdè vexat. Quia tamen accidentem humoris leniunt, & constrictioné à frigore inductam laxãt, & molliunt, non niſi prodeſſe poſſunt. Commendantur in hoc affectu oua coquendo indurata & ſartagine frixa. Pultes ex farina tritici & lacte comparatæ, vt & omnia dulcia, ſaccarata, mellita. Lac etiam & per ſe datur & cum melle, modo in ventriculo non aceſcat. Tunc enim valdè noceret, quia foueret cauſſam. Vitanda ſunt acerba, arida adſtringentia.

SITIS.

Sitis quæ fit à calore & ſiccitate immateriali ſedatur ſolo potu aquæ frigidæ aut ptiſana, aut pomaceo ſecundario, aut vini aqua temperati, aut alterius potus refrigerantis & humectantis. Quod ſi materia coniuncta ſit aut bilis, aut pituita ſalſa, vomitoriis & purgationibus vtriuſque humoris vacuatio procuranda, & ne

& ne denuo gignatur prouidendum. Si à ſola linguæ & palati ſiccitate fiat citra affectum ventriculi, ſufficit ablutio oris ex aqua frigida ſola vel miſta cum vino albo, vel tantillo aceti. Sin ſitis aliquam inſignem euacuationem conſequatur, non eſt concedendus prorſus potus ob periculum hydropis, ſed fallenda eſt ſitis retentis in ore & agitatis nucleis prunorum ceraſorum, vſu ceraſorum cõditorum, ribes maceratorum in aqua frigida ad tollendam dulcedinem quam ſaccaro contraxerunt. Saccarum enim ſitim potius facit, quàm ſedat, præcipuè album: candidum enim ſiti mitigandi vim habet. Idem præſtant radix & ſuccus liquiritiæ ore retentus, ſemen pſyllij in nodulis ligatum & in aqua madefactum. poma arantia & citria per taleolas diuiſa & macerata in aq. roſar. & ſaccaro pruna perdigona, damaſcena, condita & reliqua, quæ attractis in os humoribus illud ſicceſſere non ſinunt. Huc referri poſſunt alia remedia, quæ deſcripta ſunt cap. de Siti, in ſymptomatis febrium.

SINGVLTVS.

Magna ex parte ſingultus omnis præter naturam eſt, eſtque aliquando criticus, criſimque mox vomitionem futuram indicat. vt autem variæ ſunt eius cauſſæ, variæ quoque eſt eius curatio. Qui fit ab inanitione cum curatur victu euchymo coctu facili, qui exhauſtos ſpiritus breui tempore reſarciat, córque roboret, vt in primis fuerint conſummata, expreſſiones carnium, gelatina, aqua carnis deſtillata, reſtauratiua, vinum generoſum &c. hæc autem conuulſio ab hac cauſſa

inducta lethalis eſſe ſolet. Si ab humore pituitoſo,
eóq; mordaci tunicis ventriculi imbibito, coquen-
dus ille eſt, incidendus, detergendus calfacientibus,
incidentibus, & pituitam præparantibus. Humor
purgandus eſt pillulis ex hiera, agarico, Rhabarb.
vel fortiorib. ſi opus eſt, quib. adduntur grana ali-
quot caſtorei. Poſt roborandus eſt vino, abſynthi-
te, enulato, pulueribus, tabellis, opiatis & topicis
ſupradictis in cura intemperiei ventriculi, & imbe-
cillitatis à cauſſa frigida & humida. Si à flatibus, ea-
dem remedia calfacientia conueniunt, quibus ad-
duntur flatus diſcutientia. Admouetur etiam cu-
curbitula ventriculi regioni, quæ inſtar miraculi
flatulentos infimi ventris affectus repentè mitigat
& tollit. Cæterùm ſingultus quem frigus, flatus aut
humor aliquis non altè imbibitus, aut alia leuis
eiuſmodi cauſa protulit, tollatur ſola vociferatio-
ne, aut anhelitus cohibitione voluntaria, calore
ſcil. ad interiora reuocato, quia ſpiritus in pulmo-
nib. agitatur, & compreſſus incaleſcit, & per dia-
phragma vẽtriculum abundè calfacit, aqua frigida
inopinanter faciei aſperſa ob eandem cauſam, po-
tione frigidore: Singultum enim ab hauſtu vel mi-
nimo extingui docet experiẽtia. Sternutatione quę
concuſſo capite, ventre, & reliquo corpore, excutit
humorem qui ſingultũ facit. Notandum hic, quod
ſternutatio ſingultum ab inanitione non ſanat, ſed
tantum eum qui à repletione, cõpreſſione medici
digiti vtrinq; ad latera facta, deambulatione lõga
& concitata, repentino timore incuſſo ob reuoca-
tionem ſubitã caloris ad internas partes, collutio-
ne oris ab aqua frigida & intenta ad aliquid aliud
cogitatione.

cogitatione. Quæcunq; verò fuerit ſingultus cauſſa generalior, proſunt ventriculi infimi per faſciam compreſſio, vt minus dilatetur ventriculus. Quæ cauſſa eſt, vt quibuſdam placet, quod ſpiritus cohibitio ſingultum ſedat cõpreſſo per diaphragmatis diſtenſionem vẽtriculo. Artuũ ligaturę. Semẽ aniſi intro ſumptũ, quod peculiariter ſingultum ſedare creditur. Et ſi ſingultus nimis diu perſeuerat, theriaca recens, philoniũ romanũ, & ſimilia quæ obtundunt naturalem vẽtriculi ſenſum. Si à bile acri & mordaci, ea vel vomitoriis per os, vel catharticis, vel expreſſione Rhei infuſ. in decocto cicho. graminis, aſparag. &c. per aluum deturbanda eſt, poſt temperanda illius acrimonia refrigerantium vſu, lenientium & contemperantium. Si à veneno hauſto nulla remedia proſunt. Non enim prius incidit, quam vel inflammatio vel vlcus inſit, quæ nullis remediis curari poſſunt. Si à maligna qualitate ori ventriculi, & tunicis eiuſdem altius impacta, nec vomitoriis, nec catharticis, ſed ſolis cardiacis opus eſt. Si ab inflamatione alicuius viſceris non niſi ea curata tollitur. Si ab hernia inteſtinorum, in ſuum locum reponantur. In ſumma omnis intentio Medici ad curationem eius morbi referri debet, cuius ſymptoma eſt.

NAVSEA ET VOMITVS.

Vomitus eſt ſubuerſio ventriculi vel copia grauati, vel à maligno quodã vapore irritati. Humor, qui grauat, vel eſt bilioſus vel pituitoſus. Repurganda eſt bilis aut pituita catharticis, iiſque leuiorib. vt caſſia, cathol. fol. ſen. Rheo, ſi bilis ſit vomitus cauſſa. Dein pituita pill. ex hiera, aleph.

agaric. & ſimilibus. Poſt purgationem roborandus eſt ventriculus, ne ſimiles humores, aut congerat aut recipiat. Roboratur remediis traditis in imbecillitate ventriculi. Sunt qui vomitum præſcribant, vt adiuuent naturæ motũ iuxta Hippoc. aphoriſ. Purgatio tamen vomitoriis leuior & commodior eſt, niſi fortè ęger vomitioni ſit aſſuetus, & vomitum facilè ferat. Victus ſit refrigerans & humectans in calida cauſa, iſque nec tenuis nec plenior. Tenuis enim bilem irritat & incendit. In frigida verò tenuia ſit, ſiccans, & mediocriter calfaciens. Et quia ſæpius bilis à iecore & cyſti fellis & meſenterio in ventriculum effunditur, vſurpãda ſunt remedia, quæ poſtea dicentur in cura intemperiei calidæ iecoris. Repetenda autem purgatio eſt, dum ſubſtracta impuritate conquieſcat vomitio. Valeriola veretur iis qui aſſiduo vomitu llioſo aut pituitoſo premũtur dare catharticum, quia cũ ſtatim vomitu reddatur, nihil proſit, & admodum noceat irritato ventriculo & agitatis humoribus, non tamen euacuatis. Id verò ſolemne habeo & longa obſeruatione comprobatum, prius humorem mali cauſſam vomitu vacuare, dein roborare ventriculum tum intro ſumptis, tum extra admotis, vt poſtea poſſit medicamentum purgans continere. Errant verò qui ſtatim ab initio adſtringentibus vomitu compeſcunt; nã intro impingunt & retinent vitioſos humores, quos natura excutere nitebatur, futuras poſt hac grauium morborũ cauſſas. Cũ tamen iam diu viget vomitio, videtúrque cacochymiæ ſatisfactum, tum poterit intrò compeſci, tũ aſſumptis, tum admotis. Admouentur

linimenta

linimenta ex ol. nuc. moſchat. abſinthij, roſar. myrtill. cydon. & aceto roſato. Fotus ex mentha, abſinthio, maiorana, origano, pulegio, cort. arantior. balauſt. myrtill. & ſimilibus decoctis in vino auſtero. Cataplaſmata ex ſuccis pomorum acidorum, cydon. vuę acerbæ, ſorborum incorporatis cum farina, mica panis toſti macerat. in ſucco abſynth. vel in aceto & aſperſa puluere nucis moſchat. caryophyll. &c. Opiata ex carne cydonior. conſeru. roſar. mithridat. puluer. maſtiches, malaxatis ſimul cum ſyr. abſinthite. Extēditur ea Opiata ſuper linteum & ventriculo admouetur, éſtque ea in hoc affectu mihi ſępè in vſu. Interim victus ſit quodammodo inſpiſſans, non tamen pinguis. Poſt cibum ſumatur caro cydoniorū, & applicetur cucurbitula ventriculo, ibique relinquatur donec cibus ſit concoctus. A paſtu quies imperetur & ſilentium. Omnis enim agitatio vomitū prouocat in vomiturientibus; quod ſi nihil ore poſſunt aſſumere, quod non ſtatim vomatur, etiamſi applicetur cucurbitula, dentur Clyſteres nutrientes. At verò ſi quædam maligna pernicies, vt per febres peſtilentiales cōtingit, vomitum moleſtiſſimū ciet, ea non catharticis, nec vomitoriis, ſed ſolis cardiacis tum aſſumptis, tū admotis oppugnāda. Interdum ventriculus ab vſu remolliendū, laxantium & humectantium alimentorum diu continuatorum ita diſſolutus eſt & imbecillis, vt nec alimenta amplecti, nec retinere poſſit, an dum concoquatur, ſed vel vomitione reddat hoc, vel adhuc crudum elabi ſinat in inteſtina. In hac cauſſa eximiè confert Rhabarb. in ſubſtantia ſumptum, quod robo-

rando & adſtringendo, ventriculi ſordes eluit & deterget. Interdum vomitio frequens, ventriculo tamen illæſo, ſed partium vicinarum aut remotarum conſenſu affecto, vt accidit in colico & nephritico dolore, in vteri ſtrangulatu, in hepatis lienis, cerebri, vteri inflammatione: Túncq; non aliis remediis indiget, quam iis, quæ morbo à quo procedit, conueniunt. Diligenter ergo in omni vomitu conſiderandum, num ventriculus per ſe, aut per aliarum partium ſympathiam laboret. Illic enim propria curatione opus habet, quæ iam exquiſita eſt. hic verò non item. Nam morbo primario, cuius ſymptoma eſt, ſublato, ſponte ſiſtitur.

VOMITVS SANGVINIS.

QVi vomitu redditur ſanguis, is è ventriculo ſemper prodit, in quem aut à iecore, aut à liene, aut ab vtero profluxit. A quocunque autem viſcere in ventriculum confluxit, ſemper cum moleſtia, violentia, & lipothymia vacuatur. Periculum autem vomitus portendit, ſi ab vtero menſium ſuppreſſione refluit in ventriculum: ſuperueniens enim menſtrua purgatio, ab omni periculo vendicat, maius ſi à Liene, maximum ſi à iecore. A iecore enim tanta interdum copia redditur, vt in ipſo vomitu anima deficiat. A liene verò non item, niſi recurrat ſæpius, & is in aſcitem, eúmque incurabilem, terminabitur. Portio eiuſdem ſanguinis, qui in ventriculum confluxit, in inteſtina relabitur, è quibus inſtar caſſiæ, aut picis nigerrimæ, aluo redditur, cum maximis torminib. niſi autem breui ſiſtatur, intra paucos dies

iugulat, profuſo cum ſanguine ſpiritu & calore. Imminere mortem indicat formicās pulſus, ſudor frigidus è toto corpore erumpens, & crebra animi deliquia. Primo quoq; tempore, ſi vires ſint validæ, ſecanda eſt baſilica, ad reuulſionē ſanguinis in ventriculum fluentis, à qua venæ ſectione abſtinendū ſi prę copia vacuatis ſanguinis vires languent. Detur etiā poſca bibēda, ligentur extremitates artuū, fricētur crura, detur etiam Rharbar. pulueriſatum in forma potionis, vel pillul. vel tabell. vel opiatæ.

℞. Rhabarb. pulueriſat. ʒ. ij. terræ ſigillat. ʒ. ß. ſyr. roſ. ſicc. ℥. j. cum aqua plantaginis, fiat potio.

℞. Rhabarb. pulueriſati ʒ. ij. boli armeni, terræ ſigillatæ, ana. ʒ. ß. cum ſyrup. cydoniorum, fiant pillulæ, auro obductæ

℞. Rhabarb. pulueriſati ʒ. ij. boli armen. terræ ſigillat. ana ʒ. ß. ſaccar. diſſolut. in aqua roſar. ℥. iiij. fiat Electuar. tabulatum ℥. ß.

℞. Cōſeru. roſ. ℥. j. carnis cydon. ℥. ß. Rhab. pulueriſati ʒ. ij. bol. arme. ʒ. ß. Miſce. His pillulis tabell. opiat. vſus erit alterno quolibet die. Aliis autem dieb. dabūtur ea quę citra vacuationem orificiū apertæ venæ claudunt, vt iulep ex aq. roſ. plantag. centinod. in quib. diſſoluitur quantitas conueniens trochiſcorum de terra ſigillata, aut è carabe, & ſyrup. cydon. aut alterius ſimiliter adſtringentis. Opiatę ex conſerua roſarū, ſymphiti, cornorū florum cichorij, carnis cydoniorū, & myrobal. cōdit. cum puluere terræ ſigillat. boli armen. coral. & ſyrup. roſar. ſiccar. Puluis ex raſur. ebor. vſti, corall. terræ ſigillat. bol. armem. cum ſaccaro roſato, aut conſerua roſarum ſiccarum. Illinitur etiam regio ventriculi, ol. roſar. myrtill. lotorum

in aceto, & poſt vnctionem aſpergitur puluis corall.bol.armen.terr.ſigillat. Lumbis & regioni pubis & hepatis admouebuntur epithemata refrigerantia & adſtringētia ex aq. roſarū, cichorij, plantag. boli armeni terræ ſigillat. caphura. Victus refrigeret & humectet, adſtringat, coquantur in iuſculis fol. lactuc. portulac. plantagin. & ſimilia. Pro potu detur ptiſana cui bolus incoxerit. Abſtineat à vino, eóq; non ſolū cōpoſito, ſed etiam ſimplici, vt ab omnibus alimentis ſalſis, piperatis, aromate conditis, ab alliis, cæpe, porris, ſinapi & ſimilibus. Vitentur animi pathemata, ieieniū, & omnis motus corporis vehemens etiam poſt cohibitum vomitum. Diu continuetur Rhabarb. vſus, ne fiat recidiua. Quod ſi aliqua ſolemnis euacuatio ſanguinis ſit ſuppreſſa, qua huic vomitui cauſſam dederit, ea ſi fieri poteſt reuocetur. Quod ſi nullis remediis aſſequi queas, frequens purgatio iteranda, ſanguis bis ſaltem in anno mittendus, & victu non ita copioſo vtendum. Sin ſanguis menſtruus præter naturam retentus malo cauſſam dedit, prouocandus ille ſaphænæ ſectione, frictionibus crurum, & aliis remediis idoneis, tum intro ſumptis, tum extra admotis, quæ poſtea exponentur. Nam vt eſt in aphoriſ. 34. ſect. 8. mulieri ſanguinem vomenti, menſtruis erumpentibus, mali fit ſolutio. Viſæ ſunt quædam mulieres, quæ ſuppreſſis, & naturaliter, & præter naturam, menſibus, ſanguinem per certa quædam interualla vomitu reddiderunt, citra vllam iacturam valetudinis. Non fit tamen lege & præſcripto naturæ ſanguinis per os euacuatio.

CHOLE-

CHOLERA.

AFfectus is, in quo repentino quodam impetu bilioſi & crudi humores per os & per aluum, cum maxima ventriculi & inteſtinorum perturbatione & cruciatu, euacuantur, Cholera dicitur. Morbus hic acer eſt, ferox, & peracutus, quarto die interdum die iugulans, exhauſta totius corporis ſubſtantia, tum vomitionibus, tum deiectionibus continuis. Quibuſdam tamen accidit per quædam interualla, túncque eſt ſalutaris. Curatio iis perficitur quæ humoris effuſi impetum frænant, eiúſque acrimoniam contemperant, quæque orificium ventriculi corroborant, neque enim citra perniciem fluxio adſtringentibus cohiberi poteſt, nec eadem variis catharticis promoueri. Grauiter ergo peccant, qui ſcammoniata, Elleborum & colocynthidem in hoc affectu exhibent. Ab his enim excitatur hypercatharſis, quam conſequitur conuulſio, ſyncope, mors. Effrænatum bilis motum coercent iulep roſatum miſtum cum ſucco granat. acid. ſyrup. cydon. myrtill. roſar. & ſimiles, qui non debent diſſolui in aquis, ne magis relaxentur ventriculi tunicæ, corroborandæ potius & aſtringendæ. Sed ex cochleari ſumuntur. Epithemata refrigerantia iecori adhibita, clyſteres pingues & lenientes identidem repetiti, comparati ex lacte, oleo roſarum, butyro inſulſo loto in aqua roſarum, vel ex decocto pulli, carne vitulina, vitellis ouorũ, nullis poſitis catharticis. Roborantur ventriculus & inteſtina fotibus, linimentis, cataplaſmatis, ſcutis. Fotus fiunt ex fol. Tapſi barbati, ro-

ſarum, plantag. abſint. menthæ, cyperi, calam. arom. coctis in lacte. Litus ex ol. roſarum, myrtill. maſtich. cydonior. Cataplaſm. ex mica panis aſſide cocta in aceto & vino auſtero, addito viridis menthæ. M. j. miſtis ſimul & incorporatis cum puluere nucis moſchatæ, caryophill. & ſimilibus. Admouetur & panis aſſus vino aut aceto maceratus, & aſperſus puluere cinamomi, caryophyll. nucis moſchatæ. Scutum ex maſtiche, carne cydon. conſeru. roſ. mithridatij, exceptis oleo vel ſyrupo conuenienti, vt cydon. & abſinthij. His accedat victus refrigerans, humectans, adſtringens, roborans. Conueniunt iuſcula & conſummata ad roborandas vires; ſed non ſumuntur in magna copia, ne magis diſſoluantur vires ventriculi. Gelatina expreſſa carnium intincta omphacio, aceto, ſucco citriorum, arantiorum, & oua ſorbilia, cum tantillo puluere nucis moſchatæ, loco ſalis. Pro potu detur vinum odoriferum, lene, defæcatum, aqua calybeata temperatum.

HEPATIS AFFECTVS.

Intemperies calida & ſicca.

CAlida & ſicca hepatis intemperies cognoſcitur ex volæ manus & plantæ pedum calore, & ariditate, ex vomitibus aut deiectionibus alui bilioſis, propenſione in febres tertianas & continuas, alióſque ex bile morbos, ex ſiti vehemente, niſi fortè in eos & fauces aſſiduè humor pituitoſus vel à cerebro deſcendat, vel à ventriculo aſcendat, & ex aliis bilis in corpore dominantis ſignis. Eſt autem ſæpiſſimè deſtillationum cauſſa

cauſſa, dum multos humores bilioſos generat è quibus multi vapores in cerebrum efferuntur, qui à frigore cerebri in aquam vertuntur materialem catarrhi cauſſam. Præterea eadem intemperies debilitato ventriculi calore deprauatæ concoctionis cauſſa eſt. Curatur ea intemperies victu refrigerante & humectante, venæ ſectione frequenti, bilis, per cholagoga, blanda vacuatione & topicis refrigerantibus, regioni hepatis admotis. Conueniunt ergo iuſcula, carnes elixæ, hordeata, nocent ſalſa, piperata, vt cæpe, porri, &c. aromata, condita, vt & dulcia, vt ſaccarum & mel. Pro potu detur pomaceum ſecundarium aut primarium aqua dilutum; cuius ſi non ſit copia, conceditur vinum oligophorum aqua dilutum, aut vini loco ptiſana, decoctum hordei aut rad. cichorij aut iulep roſatum diſſolutum in aq. communi. Ex fructibus conueniunt ceraſa acida, mala citria, arantia, & grana acida. Non eſt omittenda venæ ſectio, niſi ſanguinis adſit penuria, hepar enim refrigerat, & obſtructiones à bile ſoluit. Secanda autem baſilica dextra, & ſanguis pro plenitudine & virium robore detrahendus præmiſſo cathartico, vt primæ regionis impuritas detergeatur. Valdè etiam confert Balneum frequens ex aqua dulci, in qua bullierint refrigerantia, humectantia & remollientia, idque in calido anni tempore. Refrigerantia intro ſumpta valdè proſunt, vt Iulepi ex ſyrup. violarum, portulacæ, endiuiæ, cichorij, limonum diſſolut. in aquis herbarum refrigerantium, aut in decocto radicis cichorij, oxalid. oxylapath. graminis, aſparagi, paſſul. iuiub. ſe-

beſtem, capill. vener. beton. agrimon. lactucæ, portulacæ, hordei, ſem. frigid. quibus additur ſuccus limonum, acetoſ. roſarum. Opiata ex conſeru. florũ cichorij, violarum, nymphεæ, bugloſſ. borag. & ſyrup. conueniente. Tabellæ ex pulu. Elect. triaſantali, ſem. plantag. ſaccaro diſſolut. in aq. cichorij. Blanda interim catharſis adhibetur per interualla, quæ nec ventriculo, nec aliis viſceribus noceat. Vitanda ergo ſcammoniata, Elleborus, colocynthis, & vſurpanda caſſia, cahol. expreſſ. fol. ſen. & Rhabarb. in decocto conueniente. Ex his etiam fiunt Apozemata ad duas vel tres doſes, & ſyrupi magiſtrales. Conuenit autẽ maximè ſyrup. de cichor. compoſ. cum Rhabarb. Hic enim innoxiè bilioſos humores purgat, & iecur refrigerat atque corroborat. Topica, quibus calidior intemperies retunditur, hæc ſunt, Oleum roſatum aceto lotum ſeu oxyrrhod. lumbis & hypochondr. dextro illitum ſolum quidem cum iecur firmũ eſt, vel mixtum cum oleo abſynthite, ſi ſuſpecta ſit illius imbecillitas. Ex oleo roſarum, nymphεæ lotis in aq. roſarum fit litus addito vnguento albo refrigerante Galeni. Hæc Epithemata celerius refrigerant facta ex aquis roſarum, plantag. cichor. acetoſ. caphura, quibus ad robur partis additur puluis Elect. triaſantali. Semper enim cum refrigerantibus miſcenda ſunt ea, quæ roborant, vt robur hepatis conſeruetur. Præterea in refrigerando, & humectando hepate, mediocritas eſt adhibenda, eo enim vſq; in refrigeratione eſt progrediendum, dum retuſa ſit iecoris caliditas, alioquin iecur caloris inſiti iacturan faceret, quam hydrops

drops conſequitur. Hîc notandum quod ſi ea intemperies ab ortu ſic contracta ſit, nullis remediis tolli poteſt, ſatíſque fuerit eam, ne actiones hepatis lædat, idoneo victu & medicamentis conuenientibus retundere. Adſcititia verò curari in totum poteſt, modò habitum non contraxerit, quod ante curationem accuratè ſemper examinandum, vt morbi exitus præuideri poſſit. Quod ſi iecoris calidior intemperies, & ventriculi frigidior & humidior concurrat contrariorum remediorum permiſtione occurrendum, aut certè modo his, modo illis vtendum, vt huius vel illius partis affectio pręter naturā poſtulare videbitur.

FRIGIDA ET HVMIDA INTEMPERIES IECORIS.

FRigida & humida intemperies iecoris cognoſcitur ex ſiti nulla, nulla in febres, calidóſque morbos propenſione, ex venis anguſtis, colore faciei albo, & aliis pituitæ dominantis ſignis. Hæc porrò intemperies vix vnquam à primo ortu contrahitur, ſæpius poſt ortum ab immodico aquæ potu, frigidorum & crudorum alimentorū vſu, & à diuturna ſanguinis per aliquam corporis partem euacuatione, interdum & à calidiore hepatis intemperie inducitur cum ea calorem innatum diſſipat. Curabitur idonea victus ratione, quæ calfaciat & topicis eadem vi pollentibus, vt oleo nardino, abſinthino, anethi & ſimilibus, quibus ſi parum ceræ, aut cerati ſtomachici addatur cum puluere ciperi, galangæ, nuc. moſchat. &

ſimilibus fiat ceratum, cui tempore inunctionis addetur modicum vini maluatici. Medicamentis introſumptis calfacientibus, vt aromatico roſato, conſerua anthos, cortic. citr. condit. & ſimil. Et quia hæc intemperies maximum prouentum facit pituitoſorum humorum & crudorum, illi euacuabuntur blandis medicamentis, quæ purgando hepar corroborent. Rarò intemperies hepatis ſola eſt & ſimplex, citra humoris affluxum. Interdum tamen in eo maxima ſiccitas adeſt. coniuncta vehementi calori, eámque proximè ſequitur ſcirrhus. Hæc enim intemperies tam difficulter curatur, quàm facilè cognoſcitur. Eadem autem ei curandæ remedia conueniunt, quæ febri hecticæ. Victus igitur ſit abundè humectans. Conuenit lactis vaccini, caprilli, aut aſinini vſus. Ex topicis nullum balneo aquæ dulcis fuerit præſtantius. Alia ad hanc intemperiem corrigendam propria remedia repetenda ſunt ex curatione ſcirrhi hepatis, quæ poſtea tradetur.

HEPATIS SVBSTANTIÆ CORRVPTIO.

CVm biliosa ſanies per carnem iecoris effuſa nec opportuno tempore expurgata putret, eius pariter carnem labefactat & tandem corrumpit. Frequens morbus in iis qui diuturno Ictero laborant. Fit à vitio alimentorum corruptorum & putridorum, ex quibus pro laudabili ſanguine generatur putris quædam & maligna ſanies, quæ iecur contaminat ac tandem corrumpit. Vinum quoque generoſum, hyppocraticum moſchatellinum longo ac liberaliore vſu

vſu hunc affectum accerſit, quia ſaniem quandam bilioſam exaggerat, quo in hepatis carnem ſeſe inſinuans illam tandem labefactat. Semi putris iecoris ſubſtantia nulla arte in integrum reſtitui poteſt. At ne putreſcens breui exitium accerſat ſic impedies. Vtatur æger alimentis euchymis coctu & facilibus. Abſtineat à ſalſis, piperatis, à fructibus horariis, & iis quæ facilè corrumpuntur & putreſcunt. Vinum etiam, ſi fortè morbo occaſionem dedit, vſurpandum eſt, ſed dilutum aqua agrimoniæ, vlmariæ, cichorij. Frequens Rhabarb. vſus neceſſarius, cuius ope saniei bilioſæ portione expurgata, & confirmata ſubſtantia iecoris, imminens exitium differtur. Ex eo ergo ſic fiet ſyrupus magiſtralis.

℞. rad. cichor. oxalid. oxylapath. paſſul. polyp. ana. ℥. j. fol. agrimon. vlmar. chamædr. hepaticæ, ſanicul. buglæ, plantag. ana. M. j. ſem. frigidor. maior ana. ℥. ß. florum cordialium. ana. p. j. fiat decoctio. ad ℔. j. In colatura infunde Rhabarb. ℥. iiij. raſur. eboris, cornu cerui, terræ ſigillat. cinamom. ſantal. citrin. ana. ℥. ß. in expreſ. diſſolu. ſaccar. roſat. ℔. j. fiat ſyrupus, capiat ℥. j. ß. aut ℥. ij. ſemel in quaque hebdomada, ex cochleari, vel cum aq. cichorij, agrimonij; aut cum decocto rad. cichor. agrimon. hepaticæ, hic ſyrupus iecur bile purgat, & ſubſtantiam eius firmat ac corroborat. Aliis diebus quibus non vtetur ſyrupo, capiat tabellam de Elect. triaſantal. cum Rhabarbaro. Frequens etiam caſſiæ vſus commodus, modo eius humiditas puluere Rhabarb. emendetur. Conueniunt etiam potiones vulnerariæ dictæ quæ ie-

cur roborant, bilé per vrinas euacuant, & ſangui-nem purificant, quæ fiunt ex ſcabioſa, ſanicula, bugla, piloſella, pimpinell. agrimon. beton. capillis ven. plantag. carduibenedict. & eius ſemine, flori-bus cordialibus, decoctis in aqua communi. Vel fit ſyrupus è ſuccis earundem herbarum expurgatis, addito ſaccaro roſato. Cuius etiam ſaccari roſati frequens vſus eſſe debet. Conueniunt præterea alia omnia remedia, quę ad iecoris imbecillitatem pro-ximè tradentur. Ea enim flaueſcentem Iecoris ſub-ſtantiam & putreſcentem confirmant. Externa remedia ſunt oleum abſinthij, roſarum, & ſimilia, quæ proximo capite exponentur. Refert autem cognoſcere, num corrumpi incipiat Iecoris ſub-ſtantia, an verò iam corrupta ſit. Corruptam eſſe cognoſces ex viribus imbecillimis, febre lenta, totius corporis extenuatione, ingenti carnis faſti-dio, & ſummo vini optimi eiuſdémque meracioris deſiderio: Præterea ex oris fœtore & animi de-liquiis. Differt curatio incipientis corruptionis ſubſtantiæ iecoris, ab ea quæ iam prorſus corru-pta eſt. Nam in incipiente, quæ refrigerando & corroborando iecoris obſtructiones ſoluunt & bilem detrahunt ex vſu ſunt. Confirmato verò morbo refrigerantia noxia ſunt, quia tunc calo-ris ſumma eſt imbecillitas, ab ídque hydropem, alui profluuium, lienteriam, & iecoris imbecil-litatem breui accerſunt.

IMBECILLITAS IECORIS.

IMbecillitas hepatis conſequitur quamlibet Iecoris intemperiem diuturnam ſiue calidam,

& ſic-

& ſiccam, ſiue frigidam & humidam. Hanc tamen frequentius quàm illam, & propterea ſubſtantiæ hepatis corruptionem. Cùm autem quatuor præcipuæ ſint hepatis facultates, in conſummata tantum vis reſoluitur, in incipiente verò vnius aut alterius magis, aliarum minus. Cùm ab imbecillitate facultatis attractricis non attrahitur chylus è ventriculo & inteſtinis in hepar, ſed in aluum deſcendit. Et ventriculo, inteſtinis & iecori roborando incumbendum, quod fiet frequenti Rhabarbabi vſu, quouis modo illud vſurpetur. Huic autem remedio ſi copioſior aquæ frigidæ potus malo cauſam dedit, adiiciantur quæ calfaciunt & roborant. Sin bilioſa illuuies vias obſtruens, & iecoris robur diſſoluens, dentur quæ bilem præparent & purgent, quæ iecur roborant, eiúſque obſtructionem detergent, vt decoctum rad. polypod. cichor. agrimon. capillarium, in qua infundatur Rheum Elect. è puluere Rhei & triaſantali cum ſaccaro in aqua roſarum aut cichorij ſoluto. Syrupus ſolennis in cuius ℔.j. infundantur fol. ſen. ℥. iiij. & Rhei ℥. iij. Extrinſecus admouentur roborantia, abſinthium, maſtiche, roſæ, ceratum ſantalinum cum maſtiche, carne cydon. Fotus ex radic. Enulæ, cyperi, calam. aromat. fol. agrimon. abſinthij, camomillæ, meliloti, pulegij, origani, ſem. aniſi, fœniculi, decoctis in aq. & vino rubro. Si deiectiones loturæ carnium recens mactatarum ſint ſimiles, non ſolùm venarum hepatis, quæ ſanguinem continent, ſed etiam carnis ipſius hepatis imbecillitas magna eſt, &

vix emendabilis, quam atrophia & tabes comi-
tantur. Quòd ſi imbecillitas iecoris ſummam il-
lius ſiccitatem & corruptionem conſequatur,
perfecta ſanatio ſperari nulla poteſt. Idonea ta-
men victus ratione differenda mors eſt, quæ ad
emendendam iecoris ſiccitatem eiúſque corru-
ptionem tradita eſt. Cùm verò incipit iecoris
imbecillitas, repetenda eſt ad minimum ſemel in
hebdomade purgatio Rhei expreſſ. infuſ. in de-
cocto polypod. paſſul. rad. cichorij, & ſimilibus.
Quòd ſi eam imbecillitatem comitetur alui pro-
fluuium, infundatur Rheum in aq. agrimoniæ,
roſarum,& vino rubro. Præſcribatur etiam Elect.
ex raſura eboris, cornu cerui, coralli, margaritis,
terra ſigillata & ſaccar. diſſolut. in aq. agrimon. Fit
& maſſa pillul. ex iiſdem addito Rhei, & ſyrupi
de cichor. q. ſ. Fit & opiata ex conſeruis florum
cichor. borag. roſarum, ſymphyti, beton. carn. cy-
don. conditâ, rad. vlmar. condita, adiecto corallo,
raſur. eboris, cornu cerui, cum ſyr. è ſucco agri-
monij. Vtatur æger bis in die manè & veſperi an-
te paſtum pondere ℈. ij. pro qualibet doſi. Ex-
trinſecus admouebitur litus ex ſuccis abſinthij,
agrimon. vlmar. acet. roſac. ol. abſinthini, roſarum,
coctis igne lento ad ſuccorum conſumptio-
nem, addendo maſtiches q. ſ. Quòd ſi ſimul ac-
cedat ceratum ſantalinum & parum ceræ, fiet ce-
ratum. Ante litum pars fouebitur fotu compara-
to ex foliis abſinthij vtriuſque agrimon. roſ. rub.
ſeminib. fœniculi, aniſi, rad. cyperi calam. aromat.
coctis in aq. & vino rubro. Multos quibus deie-
ctiones erant loturæ carnium ſimiles ab immi-
nente

nente exitio liberauit vſus decocti rad. cichorij, enulæ, paſſularum cum toto, & abſinthio. Hoc enim decoctum coctionem iuuat, cruda omnia concoquit, flatus diſſipat, viſcerum obſtructiones ſoluit & eorum, maximè iecoris flaccidam ſubſtantiam confirmat. Symptomata ferè omnia, quæ ab imbecillitate iecoris oriuntur ſunt hæc, hæmorrhagia variis è locis erumpens naribus vtero, hæmorrhoidib. thorace, immò etiam ex minimis venarum oſculis quæ deſinunt in cutem, alui profluuia cruda, tumores œdematoſi, quæ ſymptomata non tolluntur topicis, ſed iis remediis, quæ iecur mali fontem roborant. Itaque ſanguine è narib. aut aliunde erumpente, accuratè inueſtigandum num cauſa ſit iecoris imbecillitas, aut copia ſanguinis, tenuitas vel acrimonia, quod ſic dignoſces; Si ſanguis guttatim effluit, & identidem repetit, quæcunque topica adhibeas, íſque ſit tenuis & aquoſus aquam referens, in qua ablutæ ſint carnes recèns mactatorum animalium. Si nulla plethora, nec feruidioris ſanguinis argumenta ſe produnt, nec cauſæ quæ præceſſerunt, quæ ſanguinis curſum eò incitare potuerint; ſed contra facies decolor eſt & œdematoſa, præceſsítque longus & diuturnus morbus, in quo æger maximam aquæ aut alterius potus quantitatem hauſit: potiſſimum ſignum eſt, eam hæmorrhagiam procedere ab imbecillitate hepatis. Remedium ergo erit non venæ ſectio, niſi fortè parca manu ſanguis detrahatur ad ℥. ij. vel iiij. reuulſionis potiùs quàm vacuationis cauſa. Sed frequens vſus Rhei & præ-

terea roborantia hepar ſuperius explicata tam intrò ſumpta quàm admota. Victus ratio ſit humectans, vt temperetur iecoris ſiccitas, mediocritas tamen in humectando ſeruanda, ne calori inſito labaſcenti & partibus proprior robore destitutis iniuria inferatur. Itaque elixis & aſſis mediocriter his, modò illis vtendum, vt præſens corporis conſtitutio poſtulat, cauendo diligenter ne quid ingeras, quod aut copia aut qualitate cruditatem & flatus parere, & in viſceribus robus elangueſcens magis ac magis poſſit infringere, aut ſicceſcentem illius ſabſtantiam minus torrere. In iuſculis incoquantur ad iecoris robur pimpinella, cerefolium, agrimonia, & vulneraria herba, quæ ſiccando & roborando hepatis robur tuentur, & cùm calor præter naturam etiam viget, his adduntur cichorium, oxalis, oxylapathum, bugloſſ. borrag. &c. Cùm frigida cauſa imbecillitatem iecoris contraxit, eadem cuſa ratio inſtituenda, quæ hydropi anaſarcæ, de qua poſtea.

OBSTRVCTIO IECORIS.

IEcoris obſtructio fit venis capillaribus è vena porta, aut caua, per ieceris ſubſtantiam diſperſis obſtructis, aut à pituita craſſa, aut à bile exuſta, aut à flatu craſſo. Rara tamen eſt iecoris obſtructio ab hac vltima cauſa, quia minima venarum capillarium filamenta, non ſunt propria receptacula flatuum. Sæpiſſimè autem illi flatus reconduntur intra carnem hepatis & tunicam, quæ hepar inuoluit. Frequens autem

eſt ie-

eſt iecoris obſtructio à pituita craſſa, frequentiſſima verò à bile flaua, quæ præter naturam diutius coërcita, nec tempeſtiuè expurgata exuritur & incraſſatur. Ex faciei autem colore, habitu corporis, & morbis antegreſſis facilè obſtructionis cauſam cognoſces. Nam ſi æger ſit pituitoſus aut billioſus, ita colligit. Si enim billioſus ſit, ſi morbis à bile contractis, vt febribus tertianis, continuis, ictero, & ſimilibus ſit conflictatus, bilis accuſanda eſt, vt pituita, ſi contraria adſint ſigna. Cùm bilis cauſa eſt, obſtructio ea idoneis remediis, tum intro ſumptis, tum extrinſecus admotis, vt fotibus, linimentis, balneis præparata expurganda eſt ea methodo, quæ dicitur in Ictero. Eadem enim eſt obſtructionis iecoris à bile factæ quæ Icteri curatio, Icteri, inquam, quem obſtructio cyſtis fellis peperit. Quæ enim obſtructiones cyſtis fellis tollunt, eadem obſtructio iecori conueniunt: hoc tamen eſt diſcriminis, quod in iecoris obſtructionibus curandis, quæ peculiariter iecur roborant inſerenda ſunt, communibus aperientibus, incidentibus & detergentibus, quæ in obſtructione cyſtis fellis noxium eſſet vſurpare. Eiuſmodi ſunt corroborantia, agrimonia, hepatica, chamædris, paſſulæ, oxylap. & ſimilia. Cùm pituita obſtructionis author eſt, ea præparanda eſt iulepis, apozematibus incidentibus, aperientibus, attenuantibus, cum quibus miſcentur quæ iecur roborant, vt abſinth. rad. enul. camp. & ſimilia. Et præterea fotibus & linimentis emollientibus, obſtructas vias ape-

rientibus. item balneis aquæ tepidæ. Præparata euacuanda eſt portionibus, apozematibus, & ſyrupis laxatiuis, qui recipiant fol. ſen. agaric. & turbith. Sed cùm vix vnquam ſola pituita obſtructiones iecoris faciat, vt quæ bili ſemper ſit admiſta, conſultius fuerit, etiamſi pituita exuperans videbitur addere cholagoga, vt Rheum cum topicis calfacientibus ea quæ bilem præparant, ne ſi ſolis illis vtamur quæ pituitam incidunt & attenuant, & calfaciunt, contingat iecur rugis indurari: minùs enim ſiccantibus & attenuantib. inſanabilis durities reſtinguitur. In victus ratione abſtineat æger ab alimentis refrigerantibus craſſis, viſcoſis, vt à frigidæ potu, caſeo, piſcibus, glutinoſis cochleis, limacibus, oſtreis, extremitatibus animalium frigidis, vt & à coctu difficilibus, qualia ſunt ea quæ conficiuntur ex diuerſis edulliis, vt eſt omnis placenta, & à ſalſis, piperatis, aromate conditis, vt à crapula & ciborum varietate, ne vtatur ſtatim à cibo vehementi motu, vt curſu, quia vehementiores motus cibum incoctum in viſcera rapiunt.

SCIRRHVS HEPATIS.

OBſtructum Iecur, niſi opportunè ſuccurratur, ſcirrheſcit humore ſiue bilioſo, ſiue pituitoſo obſtructionis authore magis ac magis indurato. Sunt autem duæ ſcirrhi hepatis ſpecies, vna incipiens, alia confirmata. Prior idoneis remediis curari poteſt, poſterioris nulla curatio. Incipienti autem ita medendum eſt; Cùm obſtructio venarum meſaraicarum & cyſtis

ſtis fellis ab humoribus pituitoſis, bilioſis genita cauſam huic morbo dedit diligenter expurganda eſt. Corporis regio apozematis hepaticis, quæ recipiant fol. ſen. agaric. Rheum. Secanda etiam eſt baſilica dextra, & ſanguis pro virium & plethoræ ratione detrahendus. Pòſt humor induratus remolliri debet & digeri. Cum remollientibus autem & digerentibus miſcenda ſunt adſtringentia ad conſeruandum hepatis robur, neque ea digerentia debent inſigni facultate digerendi pollere, ne illa tenuiore ſanguinis parte diſſipata reliquam magis incraſſent & exſiccent, ſicq́ue ſcirrhum magis augeant. Fotus ergo remolliens, attenuans, roborans inſtituendus è rad. altheæ, cyperi, ſem. lini, fœniculi, fol. maluæ, altheæ, violar. parietar. roſ. rub. abſinth. vtriuſque chamædr. chamæpith. camemel. melilot. aneth. His impleantur duo ſacculi, qui bulliant in aqua & vino albo pro fotu hypochondrij dextri, bis in die, manè & ante cœnam. Poſt fotum liniatur pars oleis emollientib. vt liliorum, amygdalarum dulcium: digerentibus, vt chamæmeli, meliloti, anethi, & modicè adſtringentib. vt roſar. abſinthij. Cùm enim olea ſimpliciter relaxantia robur hepatis diſſoluant, his miſcenda ſunt modicè digerentia & adſtringentia. Eadem olea etiam lauari poterunt in aq. agrimoniæ. Quòd ſi cum his oleis addatur ammoniacum liquatum, aut in aceto, aut in aqua hyſſopi, aut in ſyrup. abſynthij, fiet litus emolliens & roborans iecori aptiſſimus. A litu admouebitur Emplaſtrum eiuſmodi, tertio quoque die renouandum

℞. Emplaſtri de mucilaginibus. ℥. j. emplaſtr. de meliloto ℥. ß. gummi ammoniac. liquat. in ſucco abſinth. ℥. iij. malaxentur ſimul cum oleo abſinth. & liliorum fiat emplaſtrum, cui ab robur hepatis adde abſinthij ſicci ℥. ij. Neque ſolùm his externis remediis, ſed etiam internis, id eſt introſumptis, remolliendus eſt & incidendus humor ſcirrhi cauſa. In id fit Apozema emolliens, incidens, roborans ex rad. aperientibus in aceto maceratis, rad. altheæ, fol. maluæ, violar. parietar. capillarium, pimpinell. ſcariolæ, hepaticæ, ſeminibus frigidis maioribus, ſemine fœniculi. In colaturæ ℔. j. diſſolue ſaccari ℥. iiij. fiat apozema clarificat. & aromatizat. triaſantal. & cinamom. Humor remolliens per reſeratas vias facilius purgationi cedet. Purgatio autem fiet ex infuſ. fol. ſen. Rhabarb. agaric. turpethi in decocto proprio. Neque omittenda eſt purgatio donec ſatis ſuperque deterſum fuerit iecur, quod non niſi ſenſim & cum tompore fieri poteſt. Primo autem curationis initio breuia ſunt curationis interualla, vtpote ſemel aut bis in hebdomade, dein longiora, vt 10. aut 15. die quolibet. Neque balnea aquæ dulcis tepidæ omittenda, in qua bullierint remollientia, digerentia & roborantia. His ſi non prorſus tollatur confirmatus ſcirrhus, ſaltem imminuitur, multóque melior euadet corporis conſtitutio, maximè ſi accedat idonea victus ratio, nec tenuior, nec plenior, in qua vitentur ſalſa, piperata, craſſa, viſcoſa, & concoctu difficilia. Pro potu conuenit vinum aqua dilutum.

INFLAMMATIO IECORIS.

CVm inſlammatio hepatis acutus ſit morbus, ſemper accelerata poſtulat remedia; alioquin periculum eſt in mora. Nam in abſceſſum verteretur, à quo relinqueretur vlcus immedicabile. Itaque quàm citiſſimè ſecanda vena eſt, & copioſus ſanguis detrahendus; non quidem ſemel & vniuerſim, ſed partitè. Neque prius ab hac euacuatione deſiſtendum, quam preſus dolor hypochondrij quieuerit, vel maxima ex parte ſit remiſſus: alioquin quod reliquum erit, vel in abſceſſum degenerat, vel in ſcirrhum immedicabilem. Moriuntur ferè omnes quibus aut parcè, aut poſt quintum diem ſanguis detrahitur. neque enim tertia ſanguinis detractio quamlibet copioſa liberat, ſed adhibeatur, cum humor tenaciùs hepati impactus eſt, aut cùm ad ſuppurationem vergit. Ideóque ſi primo aut ſecundo die ſanguinis, quod ſatis eſt, ducitur, intercipitur ea phlegmone, modò reliqua remedia non negligantur. Ea autem ſunt refrigerantia aut repellentia iecori adhibita, vt oleum roſatum lotum in aceto, cui oleum abſinthij in eodem aceto lotum ad robur hepatis miſcebitur, vel epithema è ſuccis & aquis plantag. cichorij, roſarum, ſolani, ſemperuiui, aceto roſato addita camphora & puluere roſarum, & elect. triaſantali, in quibus aquis tepidis immergetur linteum complicatum & expreſſum, quod perpetuò hepati inſidebit, & dum ſicceſcere incipiet, ruſum in his aquis madefiet. Sedato dolore ac febre remiſſiore facta lenietur

pars oleis digerentibus, quibus adſtringentia miſcentur ad robur eiuſdem partis, vt ol. abſinth. camomill. anethi, capparum, cydoniorum, maſtich. roſat. & ſimilib. quæ adſtringendo & refrigerando roborant. His etiam parum aceti miſceatur ad penetrationem. Febre profligata, ne qua durities ſuperſit, fotus adhibetur molliens, digerens, roborans ex rad. altheæ, ſem. aniſi, fœniculi, lini, cyper. calam. aromat. abſinth. vtriuſque agrimo. & ſimilib. coctis in aqua, & quarta parte vini rubri. Poſt fotum admoueantur Emplaſtr. ex gummi ammoniaco remollit. in aceto, ladano, maſtich. oleo abſinthi. & cera. Hæc dum fiunt, aluus alternis diebus remolliatur clyſtere refrigerante, & blandè purgante ſollicitanda, nec ante morbi declinationem alio cathartico opus eſt. Catharticis enim vt phlegmone hepatis exaſperatur, raptis ad hepar vitioſis humorib. inclinante tamen morbo caſſia erit commodiſſima; eóque in totum profligato locus apozematib. ſyrupis Velaxatiuis, quæ recipiant fol. ſen. & Rhabarb. Veteres in hoc affectu cucurbitulas cum ſcarificatione hypochondrio dextro admouebant, à quibus abſtinendum cenſeo, quia illæ nihil ex affecta parte educunt; contra verò in eam humores è venis attrahunt, adeóque inflammationem augent. Victus toto morbi progreſſu ſit refrigerans, & leniens, íſque tenuis, quia hic morbus valdè acutus eſt. Quòd ſi phlegmone hepatis vertatur in abſceſſum, lethalis eſt: vt autem abſceſſu vita diutius protrahitur: tamen intabeſcente corpore mors interuenit, niſi fortè ex ſexcentis

viris

viris aliquis euaſerit, pure ſibi per cutem viam faciente. Obſeruatum verò eſt, multos rupto ex inflammatione abſceſſu, & pure in capacitatem abdominis effuſo, repente periiſſe, alios aliquandiu vitam produxiſſe, ſed tamen in lentam febrem, ſumma corporis extenuatione comitatam, incidiſſe.

MVSCVLORVM ABDOMINIS, TVMOR.

IN muſculis abdominis interdum tumores gignuntur, aliàs phlegmonoſi, ſi à ſanguine, alias frigidi, ab humore craſſo & lento in varia eorum ſpatia effuſo. Sæpè autem falli contingit Medicos in dignotione horum tumorum à tumore hepatis, quòd habeant multa ſigna communia. Ob id antequam vlterius progrediamur, trademus modos quibus dictorum muſculorum tumores facilè dignoſci poterunt à tumoribus qui gibbas hepatis partes occupant. Tumor eminentem hepatis partem obſidens, illius figuram refert, nec niſi preſſa manu percipitur, itémque pro vario corporis decubitu variat. maior enim apparet corpore ad ſiniſtram, minor autem ad dextram declinato. At tumor muſculorum abdominis per totum ventrem extenditur, & figuram eorum muſculorum exhibet, in quibus inſidet, foráſque prominet viſu & tactu conſpicuus. Et cum premitur, ſæpè etiam citra preſſum dolorem facit, quia illi muſculi ſenſu ſunt præditi. Quin hepate tumefacto color faciei vitioſus eſt ad

citrinitatem & albedinem cum fuſco quodam virore inclinans. Et ſi tumor ille ſit phlegmonoſus, febris adeſt vehementiſſima, grauiſſimis ſymptomatib. comitata, vrinæ ſunt flauæ. At inflammatis muſculis abdominis color faciei non eſt vitioſus, vrinæ optimam conſiſtentiam, colorem, & contenta exhibent. Febris non ita vehemens eſt. Adde quod iecore inflammato cutis ei ſupertenſa naturaliter ſe habet. At verò inflammatis muſculis calet & rubet, admodum tenſa eſt, adeo vt digitis apprehendi non poſſit. Eadem verò cauſa eſt inflammationis horum muſculorum quæ aliorum partium inflammatarum. Sanguis enim in eas partes è venis decumbit. Curatio eſt huiuſmodi: mittatur ſanguis è baſilica ad reuulſionem humoris in eam partem decumbere parati, præmiſſo leui clyſtere, ſi aluus ſit tarda. Mittendi ſanguinis quantitatem virium robur, habitus corporis, & mali magnitudo præfiniunt. Dein cataplaſmatis anodynis leniendus dolor. Quòd ſi tumor ad ſuppurationem vergat, ea pepticis promouenda. Abſceſſus dein ſcalpello aperiendus adhibita cautione, ne membrana (peritonæum dicta) vulneretur. Poſt detergendus, eóque deterſo carne & cicatrice tumor obducendus. Quæ omnia ad chirurgiam pertinent. Quòd ſi prædictorum muſculorum tumor fiat ab infarctu humorum craſſorum, lentorum & pituitoſorum, remolliendus ille eſt fotu remolliente & digerente ex rad. altheæ, liliorum, ſem. lini, fœnugræci, fœniculi, aniſi, fol. maluarum, violarum, parietariæ, origani, abſinthij, camomillæ, decoctis

ctis in aq. & vino rubro. Et à fotu litus emolliens & digerens adhibendus. Nec omittantur conuenientes purgationes repetendæ, prout opus eſſe videbitur.

LIENIS AFFECTVS.

INFLAMMATIO.

INflammatio Lienis cùm à ſanguine craſſiore oriatur, quàm inflammatio hepatis, non tam ſæuis vrget ſymptomatis. Sæpè etiam primis diebus nullis ſignis conſpicua eſt, tùm præſertim non phlegmone, ſed phlogoſis ſolùm ineſt. Iiſdem verò remediis curatur, quibus inflammatio hepatis, niſi quod adſtringentia non ſint tanto ſtudio miſcenda, vt in hepatis imflammatione. Quia cùm lien ſit pars minùs princeps, non eſt ita ſtudendum eius robori. Reliqua ferè ſimilia. Sectio venæ bis, ter, quater, ſi neceſſitas exigat iterata. Eius tamen baſilicæ ſiniſtræ, quia vt dextra cum dextris, ſiniſtra ſiniſtris magis conſentiunt; Clyſteres remollientes & externa remedia, quibus pro variis phlegmones temporibus variè vtendum. In liene autem quemadmodum in hepate inflammato abſceſſus omnis exitialis eſt.

OBSTRVCTIO, ET SCYRRHVS LIENIS.

OBſtructio Lienis aliàs ab humore melancholico craſſo, terreno, fæculento, aliàs

ab humore pituitoſo & flatulento. Scirrhus verò ab iiſdem humoribus gignitur incraſſatis, & tempore induratis. Cùm enim tenuior eorum portio actione caloris diſſipatur, quod remanet terrenum calore magis ac magis agente exſiccatur, ſenſimque obduratur in ſcirrhum. Quibuſdam autem Lien ita augetur, vt totum infimum ventrem comprehendat, & iis quibus ita tumefactus eſt, vt venter infimus, ſic totum corpus emaciatur ac gracileſcit. Hinc illa pulcherrima Traiani comparatio lienis cum fiſco increſcente ſingulorum ſubditorum opes minuuntur: ſic liene amplificatio, ſingularum partium opes decreſcunt, idoneo ſcilicet alimento deſtitutatum. Tumefactus & ſcirrhoſus lien nequit amplius melancholicum ſuccum expurgare à ſanguine, indéque ſanguis eo ſucco contaminatus minimè ad alendum idoneus eſt, ob quam cauſſam menſtruorum ſuppreſſio ſummam totius gracilitatem adfert. Eadem curatio eſt Scirrhi quæ obſtructionis lienis, ideóque vtramque vno & eodem capite complectemur. Curationis autem ſcopus in his trib. conſiſtit, vt humor melancholicus & craſſus incidatur, attenuetur, & concoquatur, & ita præparatus melanagogis & phlegmagogis educatur. Eum humorem præparant cortex rad. capparis & Tamariſci, fraxini radix polypod. enul. petroſelini, apij, fœniculi, fol. hyſſop. praſſij, capill. veneris, bugloſſ. borrag. origan. calamenthi, thymi, pulegij, florib. cordialib. epithym. geniſt. ſyrup. capill. vener. & ſcolopend. de epithymo, de fumaria, trochiſc. de capparib,

parib. pulu. Elect. lætificant. Galen. conſeru. bugloſſ. borrag. cæterach. & flor. geniſtæ, rad. enul. mithrid. Theriac. Ex quibus in rem præſentem fiunt apozemata, opiatæ, electuaria, quorum hæ ſunt formulæ.

℞. Cort. rad. cappar. Tamariſ. fraxini, rad. polypod. petroſel. fœnicul. aſparag. apij. ana. ℥. ß. fol. hyſſop. bugloſſ. borrag. meliſſ. omnium capillarium ana. M. j. epithym. flor. anthos, & geniſt. ana. p. j. coq. ab ℔. j. in colatura diſſolu. ſyr. de ſcolopendr. ℥. iij. fiat apozema clarum aromatizatum cinamomo pro 4. doſibus, poſt tabellam huius Electuarij.

℞. pulu. Elect. lætificant. Galen. ʒ. ij. radic. fænicul. & petroſelin. ana. ʒ. ß. ſaccar. diſſolut. in aq. ſcolopend. ℥. iiij. fiat Electuar. pondere ʒ. iij.

Opiatæ hoc ſit paradeigma.

℞. Conſeru. ocellorum bugloſſ. borag. ana. ℥. j. conſeru. Enulæ, & geniſtæ ana. ℥. iij. cum ſyr. capill. Vener. fiat Opiata.

Concoquitur etiam humor apozemate ex abſinthio & Enula & maſſa pillular. comparata ex aloë & Rheo, puluere lumbric. præparatorum, & rad. gentian. ariſtoloch. rotund. malaxatis omnibus cum ſyr. capill. Veneris. Præparatus humor his remediis euacuari debet melanagogis, quibus miſcebuntur phlegmagoga, vt fol. ſen. turpethum, rad. hellebor. diapren. laxat. confect. hamech. cathol. ſyr. roſ. laxat. repetentúrque viciſſim tum præparantia, tum purgantia, donec impuritati

primæ corporis regionis ſit ſatisfactum, non omiſſa ſectione baſilicæ ſiniſtræ. Sunt qui nimis ſuperſtitioſè in hoc affectu venam ſaluatellam dictam, in manu conſpicuam, ſecari imperant, quod ea ſecta lienem exonerari credant. Sed magis proficit baſilicæ ſectio, quia copioſa vacuatio præſtat, & citò iuuat. Interim dum hæc fiunt, topicis tumor remolliatur, reſoluatur, digeratur fotibus ſcilicet, linimentis, cataplaſmatis, emplaſtris. Fotus ex rad. altheæ liliorum, ſem. lini, rad. enul. petroſelin. apij, polypod. fol. malu. violar. parietar. arthemiſ. camomil. meliloti, menthæ, maioran. rutæ, abſinthij, origani, calamenthi, pulegij, ſcolopendr. ceterach. epithym. ſem. fœniculi, fœnugræci, aniſi, bacc. iuniperi, lauri, flor. geniſt. decoctis in aq. & vino rubro, vel in aq. vitæ, cui additur medulla cruris vituli, pinguedo anatis, muccago ſem. altheæ, extracta in vino albo. Cum opus fortioribus ammoniaco miſcetur opopanax. Cataplaſma ex farin. ſem. lini, fœnugręci, far. lupinorum, adipe vituli, axung. cuniculi, pulu. rad. ireos, & ol. capparum. Sunt qui vbi remollita durities eſt, lateres candentes aceto extinctos regioni lienis admouent. Id enim remedij genus egregiè diſcutit. Emplaſtra fiunt ex maſſa emplaſtr. de meliloto, diachylone, gummi ammoniaco, bdellio, opopanace, incorporatis ſimul cum oleo capparum. Victus ratio ſit talis. Vitentur alimenta coctua difficilia, flatulenta, viſcoſa, cruda, & ea omnia quæ melancholicum humorem congerunt, vt carnes ceruinæ, aues paluſtres, extrema animalium, fructus

ctus crudi, fabæ, piſa, legumina, caſtaneæ, nuces, braſſicæ, rapæ, cucurbitæ, melones, cucumeres, porrum, allia, cæpe, lacticinia, caſeus, vt & acida omnia, qualia ſunt omphacium, ſuccus citriorum, granat. acid. ſaccarata etiam omnia & mellita. Vſurpentur verò alimenta euchyma, coctu facilia, & laudabilem ſuccum generantia, quæ eo magis proderunt, quo magis incident & attenuabunt. Pro potu detur vinum album manè dilutum aqua. Pomaceum benè defæcatum nec vetuſtum nec recens, id enim flatulentum eſt, & oppilat, illud verò ægrè coquitur. Conueniunt cappares deſalitæ, paſſulæ, ficus, acetaria ex rad. cichor. pimpinell. lupulorum, fol. bugloſſ. borag. A cibo non ſit locus vehementiſſimo motui, vt curſui, equitationi, quia motus vehementiores crudos humores & cibum in viſcera rapiunt, ſúntque ſæpè obſtructionum inſignes cauſſæ. Vita ſit hilaris & curarum expers. Hæc methodo non ſolùm Lienis obſtructio, ſed etiam ſcirrhus tollitur, maximè ſi recens ſit. Inueteratus enim difficulter admodum tollitur. Cum autem ab immodico aquæ potu, aliorúmve crudorum vſu Lien valdè intumuit, victus ratio exſiccans imperetur, cum melanagogis hydragoga miſceantur. Conueniunt etiam quæ pituitoſos humores exſorbent ſupradicta in curatione cachexiæ pituitoſæ. Interdum in venis Lienis continetur humor atrabilarius, qui nullum manifeſtum tumorem exhibet, quod non tantum illius copiam quæ tumorem accerſat, natura ferre poſſit. Ille enim humor exigua ſui portione, perinde ac ſcintilla ignis vires ha-

bet maximas, & ſæuiſſima producit ſymptomata. Longè autem diuerſa eſt curatio obſtructionis & venarum meſenterij ab humore atrabilario, à tumore lienis, ab humore melancholico, terreno, craſſo, fæculento, aut ab humore crudo, flatulento & pituitoſo. neque enim ſiccare, calfacere, incidere & aperire conuenit, ſed humectare, concoquere & malignitatem illius humoris domare, vt docetur in cura melancholiæ hypochondriacæ excitatæ ab atrabile.

MESENTERII AFFECTVS CONTRA NATVRAM.

INterdum in meſenterio tumores molles, & ſcirrhoſi à vitioſis humoribus in eam partem expulſis oriuntur, qui non niſi grauiore preſſu deprehenduntur, ob interiectionem abdominis muſculorum, & preſſi nullum dolorem inferunt, quia pars ipſa doloris & ſenſus expers eſt. Gignitur in meſenterio phlegmone, abſceſſus à ſanguine in eã partem à venis effuſo ibíque putrefacto, illa autem tactu percipitur, dolorem infert grauem, & febrem multis grauib. ſymptomatis ſtipatam, tamen ideò æger non cogitur decumbere & negotia ſua relinquere. Abſceſſu rupto pus copioſum & album defluit ab aluo, interdum miſtum fæcibus, interdum ſeorſim, cum abſceſſus vergit in colon, aut rectum inteſtinum. Præterea in meſenterio choleræ, melanchol. diarrheæ, dyſenteriæ, cachexiæ, atrophiæ & intermittentium febrium, aliorumque latentium

tentium morborum cauſſæ continentur, quod à Fernelio annotatum, à veterib. medicis prætermiſſum miror. Talis autem ſit curatio tumorum meſenterij febre nôn comitatorum: frequens detur purgatio in forma potionis, apozematis, ſyrup. in quibus infundentur fol. ſen. Rheum, agaric. turpethum. Iniiciantur etiam clyſteres remollientes & detergentes. Poſt fotibus, oleis, cataplaſ. malacticis balneis aquæ tepidæ, vt & Clyſterib. ex decocto omaſorum, capitis veruecis & vituli ſæpè repetitis remolliendus eſt ille tumor. Quod ſi phlegmone eam partem occupet, præter ſupradicta ſecetur baſilica dextra bis, ter, quater ſi opus ſit. Quod ſi reſolui nequeat Cataplaſm. ſuppurantibus pus promouendum. Cum autem rupto abſceſſu pus per anum vacuatur, iuuanda natura eſt clyſteribus tergentibus & putredinem inhibentibus ex decocto hordei integri, agrimoniæ, apij, centaurij minoris, therebinth. mell. roſat. His adiungenda ſunt cardiaca, vt eis muniantur partes nobiles. nam facilè vaporibus tetris inde ſublatis offenduntur.

ICTERVS.

ICteri variæ ſunt cauſſę. Epotum venenum, phlegmone iecoris, bilis in febrib. continuis criticè expulſa in habitum corporis, calidior & ſiccior iecoris intemperies, alimentum adurens & plus bilis gignens quam cyſtis fellis poſſit admittere, & obſtructio cyſtis fellis. Pro quarum cauſſarum varietate, variat quoque curatio. Si venenum epotum imperetur ſtatim vomitus, propria etiam illius veneni alexipharmaca vſurpantur. Si in-

flammatio iecoris, in magno vitæ diſcrimine
verſatur æger, inflammationi autem remediis
ſupra expoſitis occurrendum. Si per criſim bi-
lioſarum febrium, & ante ſeptimum diem Icte-
rus appareat, malus eſt, vt habetur aphor. 61. lib.
4. quamuis non prorſus verus ſit hic aphoriſmus.
Viſi enim ſunt icteri, qui febrem ante ſeptimum
diem finiuerunt, & ſæpè contingit Icterus ter-
tia die, & ceſſat febris. Neque verò ſalubrior eſt
Icterus omnis, qui poſt diem ſeptimum apparet.
Si enim die pari & non critico accidat, nullis
antegreſſis coctionis ſignis malè decernit, quia
talis ſit ante coctionem, non lege naturæ, ſed
malitia morbi. Sin verò poſt ſeptimum diem,
die impari contingit, vel nono, vel vndecimo,
vel decimoquarto, vt eſt in aphoriſm. prædi-
cto optimè decernit, modò nulla obſtructio
retinens iecur occupet. Rarò tamen Icterus,
quocunque die appareat, febrem verè indicat,
niſi ſudor ſuperueniat aut vomitio, aut alui de-
iectio bilioſa. Licet autem Icterus febrem fortè
finiat, non tamen ideo deſinit, ſed diu aliquan-
do protrahitur, ſenſim tamen tractu temporis
euaneſcit. Critici autem Icteri non magna ra-
tio habetur: Sed morbi acuti à quo maius im-
minet periculum. Quod ſi Icterus criticus cum
febre non diſcutiatur aperientibus & eius cau-
ſam detrahentibus, facilè ſaneſcit, vt balneis a-
quæ tepidæ, in qua decoquuntur remollientes
& digerentes herbæ. Galenus à balneo oleo diſ-
cutiente & rarefaciente corpus confricat, vt
chamæmel. aneth. rutac. Fouet etiam oculos ane-
thi

chi aqua, in qui ſummitates fœniculi, anethi, toriſmar. ferbuerint, vel aq. hordei, ſuc. granat. citrij, iiſdem tepidis, eadē aqua & facies & corpus abluēdum, vt & aceto albo, frictiones etiam molles ſæpè repetitæ conferunt. Si à calidiore & ſicciore Iecoris intemperie, ita occurrito. Purgata corporis regione apozem. hepatico refrigerante, humectante, aperiente, obſtructiones ſoluendæ, biliſque in venis & hepate redundans detrahenda. Sanguis quoq; mittendus à baſilica dextra, vt vaſorum plenitudine exhauſta facilior ſit per cholagoga & alterantia reliqua curatio. Cholagoga verò bis ſaltem in hebdomade repetenda in forma potionis, apozematis, ſyrupi, boli, opiatæ, donec faciei & toti corpori priſtinus nitor ſit reſtitutus. Diebus verò interiectis obſtructiones expediendæ, & feruidior, ſicciórq; Iecoris intemperies corrigenda iiſdem remediis, quæ in cura intemperiei iecoris calidæ & ſiccæ expoſita ſunt. Si ab obſtructione tam cyſtis fellis, quam hepatis genita à craſſa bile miſta cum pituita, aperiendæ ſunt viæ, præparandus humor per incidentia, detergentia, & aperientia, in quorum vſu ſi febris adſit, ea quæ cum refrigeratione aperiunt, vſurpanda, vt rad. graminis oxalid. cichor. oxylapath. aſparag. folia ſcariol. pimpinel. endiuiæ, agrimon. capillarium, ſem. frig. tam maiora quàm minora, hordeum. Si verò febris adſit, calidioribus vti poſſumus, vt rad. apij, fœnicul. petroſelin. in aceto maceratis, & ſimilib. Præparatur etiam humor, aperiunturq; viæ extrinſecus admotis, vt fotibus linimentis, balneis. Præparatus verò expurgari de-

bet per cathartica, cholagoga, & phlegmagoga, infuſa vel diſſoluta in decocto aperiente & hepatico, viciſsímque modo topicis & introſumptis præparari debet humor, modo catharticis detrahi, donec radicitus morbi cauſſa ſit expurgata & exſtirpata. Venæ ſectio potiſſimum confert, ſi adſit plethora. Præter hanc commendatur puluis cornu cerui vſti & loti cum vino albo potus. Lumbrici terræ præparati cum eodem vino ſumpti. Decoctum cicerum rubrorum, in quo rad. cichorij & petroſelini coxerint.

Icterus niger citias ab humore melancholico è liene inhabitum corporis effuſo iiſdem remediis curatur, quibus obſtructio Lienis ab eadem cauſſa. Quia autem humor melancholicus craſſus eſt & terrenus, non niſi longo tempore curari poteſt Icterus niger ab eo ortus. Lienem autem obſtructum expediunt & roborant ſcolopend. Ceterach. Enula, & conſer. ex iis factæ, cappares cortex rap. capparum & Tamariſci, viſcus quercin. abſinthiũ. Conueniunt & lumbrici terræ præparati, vinum abſinthites, Enulatum. Balnea aquæ dulcis, victus ratio, in qua vitentur alimenta craſſa & viſcoſa, & quæcunq; humorem melancholicum congerunt. Præterea modo præparantibus modo catharticis, iiſque melanagogis viciſsim repetitis obſtructio lienis expedietur. In ſumma quæcunque ad tumorem Lienis à ſucco melancholico profectum præſcripta ſunt, eadem ictero nigro medentur.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

MElancholia hypochondria duplex; alia enim fit à melancholico ſucco frigido,

alia verò ab atra bile, quæ vel ex bile flaua, vel ex terrenis melancholiæ fæcibus incraſſatis ſit. Prima ſpecies obſtructionem lienis comitem habet. Secunda verò non item. Atra enim bilis parua ſui copia vires habet maximas, vt ſcintilla ignis, ſpuma canis rabidi, ſublimatum. Illius curatio ab huius curatione multum diuerſa eſt. illic enim terrenũ & fæculentum humorem incidere, attenuare, calfacere, & vias obſtructas reſerare oportet. Cum igitur certis ſignis melancholiæ hypochondriacæ cauſſam frigidam eſſe cognoueris, eamque in liene delitеſcere, eadem curatio cõuenit quæ ad tumorem lienis è fæculento humore tradita eſt. Præparandus ergo humor ille eſt apozematibus, julepis, & opiatis ſpleneticis. Iulepi fiunt ex aq. ſcolopendr. petroſelin. apij, bugloſſi & ſaccaro, vel ſyrupo proprio. Apozema ex decocto rad. Enulæ, polypod. cort. rad. cappar. Tamariſci, fraxini, fol. hyſſop. meliſ. bugloſ. borag. ſcolopend. ceterach. in decocto ad ℔. j. diſſol. ſyrupum de ſcolopendria & de epithymo. Additur interdum vinum album aromatizatum rad. ireos & cinamomo. Opiata ex cortic. citri condita, nuc. moſch. card. & conſeru. ceterach. rad. apij, bugloſſi, borag. anthos, ſaluiæ cum ſyrupo de mentha. Convenit etiam vinum abſinthites, enulatum, ſaluiatum. Præparatur etiam topicis vel ſacculis comparatis ex herbis emollientibus, incidentibus, aperientibus, attenuantibus. Balneis aquę paulò calidioris, quam ea quæ tepet, vt leuiuſculis in eo ſudor cieatur, in eáque aqua bulliant emollientia & attenuantia. Præparatus humor purgandus apozematib. laxatiuis opiatis, ſyrupis viciſſim

verò modo præparantia, modo purgantia præbenda. Si tamen caloris adſit imbecillitas, vt ferè ineſt melancholicis omnibus præparantia dentur in ſolida potius, quàm in liquida forma, quia liquida ægrius coquuntur, & cruditatibus geminatis ſæpè nocent, quanquam attenuando & incidendo proſint. Sunt qui vaporarium commendant, cui maximam vim ineſſe volunt ad crudos humores melancholicos attenuandos & concoquendos. Cautio tamen adhibenda eſt, ne vaporarij vſu humores nimium incaleſcant, néve tenui portione per ſudores diſſipata reliquum aut circa viſcera occalleſcat, aut calore in atram bilem degeneret. cui incommodo occurres, ſi quarto quoque die intermiſſo vaporario ſumantur quæ præparatum humorem vacuent.

Altera Melancholiæ hypochondriacæ ſpecies, quæ fit à bile retorrida, curatur, (ſi quidem incipiat ferueátque adhuc humor illius cauſſa, ſitque validius innatus calor) victu refrigerante & humectante, humoris ferociam compeſcente & malignitatem obtundente. dein frequenti purgatione per melanagoga, idonea etiam illius humoris præparatione. Præparatur autem iiſdem remediis quibus bilioſus humor, balneis aquæ tepidæ, in quibus nullus ſudor excipiatur, vſu lactis caprilli aut aſinini, frequenti venæ ſectione Vere & Autumno repetita, quibus accedere debent, animi hilaritas, fuga mœroris & rerum triſtium cogitatio, & loci mutatio. Sin iam adeò inueterauerit affectus, vt bilis retorrida aciditatem contraxerit, & inſito calori vim intulerit, quod cognoſcitur

ex cru

ex cruditatibus, ructibus acidis, flatibus, & rugitu totius infimi ventris, non eſt refrigerantibus in magna copia vtendum, quia in eorum vſu calor iam debilis magis debilitatur, ſed vtendum eſt iis quæ ſunt in calore temperata. Cùm igitur huius morbi focus in cyſti & meſenterio deliteſcat, aluus debet eſſe mollis, quod artis beneficio conſequemur. Vitanda tamen ſunt colocynthis, antimonium, ſcammoniata omnia, quia illis ſymptomata atræ bilis admodum exaſperantur. Auicen. valida medicamenta ſunt inſtar flammæ, quæ paleam exurit intacto tigno. Conueniunt autem folia ſenæ, Rhabarb. agar. rad. ellebori nigri. Primas verò in hoc affectu tenet caſſia, catholicum. Neque enim vt pleriſque viſum eſt, caſſia ideò aluum ſoluit, quia mollis eſt & lubrica, ſed quia peculiari dote purgatoria pollet, qua vtramque bilem & pituitam craſſam non ex inteſtinis tantum & primis venis, ſed etiam è toto infimo ventre copioſam detrahit, maximè vbi per balnea eius præparatio anteceſſit. Ea ergo melancholicos atrabilarios frequenter vti expedit, vel ſola, vel Rhabarbaro miſta. Melancholicis enim omnibus commodiſſima eſt, quia viſcera humectat & refrigerat & atræbilis ferociam ac ferinam qualitatem demulcet. Quod ſi non ſatis efficaciter purget, vtiliſſimè iuſculum purgatorium comparatum ex fol. ſen. ſuperſorbebitur.

ATROPHIA.

Alia eſt vniuerſalis, quæ totum corpus, alia particularis, quæ vnam tantùm partem occupat. Vniuerſalis fit ab aliis cauſſis, ſcilicet à ca-

lida & ſicca iecoris intemperie, eiúſque vt lienis obſtructione & corruptione, alui profluuiis diuturnis grauioribus ventriculi affectibus, pulmonis exulceratione, & febre hectica. Particularis verò prodit ab inſigni eius partis, quæ atrophia laborat, vitio, quo perfuſa pars vel non attrahit alimentum, vel attractum non retinet, vel retentum ſibi aſſimilare nequit. Quod & contingit vel ab obſtructione venarum per quas illius ſanguis conſtuit, vel ob caloris penuriam, vel ob ingens perpeſſum frigus, vel affluxum vitioſorum humorum in illam partem. Si aliquód iecoris aut ventriculi vitium malo cauſſam dederit, ei occurrendum eſt remediis ſuperius expoſitis in propriis capitibus. Si febris hectica aut pulmonum exulceratio atrophiam peperit, ea eſt incurabilis. Euchymis tamen alimentis fouendæ vires & accommodatis remediis morbo primario obſiſtendum. Si ab euacuatione immodica, & diuturnis alui profluuiis, repetenda eſt curatio ex proprio eorum affectuum tractatu. Particularis atrophia cauſſam habet particulare quoddam eius partis vitium, certis ſignis inueſtigandũ, & contrariis remediis oppugnandũ. Itaque ſi perpeſſum frigus tibiæ ſic calorem natiuum atterit, vt nec alimenti fiat extractio, nec ſufficiens eius partis nutritio, frictionibus, Cataplaſmatis, vnguentis calorem & alimentum in partem euocare conãdum eſt, purgato tamen prius corpore, Cataplaſma fit ex pulpa ficuum, fermento acri, ſem. ſinapi, naſturtij, vrticæ, tritis & incorporatis ſimul. Emplaſtra fiunt ex gummi ammoniaco, oppopanace liquatis in aq. vitæ, pice nigra, ſulphure pipere,

pipere, pirethro, ſtaphiſagria, & Therebenthina. Si verò frigus, humoris deſtillationem ſpirituum caloris & alimenti diſtributionem in eam partem impediat, habenda primùm eſt ratio cerebri, deinde eius partis quæ recipit, cuius calor debet augeri remediis idoneis. Quibus autem remediis deſtillationes ſint compeſcendę alibi traditum eſt.

CACHEXIA.

CAchexiæ quæ fœdos colores inuehit curationem tradidimus: nunc de ea agimus: quam prima viſcerum affectio peperit. Morbi diuturni viſcerum robur ferè diſſoluunt, corúmque temperiem peruertunt, cum præſertim mala adhibetur victus ratio. Itaque morbo perſanato malus gignitur corporis habitus ob deprauatam haimatoſin. Neque enim nutritio fit, niſi interuentu ſanguinis laudabilis ob id immodicam vacuationem ſanguinis vndecumque factam conſequitur cachexia. Cum ſit vitio iecoris ſupra expoſitis oppugnandus eſt affectus huius ſymptomatis cauſſa. His adiicienda ſunt remedia ad fœdos colores tradita qui inutilem ichorem concoquant & abſorbeant. In omni igitur cachexia viſceris, vnde mali origo dependet prima ratio habenda, vt à ſorde deterſo ſolutiſque obſtructionibus illud confirmetur, dein reſtagnans in venis & in habitu corporis cruditas & concoquatur & abſumatur. Sin cachexia fuerit ab immodica ſanguinis euacuatione, facienda quæ ſuperius in cura illius ſymptomatis expoſita ſunt. Sin fiat ex ſanguinis præter naturam retentione, prouocetur ille remediis, cum ſupradictis, cum poſtea exponendis.

HYDROPS ANASARCA.

HYdrops anaſarca, & quæ leucophlegmatia ſeu aqua inter cutem dicitur, cachexiæ pituitoſæ finis, duas cauſſas habet, diſſipationem caloris, & immodicam iecoris & venarum refrigerationem à qualibet cauſſa contractam, vnde gignitur aquoſus humor, qui per totius corporis carnem diſpergitur. In curatione huius affectus hi duo ſcopi proponuntur, vt aquoſa & ſeroſa excrementa carnoſas partes imbuentia detrahantur, & ne alia de nouo gignantur, prouideatur. Quod fiet, ſi iecori ſuum robur ſuáque temperies reſtituatur. Seroſa excrementa detrahantur emulſione ſem. Ebuli in vino albo facta. Syrup. roſ. pallid. ſcammonio & ſcammoniatis, vt diacarthamo, diapruno laxatiuo, Elect. de ſucco roſarum & aliis dicendis in Aſcite. Miſceatur autem cum hydragogis Rhabarbarum, vt vna eadémque ratione, & ſeroſos humores detrahas, & iecur corrobores. Rhabarbarum enim ſua adſtrictione iecori robur addit ideóque à quibuſdam vita iecoris appellatur. Et vt exſorbeantur ſeroſi humores, qui per totum corporis habitum diffuſi ſunt, conueniunt imprimis ſtuffæ ſiccæ. illæ enim ſuo vapore humido per totum corpus æquè diffuſo non poſſunt non maximè prodeſſe. Calfaciunt enim humores ſubcutaneos eóſque fundunt & colliquant, meatus aperiunt & ſudores proliciunt, à quibus tamen abſtinendum, ſi immodica ſanguinis euacuatio huic mordo originem dederit. Illa enim ſanguinem calfaciunt, commouent, & ex venis

venis euocant. Iecur verò corroboratur intro ſumptis vt vino aut decocto abſinthij, & rad. Enulæ. id enim vinum viſcera egregiè roborat, crudos humores concoquit, eóſque per vrinas purgat. & extrinſecus admotis vt ſacculis comparatis ex fol. abſinth. vtriuſque agrimoniæ, chamædr. chamæpyth. capillarium, roſ. rub. rad. enulæ, cyperi, calam. aromat. præbullitis in aq. & vino albo aut rubro. Linimentis ex oleo abſinthij, maſtiches, nardino, roſaceo, myrtillorum. Abſorbeantur verò ſeroſi humores iiſdem remediis, quę explicata ſunt capite de cachexia pituitoſa. Interim ſemel ſaltem in hebdomade reiteretur idonea purgatio, hac cautione adhibita, vt ſi bilioſa ſit cachexia hydragogis cholagoga miſceantur, vt melanagoga & ſplenetica ad lienem obſtructum tradita, ſi cachexia ſit melancholica. His accedat victus omnis ſiccans, calefaciens, & attenuans. In primis verò quàm parciſſimè bibendum, vt in potus parſimonia ſingulæ partes ſuperuacuum ſerum in ſe contentum concoquant, maximè ſi pituitoſa aut aquoſa ſit cachexia. Quantum attinet ad venæſectionem vtiliter ea adminiſtratur ſi vel menſes, vel hæmorrhoides ſuppreſſæ huic affectui cauſſam dederint, aut ſi bilioſa ſit cachexia. Multò tamen religioſius ſanguis demendus, quàm in aliis affectibus ob caloris penuriam.

HYDROPS TYMPANITES.

Tympanites iis ferè contingit in quibus atra bilis multa redundat in infimo ventre quæ alimenta vertit in flatus, & qui ab hac cauſſa

oritur, ferè iugulat irritis omnib. remediis quib. morbi ab atra bile exaſperari ſolent. Tympanites autem qui fit à pituitoſis flatulentis eadem ratione curatur ac aſcites, niſi quod ea quæ flatus diſcutiunt, ſubſtitui maiore copia debent. Primum ergo euacuanda eſt pituita phlegmagogis & hydragogis. Poſt diſcutiendi flatus fotibus diaphoreticis ex abſinthio, ruta, origano, pulegio, calamentha, baccis lauri, iuniperi, ſem. aniſi, fœniculi, cumini, carui, dauci, ebullitis in vino albo, vel in lixiuio cineris communis. Sacculis ex milio & ſale toſtis alternatim ventri, ídque calidè & admotis. Emplaſtr. de ſtercore vaccæ, ſulphure, baccis lauri, ol. chamemel. rutæ. Poſt excitandus ventriculi calor iis remediis quæ tradita ſunt in cura intemperiei ventriculi frigidæ & humidæ.

HYDROPS ASCITES.

HYdrops aſcites, ſi à reſiccato & imbecilliore reddito iecore oritur, nullam curam admittit. Nullis enim remediis reſiccata iecoris ſubſtantia in priſtinum ſtatum reſtitui poteſt, imò verò cum ſero abdominis prorſus exhauſto venter concidat, & curatus hydrops videatur, manente tamen cauſſa breui rurſus venter intumeſcit. Nihilominus remedia ſunt vſurpanda, quæ collectas in abdomine aquas vel per aluum, vel per vrinas expurgant, non omiſſis quæ primam iecoris affectionem emendando aquarum collectionem remorantur. Aquas in abdomine contantas per aluum detrahunt ſuccus Ebuli, ſambuci, rad. ireos, tithimali decoctum & puluis ſoldanellæ, ſyrup. roſar. laxatiu. ℥. ß. ℥. j. vel fit bolus

lus ex ℥. iij. caſſiæ recens extractæ, Rhabar. ℥. j. diacartham. vel diaprun. ſolutiu. ℥. ij. vel fiant pillul. ex ſcammon. & mithridatio. Iniiciantur etiam clyſteres carminatiui ex decocto hyſſopi, origani, pulegij, calamenthi, & ſimilium, in quibus diſſolu. benedict. laxatiu. diaphœn. mell. anthoſat. ol. aneth. rutæ. Valeriola cum carminatiuis incoquit fermenti acris ℥. j. ß. in expreſſione diſſoluit ol. rutacei ℥. iij. mellis deſpumati ℥. j. addit & vrinæ pueri impubis ℥. iiij. Conueniunt etiam diuretica, quæ ſeroſos humores per vrinas purgant, vt vinum album dilutum decocto rad. graminis, fœniculi, apij, petroſelini. Sunt tamen diuretica potius exhibenda in forma Elect. vel potionis, quàm in forma iulepi vel apezematis. Neque verò probanda eſt eorum ſententia, qui ſudores in hydropicis cient vſu decocti guaiacini. Nam ſic augetur iecoris ſiccitas frequentiſſima hydropis cauſſa. Huc accedit quod potius ex lapide aquam elicueris, quàm ex iecore arefacto aut refrigerato ſudorem. Si tamen Aſcitis ortus ſit ab immodico aquæ potu, ſudorifica nō ſint ita noxia, neque enim in hac cauſſa metus eſt ne ſiccantium vſu iecoris conſtitutio fiat deterior. Contra verò abſumptis per ſudorifica aquis iecur priſtinas vires recipiet, neque verò aſſumptis tantum, ſed etiam admotis ſeroſi humores in abdomine collecti euacuantur, foueatur ergo venter per ſacculos cōparatos ex rad. ireos, ebul. fol. origani, calament. ſambuc. rutæ, abſinthij, maioran. thymi, ſoldanellæ, ſeminibus calidis baccis lauri, Iuniperi præbullitis in vino albo. A fotu liniatur venter oleo

anethino, rutaceo, irino cum puluere ammoniaci, galangę, anethi, baccarum lauri. Pòſt litum admoueatur Cataplaſma ex baccis lauri & melle, quod reſoluit citra magnum calorem, vel Cataplaſma ex limacib. in lixiuio coctis cum ſuis tegumentis, dein tritis. Admouetur & Emplaſtrum ceroneum aucto ſulphure, & Emplaſtr. è baccis lauri, quod præter vulgarem compoſitionem recipiat ſtercus caprillum arefactum. Sic enim redditur mirabile ad flatus diſcutiendos & aquas abſorbendas. Valeriola componit Emplaſtrum è ſtercore bubulo, caprillo, in aceto ferucfactis adiecto ſulphure, alumine, ſale, baccis lauri, ebuli ſucco, omnibus ſubactis cum pice nauali; cuius Emplaſtri mirabiles vires ad ſoluendas hydropicorum aquas ſe obſeruaſſe teſtatur. Sed videndum eſt ne his & ſimilibus nimium exſiccetur iecoris ſubſtantia. Quidam corpus aceruo frumenti obruunt, quod frumentum aquam ex lagena exhauriat. Sed vix ſiccitate frumenti conſequi poteris, vt ſeroſus humor abſorbeatur. Sunt qui ſe obuoluunt ſabulo, alij fimo ſe abſcondunt. Fernelius in Pharmocopæa vnguentum deſcribit, quod illitum hydropicorum aquas potenter detrahit & diſtentum abdomen remittit, ſed illius & ſimilium vix periculum facias citra famæ iacturam. Inſerta namque muſculis & membranis vix purgatoria lethale ſæpe alui profluuium ciet. Quod ſi ſimul femora & tibiæ inflatæ ſunt abluantur lixiuio ex cinere ficuum & caulium, ſarmentorum vitis, in quo diſſoluetur ſal commune, alumen, & poſt lotionem admouebis Cataplaſma ex ſtercore vaccæ & ca-

præ

præ concorporatis cum lixiuio & vino. His accedat victus ratio ſiccans, parca, tenuis quantum vires ferre poterunt & vt parcitate abſumatur humorum redundantia. Inedia enim ſiccat, ob id vitari debent iuſcula, quæ tamen fiant ex carnibus euchymis, in quibus incoxerint rad. apij, fæniculi, graminis, petroſelini, conueniunt. Vrinas enim prouocant; ſed ea dentur in minima quantitate. Inprimis ſumma ſit potus perſimonia. Nam in ea natura ſeroſa ſæpè excrementa exſorbet, ſicque incurabilem interdum morbum profligat, vt inexplebili ſiti ferè omnes crucientur, paucíque ſibi à potu temperare poſſint, Ea eſt huius morbi calamitas, licet plerique ſola potus abſtinentia conualuerint, quo tamen plus bibitur eo magis ſitis incenditur & mors citius acceleratur. Potus autem ſit vinum album dilutum aqua hordei, vel rubrum aut pomaceum primarium. Conuenit panis nauticus (quem biſcoctum vocant) in quo inter pinſendum ſemina aniſi incocta ſint, vt ſic præparatus ad flatus diſcutiendos ſit aptior. Cibi ſint euchymi, nocet ſomnus longior & otium quia humectant. Proſunt vigiliæ quia exſiccant. Manè conueniunt frictiones per lintea aſperiora, præſertim ſecundum ventrem infimum: qui neque remediis neque victus ratione ſuprapoſita curantur, ad paracentheſin confugiunt, ad apertionem abdominis tanquam ad extremum remedium. At verò multi illud remedium reprobant, quia moriuntur ferè omnes, qui puncti fuerunt. Nam repente profuſis aquis intereunt quamlibet mo-

derata euacuatio ſeruetur. Alij approbant, vt vtilem, quia ea parte ſecta aqua euacuetur, quæ per aliam regionem perfectè euacuari nequit. Vtilem etiam eſſe conſtat ex euentu. Multi enim perforato vi naturæ vmbilico & ſenſim egreſſa per multos dies aqua integrè fuerunt curati. At verò id remedium non debet tentari ſi hydrops ſit confirmatus, vlceratus pulmo, corruptum hepar, & vires imbecilles; contraria ſi adſint vſurpari poteſt, neque tamen niſi ſumma neceſſitate vrgente, & præmonitis ægri amicis quanto in periculo æger verſetur, vt autem in paracentheſi iuniores chirurgi progrediantur docet Hollerius, cap. de hydrop. Paracentheſi longè tutior eſt ſcarificatio cutis infimi ventris, ſuperaddita ſpongia noua quæ ſiccitate ſua exoidentem per anguſtos poros humorem abſorbet. Quidam veſicatoria infimo ventri & tibiis admouent, quibus veſiculæ excitentur. Excitatæ confinguntur & aperta vlcera ſeruantur, ſuperpoſitis foliis braſſicæ vnct. ol. vel butyro, aqua ſinitur effluere per multos dies.

INTESTINORVM.

AFFECTVS.

OBSTRVCTIO.

Obſtructio inteſtinorum variis fit de cauſis, pro quarum varietate curatio variat. Si fiat ab induratis alui reliquiis aut à pituita gypſea reſiccata inteſtinis inſtar viſci adhærente,

potio-

potionibus catharticis, & clyſteribus remollientibus & digerentibus vtendum. iuſculis laxatiuis comparatis cum folijs betæ, butyro infulſo colliquato, aut ol. amygdal. dulc. recenter extracta ſatis larga copia ſumpto. Præterea fotibus emollientibus, cataplaſmatis ſimilibus, multo oleo, & adipe perfuſis vtendum, vt & balneis aquæ tepidæ. Pedes etiam in decocto malactico continendi. vt enim ad aſtringendam aluum laxam aſtringentia plantæ pedum admouentur, & aſtringente fotu tibiæ abluuntur; ſic eadem ad tardam aluum ſoluendam fotu remolliente ablui poſſunt. Interdum obſtruuntur inteſtina à tuberculo carnoſo ibi ſe genito, & quæ ab hac cauſa fit obſtructio eſt incurabilis. Tempore enim illud tuberculum ita calloſum & durum euadit, vt nullis remedijs emolliri poſſit. Interdum à tumore meſenterij aut hepatis, aut lienis coarctantur inteſtina. Interdum & ſcirrhus in ore vteri genitus rectum inteſtinum comprimit. Idem facit & veſicæ calculus grandior. Interdum inteſtinum in ſcrotum per peritonei foramen deuolutum hoc quaſi vinculo conſtringitur. In quibuſdã obſeruatum eſt vltimam ſpinæ vertebram initio luxatam hunc affectum peperiſſe. Idẽ præterea faciũt Clyſteres omnes adſtringentes, cibique ſimiles aut medicamenta valdè adſtringentia, quod Fernelius à cydoniato larga copia puellæ exhibito effectum ſcribit. Coarctatio quæ à viſcerum aut meſenterij, aut alterius partis tumore fit, iis leuatur quæ tumorem ſoluunt, fotibus, balneis & frequenti catharſi. Quæ ab [illegible] inte-

ſtinum reducatur ileum accerſit de quo poſteà.
Quæ à ſcirrho vteri aut calculo veſicæ fit, frequen-
ti clyſtere aut caſſiæ vſu leuatur, vt & balneis, &
quę à luxata intrò cauda, eâ extra reductâ, curatur.

PHLEGMONE INTESTINORVM.

CRaſſiora ſæpius quàm gracilia inteſtina in-
flammatione tentantur, quia ſanguine magis
abundant, & ex iis rectum inteſtinum ſępius eo af-
fectu laborat, quam alia. Phlegmone autem recti
inteſtini curatur baſilicæ ſectione, fotu remollien-
tium decoctorum in lacte, clyſteribus refrigeran-
tibus, humectantibus, mollientibus, ſed parua co-
pia exhibitis, ne tumore compreſſo dolorem exa-
ſperent. Vacuatio nulla tentanda, niſi fortè per ca-
ſiam, ne vitioſi humores ad partem affectam con-
fluant, qui inflammationem exaſperent. His niſi
phlegmone digeritur, vertitur in abſceſſum, púſq;
per anum ſeſe expurgat, & tunc iniectionibus ter-
gentibus mundandum vlcus ex decocto agrimon.
abſinthij, plantag. hord. in quo diſſoluitur mel ro-
ſatum. Syr. roſ. ſicc. interdum additur & aloë. Cu-
ratum vlcus cicatrice obducendum eſt.

COLICA.

COlica propriè dicta triplex ſtatuitur. Fla-
tulenta, pituitoſa, bilioſa. In flatulenta pri-
mo quoque tempore clyſterem iniicies, qui eo-
dem die bis, ter, quater reiterabitur, dum eua-
cuatis

cuatis flatibus, & cauſſa quæ eos excitat dolores, diſpareat. Clyſter comparabitur ex decocto ſaluiæ, maioran. hyſſopi, origani, pulegij, calamenthi, anethi, camomillæ, rutæ, abſinthij, ſeminibus fœniculi, aniſi, dauci, cumini, fœnugræci, baccis lauri; in colatura diſſoluatur oleum rutaceum, anethinum, chamemelinum, mel anthoſatum. Vel fit ex vino albo, aut muſcatellino, aut hyppocratico cum oleis rutæ, nucum, de ſemine lini, & cum melle anthoſato. Quod ſi ſit copia oleorum calidorum arte chymica extractorum, guttæ aliquot vnius ex iis iniicientur in clyſterem. Sæpè verò iniecti clyſteres ſurſum non aſcendunt præcluſis ſcilicet viis ob tenſionem à flatibus excitatam, acciditq; ſæpiſſimè vt iniecti plures clyſteres intus ſubſiſtant ac penè ſuffocent. Itaque ſi vno aut altero clyſtere, aut etiam tertio aluus nihil deponit glande acerrima reuocare præſtat, quàm maiore clyſterum copia ventrem diſtendere. Foueatur venter fotu calfaciente & flatus diſcutiente, & à fotu liniatur oleo anethino & rutaceo, de caſtoreo, & piperibus. Quod ſi olea arte chymica extracta ſint in manu ea ſunt vſurpanda. Nam ob partium tenuitatem promptiſſimè intro ſubeunt & citò liberant. His ſi dolor non cedat comparetur balneum aquæ tepidę paulò calidioris, in quo herbę remollientes & calfacientes concoxerint. Balneum enim inteſtina diſtenta flatu relaxat: his autem relaxatis flatus vel infra vel ſupra erumpunt, ſoluitúrque dolor. A balneo illinetur venter oleis ſupradictis, cum quibus aqua vitæ

miſta ſit. Sed in hac cauſſa, vt & in aliis habenda eſt ratio grauidarum, ne quid applicemus, aut aliter imprimamus, quod abortum faciat. Videndum etiam ne nimis aperientibus vtamur, ne apertis vteri cotyledonib. ſequatur abortus, ob quam etiam cauſſam nimis remollientib. & relaxantibus eſt abſtinendum. Colica pituitoſa fit à pituitoſo humore tunicis inteſtinorum impacto eóque inſtar terebelli perforante. Eadem remedia conueniunt quæ flatulentæ, clyſteres calfacientes, flatus diſcutientes, in quib. præter olea diſſoluuntur cathartica, vt benedict. laxatiua, diaphœnicum, hiera, diacolocynthid. Potus etiam diaphoretici, balnea aquæ tepidæ paulo calidioris, in quibus herbæ calfacientes incoctæ ſint. Quod ſi æger nauſeet & facile vomat, optimum erit iuuare impetum naturæ iis quæ vomitum prouocant. Sunt qui in hoc morbo à catharticis per os ſumptis abſtineant, quod ſcripſerit Galenus nunquam trahendos ad partem affectam humores. Sed id nullius eſt ponderis, quod in ea parte via eſt per quam attracti humores excerni poſſunt. Fugienda autem ſunt cathartica nimis violenta, vt helleborus, antimonium, ſed nec caſſia quamuis leuiter purget conuenit, quia flatulenta eſt. Quod ſi ob vomitionem aſſiduam cathartica retineri nequeant, apponatur vmbilico ſeu infimo ventri ampla cucurbitula; ibique remaneat per horam vnam ſi fieri poteſt. Aut in balneo ſumatur catharticum: hac enim arte retinetur. Inprimis autem cauendum ne calidorum tum introſumptorum, tum admotorum vſu humo-

res ex

res exurantur in inflammationem excitent. Sedato dolore apozema laxatiuum præſcribẽdum eſt, quo reliquiæ pituitoſi humoris, ſi quæ ſuperſunt euacuentur. Colica bilioſa fit à bile acri & retorrida, quæ ſua acrimonia mordicat inteſtina. In hac colica acrib. clyſterib. locus non eſt, vt neque fotib. calfacientibus, quia iis dolor magis exaſperatur, ſed potius emollientib. & acrimoniam humoris temperãtibus. Remolliunt malua, biſmalua, parietaria &c. Acrimoniam humoris temperant flores nymphеæ, mel roſatum, violatum, ol. roſat. viol. caſſia, cathol. Conueniunt ſemicupia aquæ dulcis in aqua præbullierint herbæ malacticæ. Vrgente dolore admouetur Cataplaſma infimo ventri ex farina lini & hordei coctis in ol. chamemeli. Datur etiam expreſſio Rhei infuſi in aq. cichorij. Interdum doloris atrocitas vti cogit narcoticis, vt philonio romano dato in clyſtere, vel in bolo, vel diſſoluto in decocto conueniente. Rondeletius parat pillulas ex opio, myrrha, caſtoreo cum mithridatio. Sed his narcoticis temerè vtendum non eſt. Venæ autem ſectio commendatur in colica bilioſa, interdum & in pituitoſa, cum metus eſt, ne doloris atrocitate ſanguis incaleſcat, febriſque generetur. Eſt & alia colicæ bilioſæ ſpecies, quàm ſæpè Paralyſis comitatur, cum cauſſa nempe bilis acris & mordax non eſt in colo inteſtino, ſed intra membranas abdominis effunditur. Huius colicæ nullus quod ſciam veterum & recentiorum præter vnum Fernelium meminit. Paulus tamen Ægineta videtur hanc colicam agnouiſſe, & ab aliis diſtinxiſſe, vt patet ex iis quæ

ſcripſit lib. 3. cap. 43. Noſtra ætate, inquit, colicus dolor quidam increbuit, ex quo præſertim ſuperſtites futuros conſummata motus artuum priuatio comitabatur, ſenſu tactúve incolumi, ſeu critica quadam ab ortu ex alto tranſmutatione, vnde motus pleriſque ſpatio temporis ſæpè rediit. Verum nullam ille huius colicæ curationem tradidit. Hanc artem didicimus à Palmerio cui ideo acceptam referemus cognitionis & curationis huiuſce colicæ notitiam. Bilis flaua aut retorrida, quæ vel tertianam febrem, vel quartanam committebat, aut alioquin ſine febre in cyſti fellis & meſenterio erat collecta. ſæpè poſt vehementem iracundiam, aut in criſi diuturnarum febrium ob venarum meſaraicarum obſtructiones nullam viam liberam reperiens intra abdominis membranas repente excutitur. Hinc dolor exoritur crudeliſſimus colicum imitatus, qui tamen neque clyſteribus, neque fotibus, neque aliis remediis cedit. Et huius cauſſæ magna debet eſſe ſuſpicio, cum febris aut continua, aut intermittens diuturna præceſſit, quam repentem citra vllam euacuationem hi dolores colici exceperint. Aut etiam ſi non iis remediis quibus colica pituitoſa conquieſcat, aluo variis clyſteribus ſoluta, primíſque venis cathartico deterſis demittatur æger in balneum aquæ dulcis tepidæ, in quo remollientia coxerint, bis, ter, quater, quinquies in die, vt acrimonia humóris temperetur, pori membranarum aperiantur. Poſtero die cathartico accommodato humor ille purgetur, dein repetatur balneum, idque alternatim

natim faciendum, modo validæ ſint ægri vires, dum ſedatis doloribus & expurgato humore æger in tuto ſit. Niſi autem humor ille retorridus magna in copia euacuetur, in duos treſve menſes grauiſſima ventris tormina perſeuerant. Corpus tabeſcit, febris interdum, alicuius ex intermittentibus typum referens, moleſtat, interdum, idque ſæpius continua & lenta, doloribus ventris remittentibus, paralyſis contrahitur robore neruorum per ſpinam diſperſorum diſſoluto ab eo humore retorrido, qui per abdominis membranas in ſpinam dorſi ſenſim irrepſit. Ea paralyſi motus quidem, ſed non tactus perit, eaque ad multos menſes perſeuerat. Senſim tamen Sole ad nos redeunte motus redit, aliis tardius, aliis citiùs, qui raro ſunt corporis habitu, vt ſanguinei omnium facillimè curantur. Sequuntur pituitoſi, dein bilioſi, omnium difficillimè melancholici, tum ob humoris contumaciam, tum ob membranarum denſitatem. Linienda eſt hora ſomni ſpina dorſi partes paralyticæ Balſamo digerente & neruos roborante modo febris abſit. Si enim adſit, lana ſuccida oleo aut vnguento digerente imbuta partibus paralyticis alligatur, cauendo diligenter frigus, quia illud humorem partibus impingit, eumque difflari non ſinit. dolent quidem crura & tibiæ, ſed in paucis reſoluuntur, bile ſcilicet ob ſuam leuitatem in ſuperiores partes irrepente. Quod ſi ea bilis prætergreſſa ſpinam dorſi, in cerebrum irrumpat, fiunt conuulſiones epilepticæ, tumque metus maximus eſſe debet ne moriatur æger. Nam ex

centum qui Epilepſia corripientur, vix decem ſuperſtites euadunt, quod ſæpius in artis operibus obſeruare mihi licuit.

ILEVS.

ILei eædem ſunt cauſſæ quæ colicæ ab obſtructione inteſtinorum, ideoque eos affectus, ſi diu perſeuerent, conſequitur interdum enterocele, & omphalocele hunc, affectum parit, vt & inflammatio veſicæ, quæ à tuberculo carnoſo alióve tumore in inteſtinis adnato oritur, curam non recipit. Qui ab inflammatione, deſiderat venæ ſectionem, cucurbitularum in inguinibus aut circa inguina appoſitionem, Clyſteres blandos & refrigerantes. Olea, linimenta, fomenta & ſimilia. Qui à craſſis & viſcoſis humoribus in capacitate inteſtinorum impactis, ibique induratis, curatur clyſteribus acribus, in quibus infunditur colocynthis, aut diſſoluitur hiera diacolocynthid. Benedicta laxat. validis catharticis per os ſumptis fotu infimi ventris decocto malactico; balneis, & ab egreſſu balnei vnctione infimi ventris, oleis remollientibus, & relaxantibus. Præterea vt liniantur, malaxentur, lubricentur inteſtinorum viæ, dantur clyſteres ex decocto amazorum capitum & pedum veruecis aut vituli, in quibus diſſolue olea, adipes. Et per os ſumuntur butyrum inſulſum colliquatum oleo amygdalar. dulc. recenter extracto. Sunt qui in hac cauſſa valdè commẽdant hydrargyrum in magna copia hauſtum cum aqua, quod ſe experimento cognouiſſe teſtantur, nec ratio deeſt. Illud enim

enim ſuo pondere deorſum deturbat, quæ in capacitate inteſtinorum continentur. Si ab inteſtini in ſcrotum delapſu inicîatur frequenter enema remolliens & flatus diſcutiens, adhibeatur Fotus & Cataplaſma ſimile, dein remollitum inteſtinum blanda & perita chirurgi manu in ſuum locum reponatur, hac cautione adhibita ne ex vehementiore eius preſſu aliqua noxa inteſtino accedat. Parum edendum, & multo minus bibendum, ne oneratis & impletis à multo cibo inteſtinis mors acceleretur.

CITA ALVI DEIECTIO.

CVm aluus ſolito fluidior eſt, ſi bilioſæ ſint deiectiones natura humores inutiles vtiliter purgat ac timenda eſt, imò potius propinato cathartico iuuanda. In id verò maximè conuenit Rheum, quod in quacunque forma exhibeatur noxia excrementa detrahit, adeoque ab imminente alui profluuio liberat. At verò ſi ſint albidæ, crudæ, vel cinereæ, inutilis eſt illa vacuatio, tuncque parcè bibendum, aſſis potius quàm elixis vtendum, iiſque euchymis & coctu facilibus, vt ſolita cibi copia imminuta calor melius alimentum concoquat. Tum etiam danda ſunt ea quæ ventriculum roborant & calfaciunt ſuo eius in proprio capite dicta. Et hæc quidem ſufficiunt cum bis, ter, quaterve ſolum die aluus reſoluitur. Nam cum frequentiores ſunt deiectiones alui, iam adeſt aliud profluuium, cuius differentiæ ex deiectionum differentiis ſtatuantur. Aliud cœliacum dicitur,

aliud lientericum, aliud humorale, quod vno verbo diarrhea vocatur, de quarum alui fluxionum curatione agendum eſt.

COELIACA.

COeliaca, alui profluuium eſt in quo aſſumpta velociter & affatim excernuntur, ſed non prout ſunt cruda, verum chyli ſpeciem referentia ſine vllo dolore. Tanto impetu in hoc alui fluore excrementa prorumpunt deorſum & ſupra, vt vno die incredibilis copia reddatur. Conquieſcit autem interdum eodem quo cœperat, die interdum poſtero, ad ſummum tertio, vix tamen vltra primum diem fluoris impetus viget, cum prorſus ſuperuacaneus ſit & naturæ grauis, qui profunditur, humor non eſt prohibendus, nec ſi id coneris vllo modo poſſis, tanto impetu infra & ſupra prorumpit. Itaque vitatis adſtringentibus & purgantibus roborantia tantum ventriculo admouentur, vt fotus ex origano, calamentho, thymo, pulegio, maiorana, abſinthio & ſimilibus in vino rubro incoctis. Litus ex oleo maſtichino, nuc. moſchat. aq. vitæ, & ſimilibus. Emplaſtr. è maſtiche, carne cydoniorum, conſeru. roſar. cum ſyrupo abſinthino, adjectis mithridatio & theriaca. Præterea vt confirmetur naturæ vis languidior, cardiaca intro ſumuntur, quæ ſi vomitu cum bilioſis humoribus reddantur, ſæpius repetenda ſunt, donec corroborato ventriculo humorum impetus deorſum conuertatur. Cibus ſit gelatina, ouum ſor-

ſorbile, conſummatum, expreſſum carnium & ſimilia. Potus ſit vinum generoſum, hyppocraticum moderatè dilutum, idque aqua cardui benedict. ſi ſit in manu, vt roboretur ventriculus, & diſſipati ſpiritus reſarciantur. Cumque hoc alui profluuium vno aut altero die deſinat, longiore curatione opus non eſt, cui qui ſunt obnoxij, tandem eius impetum negligunt experti, quod plus terroris quàm periculi habeat.

LIENTERIA.

Lienteria ſit multis de cauſſis, quibus ſingulis propria & peculiaria remedia debentur. Si à nimia cibi copia, ſola ſufficit inedia. Si à diuturno vſu alimentorum pinguium & oleoſorum, præſcribatur victus ratio inſpiſſans & deſiccans. Conuenit in hac cauſſa puls ex farina frumenti cum lacte. dein relaxatus & emollitus ventriculus adſtringentium vſu corroboretur. Si à vitio ventriculi malè coquentis, aut retinentis, ei conſulendum eſt tum ſumptis, tum admotis, quæ calorem excitent & laxum ventriculum adſtringant & roborent. Si à magna infimi ventris impuritate in ventriculum proruente, ea detergenda eſt & euacuanda potionibus, apozematibus, ſyrupis, & opiatis laxatiuis. Si ab hepatis aut imbecillitate, aut obſtructione, recurrendum eſt ad eorum affectuum curationem. Si à ſuperpurgatione roborandus eſt ventriculus fotibus non tamen admodum calfacientibus, cum acria & calida medicamenta malo

cauſſam dederint, quæ potius temperari & mitigari poſſunt. Dentur iuſcula pinguia, lac recens mulctum, indantur clyſteres, in quibus athanaſia & philonium diſſoluantur. Somnus omni arte concilientur. Lienteria quæ diuturnos morbos, maximè verò Diarrhœam aut Dyſenteriam conſequitur, lethalis ferè, ſaltem valdè periculoſa exiſtit. Hanc enim parit ſumma coloris, & virium omnium imbecillitas.

DIARRHOEA.

Diarrhœa quæ immodica non eſt, ſalutaris eſt, ſi verò iam in multos dies extenditur virium hæc ſolutionem adfert, cui, antequam contingat, ſic eſt occurrendum: detur purgatio vacuando humori propria, eaque iteretur dum ſentina morbi ſit exhauſta, interiectis roborantibus ventriculum & humorem concoquentibus. Venæ ſectio etſi videtur in hoc affectu formidabilis, tamen prodeſt, interdum vbi bilis efferata per aluum efficitur, quæ calida & ſicca iecoris intemperie perpetuo noua gignitur. Galeno quidem in hoc affectu ſuſpecta eſt & venæ ſectio & purgatio, quod intellige de vehementiſſima purgatione & de pituitoſa Diarrhæa, in qua venæ ſectioni locus non eſt. Immodicus autem alui fluor ſiſtitur victu adſtringente, ventriculum roborante. Fotibus ex decocto plantag. menth. rubi, cupreſſ. equiſet. ſummach. caryophyllorum omnibus in aqua chalybeata & vino rubro eoque auſtero decoctis, vnctione ventris

ex oleis adſtringentibus. Fiat opiata ex carne cydoniorum, conſeru. roſ. vete i, & conſeru. ſymphyti cum bolo armena ſor. in aqua roſarum, & ſyr. cydoniorum. N B. Diarrhœa quæ contingit in declinatione morborum acutorum aut longorum ſalutaris eſſe ſolet, initio morborum vel eorum longitudinem vel humoris morbifici copiam ſignificat. Inutilis, verò & periculoſa in peripneumonia, & pleuritide, quia nihil à parte inflammata demit, cum nullæ viæ communes ſint, per quas à pulmone & ſuccingente coſtas membrana ad aluum deduci noxius humor poſſit, & tamen vires reſoluit, quarum robore curationis ſpes conſiſtit. Obſeruatum tamen eſt in quibuſdam peripneumonicis & pleuriticis diarrhœã fuiſſe ſalutarem. Eadem periculoſa eſt in febre hectica, vlcere pulmonis, atrophia, hydrope, *imò ferè hydropici diarrhœa moriuntur*. Quibuſdam diarrhœa durat *in duos annos* iecore alimentum in bilem exurente & materiam profluuio aſſiduo ſuppeditante, & quæ tandem iugulat inteſtinis vlceratis, interdum etiam & corruptis.

Dysenteria.

Dyſenteria iis familiaris eſt, qui bilioſi aut retorridi humoris copiam coaceruant. Initio curationis humor illius cauſſa euacuandus eſt. Nam etſi adducenda nõ videatur fluxio in partem affectam, tamen quia humor vitioſus, ſi ibi remaneret affectum augeret, ideò purgatio primùm inſtituenda, dein vlcus curandũ tergẽtibus, glutinant-

tibus, adſtringentibus, conſolidantibus. Quia autem fluxio à bile vt plurimum excitatur Rhabarbarum ſolum conuenit, & in ſubſtantia ſumptum. Quidam illud torrefaciunt, vt maiorem adſtrictionem acquirat, quod Rondeletius improbat, quia aſſatione acrius redditur ob empyreuma. Repetatur purgatio quarto quoque die donec conſtiterit fluxio & exhauſtus ſit morbi focus. Venæſectio à quibuſdam reiicitur, quod vires profluuio fatigatæ altera vacuatione non ſint debilitandæ. Sed interdum locum habere poteſt, vbi febris eſt vehementior, & vlcus dyſentericum cum inflammatione coniunctum, idque initio morbi non expurgato corpore, in quo vires, longa per aluum humoris profuſione, plurimum fuerint debilitatæ. Hæc dum fiunt, iniiciendi ſunt clyſteres & ſæpè repetendi, primum anodyni & lenientes, dein tergentes. Poſt cum ſufficiens humoris vacuatio facta eſt, adſtringentes primo, glutinantes, & cicatrizantes, hac cautione adhibita, vt maior quantitas aſſumatur, ſi eluenda & tergenda ſunt inteſtina, quia tunc impleri debent, minor verò ſi adſtringere, glutinare, & conſolidare oportet, quia diutiſſimè tunc clyſteres ſunt retinendi. Item vt oleis & aliis omnibus pinguibus abſtineamus, quia ſordidiora reddunt vlcera. Clyſter refrigerans, anodynus, & leniens fit ex lactuca, portulaca, tapſo barbato, chamomil. parietar. malu. violar. hord. mundat. ſem. pſillij, cydon. plantag. althææ, iuiub. paſſul. ſebeſten. rad. altheæ decoctis in lacte vel in decocto capitis & inte-

ſtinorum

ſtinorum veruecis, diſſoluitur. ſyr. nymphææ, papau. vitell. ouorum, &c. Clyſter detergens fit ex decocto hordei integri, & ſero lactis, hydromelite, decocto cicerum rubeorum diſſol. ſaccar. rubr. roſatum, Therebentinam lotam in aq. plantag. & roſarum. Adſtringens fit ex centinodia, plantag. roſ. rubr. oriza torrefacta, gallis, balauſtiis nucibus cupreſſi, decoctis in aqua chalybeata aut lacte vſtulato, quia lac ſero conſumpto terget minus, adſtringit magis diſſol. ſaccar. roſatum, ſyr. roſ. ſiccarum, myrtillorum. Hic nota quod dandi non ſunt clyſteres adſtringentes, niſi vbi inteſtina probè fuerint deterſa à ſordibus è pure, ne alioquin ſordes ibi retineantur & pus in inteſtinorum inuolucris impingatur. Conſolidans & cicatrizans fit ex ſuccis plantag. portul. depuratis, & ex aq. roſarum, in quibus diſſoluantur ſyr. è ſucco nicotianæ, ſaniculæ, adiecto tenuiſſimo puluere boli armeni, & terræ ſigillatæ. Interdum doloris atrocitas vti cogit narcoticis, vt opio, philonio, *athanaſia*, quorum iuſta quantitas diſſoluitur in clyſteribus. Leniatur interdum dolor ſacculis comparatis ex herbis remollientibus & refrigerantibus decoctis in lacte. Et iecori, quod hunc affectum fouet, admoueantur Epithemata refrigerantia; & quia nihil tam profluuium ſedat, quàm ſomnus, danda ſunt ſomnifera. victus refrigeret, humectet, & acrimoniam humoris contemperet.

Conueniunt ergo iuſcula comparata ex carnibus euchymis, in quibus herbæ refrigerantes coxerint, Gelatinæ, expreſſa carnium Pro potu

detur hydroſaccarum cum ſaccaro roſato comparatum, Iulep roſatum cum triplo aquæ chalybeatæ, Iulep alexandrinum, ptiſana, & ad vires roborandas fiant deſtillata reſtaurantia ex conſeruis adſtringentibus, & cardiac. diſſolut. in decocto capi alterati cum herbis refrigerantibus & adſtringentibus. Lethalis autem ſolet eſſe Dyſenteria, quæ ſit atra bile, maximè ſi affatim effundatur, vt ait Hipp. 24. ſect. 4. Robuſtiſſimos enim quoſque paucis diebus iugulat irritis remediis omnibus. Si tamen guttatim è foco atrabilis in inteſtina illabatur, curabilis eſt ea dyſenteria, nec aliis remediis opus eſt, quàm iis quæ iam ſunt expoſita.

TENESMVS.

TEneſmus Dyſenteriæ ſpecies ſit, cum in rugis ani humor acris retinetur, qui illam vellicando aſſiduam egerandi cupiditatem excitat, ſed inanem, cui niſi maturè occurratur, vlcera in ea parte gignuntur moleſtiſſimo dolore comita ta. Remedia ſunt frequens Clyſter ex lacte, in quo tapſus barbatus bullierit. Fotus ani dolorem liniẽs ex remollientibus coctis in lacte vel in aqua & vino rubro. Litus eiuſdem partis ex populeo, quo imbuitur cotto, & inditur in anum. Vulgus laterem candentem aceto irrorat & fumum ano excipit in cathedra perforata. Excipitur etiam fumus ex thure in ignem coniecto. Cúmque in meſenterio & iecore ſit mali focus, Rhabarbaro ſæpè repetito exhaurienda & inhibenda fluxio. Victus ratio & reliqua remedia eadem quæ

in

in dyſenteria. Cum ſedato dolore, & inhibita fluxione vlcus ſupereſt, primum id tergendum decocto hordei, hydromelite, mello roſato. Terſum deinde exſiccandum eſt ex galle, roſis rubr. oryza torrefacta coctis in aq. chalybeata diſſoluitur bol. ſang. dracon. Clyſteris minima ſit quantitas ſcilicet ad ℔. ß. quia vltima inteſtini recti pars tantum abluenda. Vngitur autem vlcus vnguento populeo, albo Rhazis, cui caphura additur, ſi vlceri phlegmone ſit coniuncta.

VERMES.

VErmes è corpore expellere expedit, quia ſunt contra naturam & multorum ſymptomatum cauſſæ. Expelles ſi prius necaueris, viuentes enim cum inteſtinis adhæreant obſiſtunt. Expelluntur tamen interdum vini, ſed ſtupefacti, & ſemi mortui. Necantur autem amaris medicamentis, catharticis verò non ſolum necantur ſed & expelluntur, ac præterea renaſci prohibentur. Vulgus ad vermes expellendos vtitur puluere ſeminis contra, quod propinant vel ex lacte, vel cum carne pomi aſſi. verum nocet calidioribus naturis & bilioſis. Humores enim exurit & febribus caput exponit. Ideóque ab eius calore temperandum. Miſcetur raſura cornu cerui, coral. rharbarb. agric. ex quibus cum ſaccaro quadruplo aut quintuplo fit puluis. Vermes non ſolum enecans, ſed etiã enecatos in aluum exturbãs, Pręſtãtiſſimum eſt remedium rhabar. infuſ. in aq. portulac. vel in decocto fol. abſinthij, mali perſici. rad. Enulæ & ſimilium, bis in hebdomade exhibetur, dũ

impuritati corporis ſit ſatisfactum. Fit & potus ex diacarthamo diſſoluto in decocto abſinthij. Fit etiam apozema ex rad. herbis accommodatis. Infunditur in eo decocto Rheum, ſena, agar. Turpethum. Conuenit etiam hiera in forma pillularum. Hic notandum eſt, quod cum amaris, quæ vermes enecant, miſceantur cardiaca, quæ contra venenum valent, quia à vermibus viuis, multoque magis à mortuis, terri & venenati vapores ad cor efferuntur. Quod ſi fortè vermes ſurſum ad ventriculum & fauces contendant, præter ſupradicta ore ſumenda, iniiciendi Clyſteres ex dulcibus comparati, ad eos eliciendos, quales ſunt ij qui fiunt ex lacte, & vitellis ouorum, ſaccaro, melle roſato. In his autem clyſteribus non ponenda ſunt olea neque ſal. Interim extrinſecus ventri adhibenda quam amariſſima medicamenta, vt ol. abſinth. rutæ, amygdal. amar. quibus addetur puluis aloës, centaurij minoris. Prodeſt fel taurinum ſolum vel cũ aloë & abſinth. puluere miſtum. Cuminum piſtum cum felle tauri vmbilico illitum vermes enecat, & deturbat. Fit & Cataplaſma ex abſinth. centaur. minor. & maior. ruta, tuſis & cum felle bubulo incorporatis. In vulgari vſu eſt Emplaſtrum ex maſſ. pillul. communium & oleo abſinthij. Si febris vermes comitetur minus calefacientia vſurpabuntur. Ad enecandos latos vermes, qui nunquam ſurſum conſcendunt iniiciendi ſunt Clyſteres comparati ex amaris, vt rad. Enulæ brion. fol. abſinth. centaur. perſici mali, & in colatura diſſoluitur hiera ſimplex, hiera colocynth.

cynth. fel. bouinum, ol. amygd. amarar. aut ſimile. Ad aſcarides qui rectum inteſtinum occupant, conueniunt etiam clyſteres amari, ſuppoſitoria ex rebus amaris, vt aloë, felle bouino, &c. Vel ex carne ſalſa filio appenſa. Fotus eiuſdem partis ex decocto eorum, quæ amaritudine pollent. Præcipuum tamen in his omnibus fuerit curationis caput purgatione frequenti, balneis aquæ tepidæ, aliiſque accommodatis remediis, ita impuritati corporis ſatisfácere, vt nulla poſtea vermibus materialis cauſſa ſuppetat.

SEDIS AFFECTVS.

Procidentia ani.

PRocidit ſedes, vel ab externa cauſſa, vt ictu, caſu; vel ab interna, vt frigida & humida intemperie muſculos illius partis reſoluente, malum pueris præcipuè familiare, ad cuius curationem parſimonia potus eſt opus. Interim topica admouentur, vt fotus adſtringens, ſiccans, corroborans è roſ. rubr. ſumach. myrtill. cort. granat. balauſtiorum, cupul. glandium, gallis, nucibus cupreſſi, fol. plantaginis, equiſeti, centinodij, & ſimilibus decoctis in aq. fabrorum & vino rubro. Suffitus ex maſtiche, olibano, roſ. rub. benioino, vel ex decocto fotus ſupradicti effuſi in lapidem molarem candentem. Poſt fotum, antequam reducatur extremitas recti inteſtini, aſpergitur puluere terræ ſigillatæ, boli armeni, roſ. rubr. & ſimilibus. Fit & maſſa pillul. ex puluere

Rhabarbari, puluere limacum rubrorum lotorum in vino albo, terra ſigillat. bol. armen. malax. omnibus cum ſyrup. myrtillorum. Quod ſi hoc ſymptoma excitatum ſit à reſolutione nerui, qui ab extrema ſpina ad ſedem porrigitur, topica applicanda ſunt extremitati ſpinæ, qua parte iſchium cum oſſe ſacro connectitur, iiſque remediis vtendum, quæ expoſita ſunt capite de Paralyſi.

INFLAMMATIO SEDIS.

INflammatio ſedis, quæ noſcitur tumore, rubore, calore ejuſdum partis & præterea febre, venæ ſectionem poſtulat bis, ter, repetitam ſi opus ſit, dein topica refrigerantia, repellentia, poſt digerentia. Quod ſi nihilominus ſuppuret, niſi breui ſponte rumpatur abſceſſus, arte via comparanda, dein vlcus detergendum, incarnandum, cicatrizandum.

RAGADES.

RAgades ſunt fiſſuræ interdum in ſedis margine, ſunt ſimiles iis quæ in labiis apparent & articulis digitorum ob boreæ ſlatum aſperiorem intolerabilem illæ dolorem faciunt. Remedia ſunt ſuffitus, aq. aluminoſ. & ſimilia.

ANI FISTVLA.

DE ani fiſtula tam appoſitè ſcripſit Cornelius Celſus, vt à peritiſſimis cheirurgis nihil à curatione ab eo tradita diſcedatur.

HÆMOR-

HÆMORRHOIDES.

PRæter naturam fluunt hæmorrhoides aut retinentur. Præter naturam fluunt, cum ſanguis in immodica quantitate erumpit, túncque quia metum adfert ſyncopes, ſiſtendæ ſunt. Siſtuntur baſilicæ ſectione. Pontionibus ex aq. plantag. roſarum centinod. burſæ paſtoris, in quibus diſſoluuntur trochiſci de terra ſigillata, de bolo armeno, puluer. ex ſaccar. roſar. bol. armen. terra ſigillat. corall. raſur. ebor. vſti. Opiatis ex dictis pulueribus mixtis cum conſerua roſatum, ſymphyti & frequenti vſu Rharbarbar. in puluere ſumpti cum cydoniato aut carne cydoniorum, aut opiata aliqua adſtringente. vinculis dolorificis admotis ſuperioribus partibus, vt brachiis curcubit. adhibitis regioni hepatis aut vmbilico. Fotu & ſuffitu exſiccante & venas claudente, vnctionibus ad ſpinam dorſi refrigerantibus. Victu refrigerante, incraſſante, & vini abſtinentia. Poſtrema curandi ratio eſt, vt extremitates vaſorum ſanguinem effundentium vinculo adſtringantur, ea ratione, qua Aëtius & Paulus docuerunt, vel etiam ſecentur aut vrantur, ſed rariſſimè ad hanc operandi rationem veniri ſolet. Controuerſa autem quæſtio eſt, vtrum cum ſiſtuntur hæmorrhoides vna ſit relinquenda, vt cenſet Aëtius; an verò nulla, vt cenſet Paulus. Galenus nullam relinquendam cenſet, ſi æger per interualla purgetur & phlebotometur, ſi exerceatur, idonea victus ratio adhibeatur, quia ea vacuatio naturalis non eſt. Hæc ſi non obſeruentur, vnam cum Hippocra-

te vult relinquendam quæ ſtatis periodis fluat metu grauioris morbi, vt hydropis aut tabis. Neglecta igitur artificioſa curatione vna eſt relinquenda, adhibita verò, nulla. Sicque conciliantur Aëtius & Paulus. Hollerius verò id ægri arbitrio relinquit. Si inquit, ille æger grauius ferat catharſin, venæ ſectionem, idoneum victum; leuius verò, hæmorrhoidem, vna relinquenda: Si contra hæmorrhoidem grauius, illam verò leuius, nulla relinquenda. Vacuatio tamen quæ fit per illas venas omninò præter naturam eſt, ideoque non facienda eius conſuetudo. Quibuſdam tamen naturis naturalis fit conſuetudine, & ſanitatis cauſſa eſt, vindicatque homines à grauiſſimis morbis, maximè à melancholia. Retinentur verò hæmorrhoides præter naturam, cum ſanguis magna in copia in eas influit, nec viam vllam, qua exeat habet. Huius ſymptomatis ſemper comes eſt dolor grauiſſimus, quem inflammatio interdum conſequitur. Primus ergò ſcopus curationis erit, vt dolor leniatur. Lenietur fotu anodyno ex malua, biſmalua, parietaria, ſemine lini, fœnugræci, altheæ, floribus camomillæ & anethi, coctis in lacte, cuius vapor aut excipiatur, aut ſpongia eo decocto immerſa fouebitur anus. Fit & cataplaſma ex mica panis cum lacte, oleo roſarum, & vitello oui, & croco exiguo. Vulgo vſurpatur litus ex populeone, vitello oui, & oleo roſato. Imbuitur eo pannus mollis aut lana aut cotto, & admouetur hæmorrhoidibus. His interdum adiicietur parum opij, ſi dolor crudeliſſimus

vigeat.

vigeat. Quod ſi dolor diſtenſione fuerit excitatus fotus conueniet ex leuiter diſcutientibus. Nam diſcuſſa parte humoris imminuitur tenſio. Ergo cum emollientibus ſupradictis miſceatur tapſus, flores camomillæ, meliloti, ſummitates anethi, fiat decoctio in lacte, aut aqua, aut vino albo pro fotu cum molli linteo, potius quàm cum ſpongia, quia ſua aſperitate partem lædit. Verum nulla re compeſcitur dolor, quam vacuatione ſanguinis hæmorrhoidas replentis. Ideò ſi manifeſta ſit hæmmorrhois, admoueantur ei hyrudines bis, ter, quater, donec plenitudini ſit ſatisfactum & fèruor ac dolor ſedentur. Hyrudines autem quæ admouebuntur prius ſuo limo exonerari debent, & depurari, quod conſequemur ſi diu in aqua fontana aſſeruentur, quæ tamen quotidiè, aut alternis diebus immutari debet; Alioquin ſi non præparatæ admoueantur venenatam qualitatem parti inurent, vnde reddentur vlcus cacoëthe. Porrò antequam admoueantur, emolliente fotu cutis emollienda & attenuanda. Sic enim facilius partem vulnerant. Quod ſi recuſant roſtro ſuo venam perforare, ea ſanguine gallinæ illinenda eſt. Sunt qui gladioli cuſpide hęmorrhoides aperiunt, ſed quibuſdam immodicè erumpit ſanguis, vix vllis remediis cohibendus. Adde quod in cacochymia vlcus à gladiolo relictum cacoëthes euadit. Alij eas aperiunt litu ex cepa ſub cineribus cocta miſta cum felle bouis; vel ex aloë, pulpa colocynthidos, & ſuillo felle. Aperiuntur etiam frequenter vſu aloës & ſaphenæ ſectione. Victus ſit refrigerans & con-

temperans, imprimis vitentur ſalſa, & aromate condita. Aluus toto morbi progreſſu ſit mollis, ne fæces obduratæ hæmorrhoides tumentes comprimant, adeóque dolorem augeant.

RENVM VITIA.

Inflammatio & vlcus.

INflammatio Renis curatur remediis generalibus & particularibus. Generalia ſunt purgatio, venæ ſectio. Purgatio ſit remollientibus Clyſteribus & refrigerantibus, in quib. diſſolut. loch. de caſſ. cathol. & ſimilia. Bolus ex cathol. caſſ. Hæc enim duo minus cæteris purgantibus, inflammationibus inimica. Quantum ad venæſectionem, ſecanda baſilica reſpondens affecto reni. Bis, ter, quater repetitur venæſectio modo vires conſtent, ídque donec fluxio, quæ in renem ferebatur conſtiterit, quod ex doloris remiſſione noſcitur. Particularia Renum remedia ſumuntur vel admouentur. Admouentur initio refrigerantia, repellentia, qualia ſunt oxyrrhod. butyrum inſulſum aceto lotum. Epithema ex ſuccis & aquis plantaginis, roſarum acetoſæ. Vnguentum album refrigerans Gal. Cataplaſma ex farina hordei cum lacte & oleo roſato in aceto loto. Quod ſi maior ſit ardor, vſurpetur vnguentum populeum, & in linimentis ſupradictis miſceatur camphora, hydrargyrum. Si nihilominus febris perſeueret horrore comitata & vomitu abſceſſus expectandus. Vt autem id citius fiat ſuppurantia

tià ſunt admouenda vt cataplaſmata ex herbis remollientibus, ſemin. lini, flor. camomill. quibus coctis, tuſis, & cribratis adduntur butyrum, farinæ, axungiæ gallinæ, & olea. Quibus niſi abſceſſus ruptus cum vrinis ſeſe expurgat, pus in abdominis capacitatem irrumpit, vnde vel repentina ſuffocatio, vel febris hectica totius corporis macie comitata. Sæpè tamen tumor foras ſeſe manifeſtat, túncque vel cauterio potantiali vel ſcalpello, vbi ſuppurarit, aperiendus. Quæ verò intrò ſumuntur non ſunt diuretica, illa enim ſuo calore & acrimonia inflammationem exaſperant, & humores in partem affectam tranſmittunt, qui ſemper à parte affecta ſunt reuellendi. Conueniunt apozemata ex endiuia, plantag. ſummitatibus maluę, iuiubis, ſebeſt. paſſulis, ſeminibus frigidis, & iis quæ ſanguinis feruorem contemperant. Fit decoctio in aqua hordei, in colatura diſſoluitur ſyr. nymphææ, violarum, altheæ, & roſarum quę adſtrictione ſua ſanguinem ad motum ineptiorem reddant, aromatizetur ℥. ij. puluere diatragac. frigid. His accedat victus humectans & modicè refrigerans in quo nihil vini detur. Interim tertio quolibet die Clyſtere blando aluus niſi fuerit mollis prouocanda. Abſceſſu facto, pus cum vrina eiicitur, & interdum caruncula renum, id eſt, portiones quædam carnis renum. Ruptum abſceſſum ſequitur vlcus, id eſt ſoluitur carnoſæ Renum ſubſtantiæ continuitas. Eſt autem vlcus renum admodum diuturnum, & vt plurimum inſanabile, quia perpetuo allui-

tur à præter fluente vrina, à cuius etiam acrimonia exaſperatur. Sunt qui acrioribus diureticis vlcus illud tergent, & ſiccantibus intro ſumptis ad cicatricem perducere conantur. Immò quidam ad exſiccandum illud vlcus conſulunt vſum decocti Guaiacini. Sed cum ab iis vrina reddatur acrior, renis vlcerati caro abſumitur. Sed neque vomitoria in hoc affectu vſurpanda cenſeo, quia in vomitu vlcus renum diſrumpitur, blandis tantum medicamentis locus eſſe debet, quæ leniunt, contemperant, & acrimoniam puris obtundunt, qualia ſunt ſyrupus altheæ, caſſiæ medull. cum Rheo ſumpta. Emulſio ſemin. frigidorum & amygdalat. deprompta in aq. parietar. & hordei. Decoctum liquiritiæ, iuiubarum, ſebeſten. rad. biſmalu. conſolid. maior. cort. fabarum, agrimon. plantag. capillar. maluæ, ſem. quatuor frig. mai. hordei integr. florum cordialium, & in colatura diſſolue mel roſatum colatum, ſyr. liquiritiæ, capill. vener. Conuenit etiam ptiſana, hydroſaccarum, hordeatum mundatum, hydromel ex melle conflatum, id eſt valdè aquoſum, in quod ſemina frigida maiora bullierint. Lac aſininum, caprillum, cum ſaccaro roſato ſumptum. Quod ſi vrina ſit valdè craſſa & mucoſa, therebinthina in aq. parietar. & plantag. lota auxilio eſt. deniq; omnia lenientia, digerentia, quæ citra manifeſtum calorem vlcerum ſordes tergent, & acrimoniam puris temperant, quibus ſolis vtendum omiſſis acrioribus ob cauſſam ſupradictam. Extrinſecus admouetur litus refrigerans præſcriptus in Renum phlegmone. Sunt qui topica adſtrin-

adſtringentia ſiccantia, & cicatriſantia admoueant, ſed paruo profectu omnia. Interim ſi dolor adſit ſedandus is eſt fotu vel ſemicupio ex malua, biſmalua, parietaria, ſemine lini, fœnugræci, floribus chamæmeli, meliloti, anethi. Ex quorum magmate per ſetaceum tranſmiſſo, addito oleo chamæmelino, liliorum, adipe gallinæ, mucilag. ſem. altheæ fiat cataplaſma. Victus ſit refrigerans, leniens, & humoris acrimoniam obtundens. Fugienda ideò ſunt ſalſa omnia, acria, piperata, & aromate condita, & Venus, equitatio durior, exercitium immodicum, & quæcunque humores calfaciunt ac commouent.

DOLOR NEPHRITICVS.

NEPHRITIS.

CVm in nephritide dolor atrociſſimè vrget, primum de eo imminuendo cogitandum, quia vires frangit, & vitioſos humores atrahit in partem affectam, vnde interdum eius phlegmone. Imminuto verò dolore danda ſunt ea, quæ calculum frangunt aut diſſoluunt. Quia verò dolor oritur ab arenulis aut calculis non habentibus liberam viam per capacitatem vaſis vreteris, præſcribãtur ea, quæ eam viam dilatant, relaxant, lubricant in forma fotus, vnctionis, cataplaſmatis. Fotus fiunt ex radicibus & herbis remollientibus additis foliis berulæ, argentinæ & ſimilibus decoctis in aqua & vino. Cataplaſmata fiunt

ex materiis prædictis coctis ad tabem, dein contuſis, poſt cribro cretis, quibus dein additur butyrum inſulſum, ol. liliorum. Litus ex mucilag. ſeminis lini extract. in aq. parietar. ol. amygdalar. dulc. butyro inſulſo. Conueniunt inprimis Clyſteres, quia enim integris viribus ad renes perueniunt, ipſos onere magno leuant, & veluti fomento quodam dolores leniunt. Fiunt ex remollientibus, flatus diſcutientibus, detergentibus additis iis, quæ arenulas detrubant, vt, radix Bardanæ, pimpinellæ, naſturtij, betulæ, diſſol. bened. laxat. confect. baccar. lauri, mel anthoſatum, & ſimilia. Fiunt interdum ex ſolo oleo & vino, vt ex oleo camomill. amygdal. dulc. ſem. lini cum vino albo, aut moſchatellino, aut hyppocratico additis ℥. ij. ol. iuniperi, aut Therebinth. arte chymica extractis, ſi ſint in manu. Nihil autem æquè dolorem lenit ac vias dilatat atque Balneum aquæ dulcis tepidæ, in qua bullierint rad. & herbæ remollientes. Datur & bolus ex caſſia addito Rhabarbaro, & loco prædicti boli ℥. ij. Therebinthin. lotæ in aq. parietariæ, cui therebinthinæ maxima vis eſt ad detergendas arenulas renis. Quod ſi dolor febrem accendat, detrahendus erit ſanguis è baſilica. Purgato corpore ſi neque Clyſteres nec fotus nec balnea liberant, diureticis locus eſſe debet. Ex his alia leniendo renis obſtructiones ſoluunt, quæ ſemper tutò vſurpantur, vt ſyr. capill. vener. de althea, ſorbitio ex malua, biſmalua, violaria. decoctio in iure pingui, ol. amygdal. dulc. recenter extractum, datum cum vino albo. Emulſio ex amygdalis ex ſeminibus refrigeran-

refrigerantibus ſerũ lactis & ſimilia. Alia aperiendo, & quæ in capacitate renum contenta ſunt deturbando. Ex quibus alia ſunt mitiora, alia acriora, mitiora ſunt aqua ſaxifrag. cort. fabarum, pimpinell. parietar. ſuccus limonum, puluis chalybis arte noua præparati, nuclei meſpilorum, ſemen. petroſelin. macedon. milij ſolis, rad. gentianæ, & infinito alia ex quibus parantur potiones, apozemata, Electuaria. Acriora ſunt rad. ruſci, cinis cortic. fraxini, ol. iuniperi, therebinth. puluis ex therebinth. reſiccata &c. vbi notandum quod magna cautione vtendum his acrioribus diureticis, quia ſanguinem & renes inflammant. Ipſos etiam renes & veſicam exonerant, & alia mala infinita acceſſunt. Præcautio verò calculi propoſita eſt in ſummotione cauſarum à quibus fit. Qui ergo ſibi volet à calculo præcauere, debet abſtinere ab iis alimentis, quæ pituitoſos & craſſos humores gignunt, vt & à crapula & ſomno meridiano decubitu ſupino, calfactione ad ignem, equitatione duriore & ſimilibus. Vti autem debet alimentis euchymis, detergentibus & modicè extenuantibus, citra manifeſtum colorem, iuſculis, in quibus rad. petroſelini & fœniculi coxerint, acetariis ex capparibus, ſaxifragia, aſparag. lupul. pimpinell. cichor. cicer. Quia verò vna victus ratio ſufficiens non eſt ad huius morbi præcautionem ſemel ad minimum in quoque menſe benignis catharticis detrahenda eſt per aluum noxia morbi materia, vt bolo ex caſſ. cathol. potionibus ex decocto

rad. petroſelin. fœniculi, graminis, aſparagi, fol. pimpinell capill. veneris, ſem. milij ſolis, in qua infunditur ſena, Rhabarbarum diſſolutum ſyrupo capill. Vener. neque vehementioribus catharticis opus eſt.

VESICÆ VITIA.

LAPIS.

Lapis veſicæ vel gignitur in veſicæ capacitate à pituitoſis & viſcoſis humoribus, vel à calculo in renibus genito, & ab ipſis in veſicam elapſo, ibique adhæſu craſſæ & mucoſæ pituitæ subcoagmentato. Ideóque cum dolor nephriticus ſublatus erit, prolapſu calculi in veſicam, & vna cum vrina reiiciatur, æger aliquandiu vrinam retineat, vt lapis ſequatur impetum vrinæ affatim excretæ. Si ne ſic quidem reiicitur, dandum eſt oleum amygdalarum dulcium cum vino albo. Fotus molliens & relaxans ad dilatandas vias perinæo eſt adhibendus. Adminiſtrandum etiam Balneum aquæ tepidæ Quod ſi neglectus lapis euaſit grandior vſque per veſicæ ductum exire nequeat ſolis chyrurgicis eſt curabilis; nec iis credendum qui venditant ſe habere formulas, quibus lapidem veſicæ conterant & diſſoluant. Nam per os ſumpta ob viæ longitudinem integris viribus eò ferri nequeunt, & cum eo peruenerint vrinæ mixtione prorſus hebetantur; Adde quod craſſa pituita, tanquam membrana, obductus, vires medi-

medicamenti quantumuis validas eludit. Itaque æger in cuius veſica hæret lapis non eſt eorum remediorum vſu fatigandus, ſed chyrurgiæ, corpore per venæ ſectionem & purgationem præparato, committendus. Quod ſi chyrurgiam reformidet, aut deſit peritus chyrurgus, interim ne lapis veſicæ ceruicem in quam ſæpè incumbit ſua aſperitate exulceret, nullus vehementior motus ſubeundus, nec durè equitandum, ſed vel quieſcendum, vel lentè incedendum, & blandis lenientibúſque iis diureticis ſupradictis vtendum, vitatis acrioribus, quæ acriore vrina reddita, & vlcerata ceruice veſicæ mortem accelerant. Frequens ſit & blanda purgatio per caſſiam, cathol. ſyrup. è cichor. cum Rheo & ſimilia, quæ leniendo purgent, vt vitioſis humoribus in aluum deriuatis vrina ſit mitior. Victus ſit refrigerans, remolliens, leniens, & humorum acrimoniam contemperans. Iuſcula ideò conueniunt hordeata. Emulſiones ſeminum frigid. butyrum recens multo ſaccaro temperatum, nocent verò alimenta craſſa, viſcida, acria, vt & decubitus ſupinus, immodicum exercitium, equitatio durior. Quod ſi fortè lapis in ceruicem veſicæ impactus vrinam ſupprimit, ſupinus decubitus cruribus eleuatis & corpore concuſſo medetur. Dein fotus aut inſeſſus emolliens, & catheter intromiſſus, qui lapidem in veſicæ capacitatem impellat. Quod ſi lapis in medio pene retinetur, fouendus eſt penis fotu aut inſeſſu emolliente aut lacte tepido. Quibus ſi nihil proficiatur idoneo inſtrumento chyrurgico vel

penis ſectione eximendus, vel cathetere immiſſo in veſicæ capacitatem regerendus.

PHLEGMONE ET VLCVS VESICÆ.

VEſicæ tunicæ interdum inflammatione tentantur, maximè tamen eius ceruix à ſanguine venis effuſo non rarò catheter, vi in veſicam impulſus hunc morbum contraxit aut dolor vehemens ab vlcere & lapide. Rarus certè ſed valdè periculoſus morbus. Nam niſi rupto abſceſſu vrina exeat intra ſeptimum diem, mors imminet ſæpè conuulſione manifeſta, ſæpè etiam partis gangræna. Cùm huius morbi ſigna adſunt, ſtatim remedia arripienda. Remedia ſunt venæ ſectio repetita ſi opus ſit, primum baſilicæ, dein ſaphenæ. Clyſter remolliens refrigerans, cuius tamen parua ſit copia, ne tumorem comprimat. Purgatio blanda per caſſiam cathol. ſyrupum de cichor. cum Rhabarbaro. Litus pubis & perinæi ex oleo roſato cum pauco aceto vel ex oui albo cum ſucco ſolani, plantaginis, vitatis iis quæ valdè adſtringunt, refrigerant, ne ea vrinam ſupprimant. Fotus remolliens & relaxans. Cataplaſma ſimile, interdum corroborans ex farina fabarum, orobi, lupin. coctis in vino, ſi metus ſit gangrænæ. His niſi tumor reſoluatur vel expurgato abſceſſu vrina elabitur, mors imminet.

net. Eo autem rupto pus vnà cum vrina expurgatur. Obſeruatum tamen eſt pus illud in quibuſdam viam ſibi per perinæum feciſſe, interdum & in anum penetraſſe. Victus ſit refrigerans, acrimoniam humorum contemperans. Conueniunt igitur iuſcula comparata ex carnibus, in quibus lactuca, portulaca coxerint. Emulſiones ſem. frigidor. amygdalata, hordeata, ſerum lactis dulcis, poma ſaccaro conſperſa & ſimilia. Abſceſſu phlegmones rupto vlcus relinquitur, cui medetur frequens purgatio, totius corporis cacochymiam in aluum reuocans, hydromel initio paſtus vſurpatum & leuiora diuretica, quæ citra calorem leniunt & relaxant. Iniectiones detergentes, ſiccantes per catheterem factæ bis vel ter in die ex decocto hordei, plantag. agrimon. roſ. rubr. centaur. minor. hyperic. in ſero lactis, vt maior vis detergendi comparetur, vel fumaria ex hydromelite ſimplici, in quo ſyrupus roſar. ſiccarum & abſinthij ſit diſſolutus, vel ex ſero lactis cum melle. Quantitas autem mellis augetur vel diminuitur, prout opus eſt. Deterſum vlcus cicatrice obducetur aqua fabrorum, in qua adſtringentia coxerint, vel aqua aluminoſa. Eadem remedia conueniunt, ſi vlcus à calculo aut ab vrina acriore fuerit excitatum. Sin à cantharidibus lac recens mulctum promptè hauriendum, & vſurpanda propria huius veneni antidota. In his autem cauſſis omnibus victus refrigeret & contemperet. A ſalſis aromatis omni-

bus abſtinendum, hordei decoctum aut tenue pomaceum vino præferendum.

PVDENDORVM VITIA.

COEVNDI IMPOTENTIA.

IMpotentiæ coëundi variæ ſunt cauſſæ. Frigida vel totius corporis, vel tantum partium genitalium intemperies, mala penis, aut vteri & vtriuſque meatus conformatio. Defectus inſtrumentorum genitalium, praua viſcerum affectio, & immodicus aut diu intermiſſus venereorum vſus. Incurabilis eſt quæ à frigida totius corporis intemperie ab vtero matris contracta oritur. At ſi ea refrigeratio fuerit orta à morbo longo, aut refrigerantibus, tum introſumptis, tum extrinſecus admotis. Ad curationem corpus euchymis alimentis iiſque calfacientibus nutriendum. Frigidus in corpore redundans humor phlegmagogis ſæpius detrahendus, Fotus, vnguenta & olea calfacientia & neruos roborantia Lumbis, perinæo, & ſcroto admouenda, qualia ſunt ol. lumbricorum, nuc. moſchat. coſtinum, hyperici, irinum. Litus fiunt ex oleo aliquo ex ſupradictis, cui admiſcetur aqua vitę & adduntur piper, pirethrum, nux moſchat. caryophyll. & ſimillia, bulliant hæc omnia ſimul ad aquæ vitæ conſumptionem, dein exprimatur oleum cuius ℥. iij. cum ℥. j. ol. è ſaluia arte chymica extracti miſcentur pro litu penis,

penis, peritonæi, imò etiam totius penis. Huc pertinent Balſama tradita in cap. de paralyſi. Fotus fiunt ex rad. Enulæ, fol. ſaluiæ, menthæ, hyperici, origani, & nepeth. pulegij, roriſmarini, ſampſuch. lauendul. pipere, pyrethro, nuc. moſchat. caryophyll. ſem. aniſ. fœnicul. baccis lauri, iuniperi, decoctis in vino rubro. Intrò ſumuntur pillulæ comparatæ ex caſtoreo, aſſa fœtid. opopanace, galbano, malaxatis cum ſyrupo de ſucco ſatyrionum. Doſis eſt ʒ. j. hora ſomni alternis diebus, neruoſas partes roborant & calorem augent & ſemen gignunt. Fiunt & opiatæ ex cort. citrij conditi, myrobal. nuc. moſch. zinzib. viridi. conditis, conſerua anthos, ſaluiæ, mithridat. cum puluere diagalang. & aromat. roſat. & ſyr. conſeru. cort. citri. Quod ſi loco ſyrupi ponatur ſaccarum fiet conditum. Poſt ſunt vſurpanda remedia, quæ & ſemen augent & ad venerem ſtimulant, qualia ſunt Eruca, cæpe. cantharid. ambr. griſ. & ſyr. de ſucco agripalmę fit opiata. Quæ à paralypſi penis incurabilis eſt, tentari tamen poſſunt remedia, purgatio frequens, victus calfaciens, attenuans, ſiccans, ſudorum prouocatio in vaporario. Inunctiones calfacientes roborantes lumbis, peritonæo, oſſi ſacro & ilio admotæ, de quibus ſatis dictum eſt capite de Paralyſi. Si obſtructio vaſorum ſpermaticorum huius ſymptomatis ſit cauſſa, quia ſcilicet impedit aditum ſeminis ad partes naturales: conueniunt fotus calfacientes, roborantes, Balnea ex aqua in qua calidæ & attenuantes herbæ ſint incoctæ. Interdum à

praua viſcerum affectione, maximè iecoris corruptela oritur, cuius curatio alibi expoſita eſt. Cum à nimia obeſitate, victus, ſit tenuis & ſiccans, imperetur validum exercitium, inedia, exiguus ſit ſomnus. Si ab intermiſſo veneris vſu concidentibus vaſis & ſemine non amplius in eas partes affluente, ſed aliò ad corporis nutritionem diſtributo: Frequens ſit cum mulieribus conuerſatio, intenta veneri cogitatio, titillatio partium genitalium, non neglectis oleis & fotibus ſupradictis. Ob hunc affectum ſæpè graues lites inter maritum & vxorem interuenerunt. Cum enim prolis gratia inſtitutum ſit matrimonium, nec eius conſequendi ſpes ſit vlla ob viri vel mulieris vitium, de dirimendo matrimonio cogitatur, de qua re iudices nihil ſtatuunt inconſultis Medicis & chirurgis & matronis, totaque res refertur ad congreſſum, ſi vtrius vitio proueniat.

GONORRHÆA.

GOnorrhææ, id eſt deiectionis inuoluntariæ ſeri crudi & aquoſi, citra voluptatem cauſſa eſt, imbecillitas retentricis facultatis vaſorum ſpermaticorum, quæ contrahuntur qualibet intemperie, vt plurimum tamen ab immodica venere petulantius, nondum matura ętate commiſſa. Curatur euchymis alimentis, iiſque calorificis, aſſis potius quàm elixis, declinatis refrigerantibus omnibus & humectantibus. Si verò à nimia ſanguinis copia id ſymptoma fiat, cohibetur conſueti cibi detractione, vſu alimentorum minus

nus nutrientium, potione aquæ, ptiſanæ, & ſimilium. Refrigeratione renum per epithemata, linimenta, cerata refrigerantia, vſu pulueris ſiccantis & refrigerantis ſemin. agni caſti. Karabe. & lactuc. portulac. caphure cum ſaccaro roſato. Immò verò ſolius caphuræ vſus creber Veneris deſiderium omnino extinguit. Interdum ſeminis calor & acrimonia huic ſymptomati cauſſam dedit, ad cuius curationem ſerum bilioſum vacuandum & craſſities ſemini comparanda idoneo victu. Alia eſt gonorrhæa veteribus incognita, quæ noſtro ſeculo ſcortatores cœpit exercere, in qua virulentus humor albus ſubflauus vigilantibus pariter ac dormientibus profunditur cum moleſta penis tentigine: aliâs ſine hac, cum ſcilicet virus acrimoniæ & ardoris expers eſt. Cùm verò illud virus longa copia profunditur, minus periculi eſt à phlegmone teſtium & superitonæi & à lue venerea, quos affectus ſi ſupprimatur ſolet inuehere. Ad curationem huius ſymptomatis inſtituendus eſt victus refrigerans & contemperans. Conueniunt ergo ſorbitiones frequentes ex carnibus euchymis, in quibus incoctæ ſunt radices altheæ, folia pimpinellæ, lactucæ, portulacæ, ſemina frigida maiora. Conueniunt hordeata amygdalata. Lac recens mulctum, hydroſaccarum, ptiſana, hordei decoctum. Nocent verò acria, calida, ſalſa, & aromate condita. Exercitium non ſit vehemens, venus immodica commendatur, vt ſanè quibuſdam profuit profuſa cum ſemine venenata labe, quæ nondum in partium ſimilarium ſubſtantiam al-

tius penetrauerat. Quia tamen vndecunque humores in partem affectam rapit, & phlogoſin excitat, intermittenda eſt. Imperetur primo quoque die purgatio ex caſſia & catholicone, quæ duo vrinæ, renum & ſeminis via leniunt & refrigerant. Poſtridie datur terebinthina lota in aq. parietariæ, vel ſola vel cum Rheo miſta. Sunt qui baſilicæ ſectionem imperent, cum virus, quod profunditur acrimoniæ particeps eſt. Sed ea fortè in Luem veneream præcipitat, veneno ſurſum in partes nobiles attracto. Saphena tutius inciditur, vt à nobilibus partibus ad ignobiles venenum traducatur. His peractis ad mitigandam virulenti humoris acrimoniam & extinguendam inflammationem præſcribantur emulſiones ex quatuor ſeminib. frigidis additis ſeminib. papaueris, amygdal. dulc. contuſ. & affuſa ptiſana vel aqua hordei, vel parietariæ. Frequens ob eam cauſſam ſit lactis recens mulcti vſus. Liniantur verò lumbi & peritonæum litu ex mucilaginibus, ſem. pſillij extract. in aq. plantag. vnguento alb. cum camphora & opio, oxycrato, Epithemate ex aq. roſar. & plantag. aceto roſato, & in penem qui vellicatur ab illa illuuie fiat iniectio per catheterem è dictis emulſionibus, lacte recens mulcto ad contemperandam illius humoris acrimoniam. Quod ſi his malum non ceſſerit, veniendum eſt ad vſum decocti guaiacini.

VLCVS PENIS ET CARVNCVLA.

VLcus penis aliàs fit ab vrina acri & præcalida: aliàs ab arenularum profuſione. Sæpiſſimè à virulenta ſanie per fœdas Gonorrhæas è paraſtatis in penis meatum deſtillante. Accelerãda autem eſt curatio vlceris interni meatus penis, antequam caro in eo excreſcat. Hanc enim magna & formidabilia ſymptomata conſequuntur: phlegmone & vrinæ ſuppreſſio & interdum gangræna. Victus refrigeret & contemperet. Abſtinendum igitur à calidis, ſalſis, acribus alimentis & aromate conditis & iis quæ ſanguinem & humores adurunt. Potus ſit ptiſana, Pomaceum ſecundarium, hydromel, aquoſum vinum, oligophorum aqua dilutum. Iniiciantur frequentes Clyſteres ad reuulſionem humoris in vrinæ vias contendentis. Crebra detur purgatio per caſſiam ſolam vel cum Rheo miſtam per cathol. aut aliud leniens, tergens, & blandum catharticum. Quod ſi vlcus ſit externum, attingatur aqua aluminoſa, aqua forti, aqua ſublimata & ægyptiaco. Et ſi luis venereæ ſit ſoboles, liniatur vnguento ex hydrargyro. Sin autem ſit internum fiat iniectio per catheterem in meatum penis, primùm detergens ex decocto ſaniculæ, nicotianæ, abſinth. plantag. centaur. agrimon. roſ. rub. lupinorum contuſ. in cuius decoct ℔. j. diſſolue ſyrup. roſat. & de abſinthio, ana. ℥. ij. aut mellis roſati quod maiorem habeat vim detergendi,

ſed nimium mordet & exaſperat vlcus, niſi ſit valdè ſordidum, aut corpus durum, & obtuſo ſenſu præditum: in qua vlceris & corporis conſtitutione non modo mèl diſſoluitur, ſed etiam aloë, myrrha, rad. ariſtoloch. Si verò vlcus illud ſit inflammationis particeps, fiat iniectio ex aqua plantag. ſolan. ſero lactis, lacte recens mulſo, & decocto hordei. Sit autem iniectio tepida, & aliquando pene continuatur prehenſo & compreſſo altera manu præputio cum glande, altera verò pene qua parte eſt vlcus contrectato. Vlcere ſatis deterſo & expurgato, quod agnoſcetur ex nulla aut minima puris profuſione & atrociore ſenſu percepta in ipſa mictione. Siccantibus & cicatrizantibus locus eſſe debet, qualia ſunt aqua aluminoſa, aqua plantag. roſ. in qua diſſolu. trochiſc. alb. Rhaz. bol. armen. terr. ſigill. & ſimilia. Cuius curationis finis eſt cùm nullo dolore æger premetur inter meiendum, nihílque puris ex pene excidet. In vlcere penis neglecto, vel craſſæ ſordes in callum concreſcunt & obdurantur vel caro ſupercreſcit. Vtrunque vitium penis meatum obſtruens, ſtranguriam & dyſuriam accerſit, interdum & vrinam intolerabili dolore ſupprimit. Purgato corpore per caſſiam, catholic. foueatur penis ſi vetus eſt & dura caruncula fotu & cataplaſmate emolliente, quo ſublato admoueatur emplaſtrum è mucilaginibus, cui additur gummi ammoniac. liquatum in aceto, gummi pini, & olea. At ſit recens eſt callus & caruncula citra emollientium vſum, catheretica per catheterem aut per cereolum immit-

immittenda, eáque contiuuanda dum callus aut caruncula prorſus ſit extirpata. Exſtirpatam cognoſces ſi cereolum aut catheter facilè citra vllum impedimentum penetret, ſi vrina facilè copioſè & recto tramite, quemadmodum & ſemen foras emittatur, & ſi æger quem prius non percipiebat, meiendo ſentit. Quænam autem carunculam abſumant, repete ex cheirurgis. Cathereticum hoc Fernelio fuit familiariſſimum.

℞. oſſis ſepiæ, tuthiæ præparatæ, ana. ℥. ij. cornu cerui vſti, aloës lotæ, ariſtoloch. ana. ℥. j. alumin. vſti ℥. ß. fiat puluis, qui miſceatur cum melle roſato. Conueniens quantitas pulueris vel vnguenti catheretici immittitur in cereoli extrema parte, è quo ceræ tantillum ſit abraſum. Dein cereolus ille inditur in meatum penis, ita vt in extrema ſui parte carunculam proximè tangat, & ibi ſinitur dum adſit meiendi neceſſitas. Vrina reddita rurſus extremitas cereoli illinitur, & intrò propellitur vſque ad carunculam, ibíque relinquitur donec rurſum æger vrinam reddere volet.

DIABETES.

DIabetes ſeu profluuij vrinæ curatio completur victu idoneo, venæ ſectione, purgatione & topicis admotis renibus. Victus refrigeret, incraſſet, & acrimoniam contemperet. Conueniunt iuſcula ex carnibus euchymis comparata, in quibus lactuca, portulaca, oxalis coxe-

rint. Pedes vitulini, veruecini. Puls ex lacte, caro vituli, pullorum intincta ſucco oxalid. mali granati, aurantiorum, limonum. Pro potu detur frigida, vel hordei decoctum, ptiſana, vel pomaceum ſecundarium. Conueniunt hordeata, amygdal. vitetur decubitus ſuper dorſum, vſus eorum omnium quæ calfaciunt & ſiccant ac humores adurunt, & ad refrigerationem & reuulſionem bilioſi ſanguinis in renes contendentis, ſecetur baſilica & detrahatur conueniens ſanguinis quantitas, maximè ſi adſit plethora. Intrò ſumuntur Iulepi ex aq. roſ. ſolan. plantag. & ſimilibus in quibus diſſolu. terr. ſigillat. bol. armen. ſyrup. myrtill. granat. roſ. ſicc. aut aliquis alius ſimilis. Emulſiones refrigerantes ex portulaca, plantag. paſſulis cum toto, ſeminibus frigidis, ſem. papau. amygd. contuſ. cum. aq. plantag. quibus dein additur ſyr. de althea, lac recens mulctum mirè conuenit, vt & Balneum aquæ tepentis modo febris non adſit, viréſque ſint validæ. Lumbis verò admoueatur oxyrrhod. Epithemata ex aq. roſ. plantag. cichorij, ſolani, acetoſæ, roſaceæ, puluere Elect. triaſantal. caphur. vnguentum album refrigerans Galen. caphuratum, mucilago ſemin. pſillij extract. in aq. plantag. cataplaſm. ex far. hord. ſucc. plantag. puluu. malicorij, balauſtriorum, caphuræ. Hæc autem topica manè & hora ſomni renibus admouentur, quæ ſæpius repetuntur, ſi opus ſit. Quod ſi fortè bilis multa feruidior aut humor atrabilarius in cyſti fellis aut in meſenterio præter modum exæſtuans calidam renum intemperiem acceſſit,

cerſit, vnde diabetes: Non prius renibus proſpiciendum eſt, quam frequenti purgatione, fotibus, balneis, epithematibus, aliíſque remediis viſcerum impuritatem ſoluentibus ſit ſatisfactum, quô cum ventum fuerit, falicis erit curatio, per ea quæ renum fauorem delent & extinguunt.

VRINÆ INCONTINENTIA.

VRinæ incontinentiæ variæ ſunt cauſſæ, quarum diuerſitas diuerſam curandi rationem poſtulat. Si vrinæ acrimonia, iis remediis opus quę exponentur in dyſſuria. Si reſolutio ſphincteris veſicæ, ceruicem claudentis & eorum neruorum, qui è lumbis inſerũtur in eam partem, aut imbecillitas ſphincteris à multa humiditate aut frigore contracta fotus & litus, qui neruos roboret. Peritonæo, pectini, radici penis & oſſi ſacro admouendus fotus ex decocto maioranæ, hyperici, ſaluiæ, primulæ Veris, abſinth. origan. puleg. calamenth. lauendul. centaurij, rut. flor. chamomill. anethi, nucum cupreſſ. myrtill. caud. equin. balauſt. gall. contuſ. roſ. rubr. in aq. fabrorũ & vino rubro, additur ſub finem alumen, & ſal. A fotu fit litus ex oleo vulpino, rutaceo, maſtichino, irino, quibus addi poſſunt pulueres maſtich. cyperi, myrtill. cupreſſi. Interim ſiccans ſit victus & adſtringens. Abſtineat æger à multo potu & vſu alimentorum crudorum frigidorum, & vrinas prouocãtium. Detur puluis ſiccans & adſtringens ex raſur. ebor. corallis, carabe, ſemine coriandr. præparati cũ ſaccaro roſato, vel cum conſerua roſarum aut cydoniorũ. Si autem hoc ſymptoma adultos exerceat ann. 25.

ſupergreſſos, ægerrimè curatur: debuit enim ſponte conquieſcere neruis & muſculis ætate ſicceſcentibus. Cum ergo aliquem natu maiorem hoc ſymptoma occupat, præter ſupradicta frequenter purgetur per Rhabarb. Vſu decocti guaiacini per aliquot dies continuati ſudorem in lecto prouocet, & ne permingat ſtragula veſica ſuilla debet è collo ſuſpendi & ita alligari, vt quicquid meietur excipiat.

ISCHVRIA.

ISchuria fit ab obſtructione vreterum aut ceruicis veſicæ aut meatus vrinarij. Cum obſtructio eſt in capitibus vreterum conueniunt remedia ſupradicta in cura nephritidis, quę niſi vrinam proliciant ad 14. diem, aut quod longiſſimum eſt ad 17. æger veternoſus, & leucophlegmaticus morietur. Cum obſtructa eſt veſicæ ceruix vel calculus, vel inflammatio vel caruncula, vel pituita craſſa, vel ſanguinis grumus vel pus in cauſſa eſt. Supra autem tradidimus quibus remediis occurrendum ſit inflammationi veſicæ & carunculæ claudenti meatum penis. Quod ſi à lapide via obſtruatur, ille cathetere repellendus eſt in capacitatem veſicæ aut citra catheterem agitatione multa recumbente ægro ſupino, ita vt crura elata ſint. Quod ſi lapis ille dum fuerit illapſus in meatum penis & exitui proximus digito pellendus eſt, & deducendus ad extremum virgæ. Interdum & ab aliquo ſugẽdus, ſi fuerit minor. Virga etiam in aquã tepidã aut in lac tepidum immittatur, aut ęger in balneũ ducendus, vt meatus laxetur & amplior fiat. Sunt qui grandiorem

diorem lapidem ferro eximāt ſectione facta. Cum pituitoſi humores viam occludunt, euacuandi ſunt phlegmagogis vt & diureticis incidentibus attenuantibus, aperientibus ſupradictis. Fotibus ex betula, malua, violaria, parietaria, naſturtio, ſem. lini, rad. altheæ præbullitis in aq. & vino albo. Sin verò pus iſchuriæ ſit cauſſa, quod intelligitur ex prægreſſa renum & veſicæ phlegmone, tergentibus ſupradictis vtendum. Sin grumus ſanguinis quod intelligitur ſi antea ſanguis meiendo fuerit redditus, incidentibus & attenuantibus concretus ſanguis diſſoluendus. Sin à debili veſicæ ſenſu hoc ſymptoma contractum ſit, fiant iniectiones acres & irritetur veſica ad excretionem. Sunt qui pediculos aut pulices in meatu vrinario ponunt, vel ſaltem qui ſimile acre. Fouetur etiam veſica aqua calida & ea manu comprimitur decliui corpore. In ſumma omne medici conſilium debet conferri ad ſublationem cauſſæ, quæ vrinam ſupprimit.

DYSVRIA SEV ARDOR VRINÆ.

ARdoris vrinæ curatio quatuor completur ſcopis. Primus eſt vt humor acer ſymptomatis cauſſa vacuetur. Secundus vt temperetur calor hepatis & renum. Tertius vt acrimonia vrinæ retundatur. Quartus, vt vlcus à tranſitu mordacis humoris relictum glutinetur & ſiccetur. Humor vacuatur bolis ex caſſ. cathol. & infuſ. folior. ſen. Rhabarb. & ſimilium leniendo purgantium in decocto iuiub. paſſul. glycyrrhizæ prunorum tamarind. rad. altheæ oxalidis, oxylapath. cichor. for. plantag. lactucæ, portul. ſem. frig. ma-

iorum. Vitanda ſcammoniata & ſimilia. Therebinthina etiam lota acrior eſt, vt in hoc affectu conueniat. Iecur refrigerabitur apozematis comparatis ex rad. herbis, fructibus, ſeminibus refrigerantibus, lenientibus, in quibus diſſolu. ſyrup. nympheæ, capill. vener. violarum. Epithematis ex aq. roſar. plantag. ſolani, aceto roſac. puluere triaſantali, caphura. Litu ex ol. roſ. cum pauco ol. abſinthin. ad hepatis robur. Baſilicæ ſectione, dein ſaphenæ. Renes refrigerentur ſucco ſolani, vnguento refrigerante. Galen emollito cum aceto, oxyrrhodin. ol. roſarum, nympheæ, papaueris diſſolutis in decocto portulacæ, lactucæ, ſem. frigidor. pſillij, cydon. ol. amygdal. dulc. recens extractum. Emulſiones ex amygdalis & ſeminibus frigidis tuſis in mortario marmoreo affuſa ſenſim aqua hordei, deinde dulcorata ſaccaro, vel ſyrupo conueniente. Lac recens mulſum, hydroſaccarum, iuſcula pulli decocti cum ſeminibus & herbis refrigerantibus, & quia ab acrimonia vrinæ vlcerari collum veſicæ accidit & meatú penis iniectiones fiant cum cathetere ex lacte recens mulcto, ex mucilac. ſem. pſilij, cydon. extract. cum aq. ſolan. roſar. & aq. album ouorum & ſimilibus. Immergitur etiam penis in lac tepidum, in aquam tepidam. Vlcus verò ab acrimonia vrinæ relictum tergetur aq. hordei vel ſero lactis cum ſaccaro roſato, lacte caprillo, aſinino, hydromelite valdè aquoſo. Dein vbi ſatis fuerit deterſum, quod cognoſcitur ex nulla aut pauca puris excretione, conſolidabitur lacte vaccæ per ſyrrugam immiſſo cum. bol. armen. ſang. dracon. trochiſc. de Karab.

& terra

& terra ſigillat. ita vt ad ſingulas liquoris ℥. ſit ʒ. ß. pulueris. His accedat victus refrigerans leniens & acrimoniam contemperans, idémque incraſſans, in quo vitabuntur acria omnia & diuretica, etiamſi frigida fuerint.

Sangvinis Mictvs.

Mictio cruenta niſi caſus aut ictus præceſſit, vel calculum renum arguit, qui per corporis laborem renes & eorum venas obterens ſanguinem ciet, vel venulam in collo veſicæ exeſam aut apertam. Cùm à renibus manat ſanguis vrinæ toti ob longitudinem viæ exquiſitè miſcetur, dein ſubſidet in fundo matulæ. Qui à veſica aut à collo eiuſdem, non ita cum vrina miſtus eſt. Qui verò à meatu penis, citra vrinam manat, interdum ab vſu acrium, vt cantharidum, contingit ſanguinem cum vrina excerni. Sunt quædam naturæ, quæ per certa interualla vrinam cruentam reddant. Si calculus cauum renum occupans in cauſſa ſit, nulla poteſt ſperari perfecta ſanatio. Rarò enim per fruſta ille excernitur, conducet tamen, ne aſſiduo attritu totam renis carnem exedat, ab exercitatione violenta abſtinere, lentè incedere & equitare, lenientibus diureticis interdum vti, quibus renum ſordes eluantur. Si ab vlcere colli veſicæ, curatio iis perficiatur, quæ ſiccando vlcus perſaniant. Quænam autem ea ſunt ſupra explicatum eſt, cùm ex caſu aut ictu in lumbis accepto ſanguis redditur. Sanguinis detractio ex baſilica proderit, dein vſus adſtringentium

& glutinantium, vt bol. armen. terr. ſigillat. ſang. dracon. & ſimilium, ſyrup. granat. cydon. & myrtillorum. Vnctio etiam renum & veſicæ ex ol. roſarum, & myrtillor. maſtich. & poſt vnctionem admotum cataplaſma ex bol. armen. terr. ſigillata, ſang. dracon. pulueriſatis & exceptis albo oui. Si plethora huic morbo cauſſam dederit, aut ſuppreſſio menſium, hæmorrhoidum præſentaneum remedium eſt venæ ſectio. Si vulnus renibus inflictum mittendus eſt ſanguis. vulneri verò recenti balſamum aut ſimile remedium glutinans inſtillandum. Si ſint aſſumptæ cantharides, quod ex panis diſtenſione & irritatione ad venerem cognoſcitur, confugiendum eſt ad proprium earum alexipharmacum, quod eſt lac chalybeatum. Dein accommodatis remediis ſanguis ſiſtendus maximè iis quæ veneno reſiſtunt, vt ex terr. ſigill. bol. armen. corall. &c. Nam cum à ceruice veſicæ aut penis meatu pus affluit, ſeorſim aut ante vrinam exſtillat. Vtriuſque cauſſæ curatio poſita eſt ſupra in vlcere renum & veſicæ. Mictio ſubnigra & turbida ſine dolore. Aut eſt calculo in rene agitato & nephritim pronunciat; aut febrem quartanam, & icterum nigrum indicat. Interdum & ab humoris melancholici miſtione nigreſcunt vrinæ vel citra febrem vel cum febre. Si cum febre continua lethale ſignum eſt. Sin verò citra febrem vrinæ leuioribus diureticis mouendæ, vt qua parte natura viam affectat, eò noxium humoribus propellas. Aluus tamen frequenti clyſtere melanagogis

gogis ducenda eſt, ſoluendæque obſtructiones & præparandus humor melancholicus, vt in Lienis cura dictum eſt. Sæpe vrina redditur mucoſa, mucus autem gignitur in veſica à lapide in ea contento, vel à diuturno colli veſicæ vlcere. Si lapis in cauſſa eſt, præcipuum remedium eſt venæ ſectio. Interim tamen caſſia ex interuallis repetenda, vel ſola vel cum Rheo. Hydromelitis etiam vſus commendatur, vt pituita extenuetur & detergatur. Quod ſi ſummus ardor ſentiatur in mictione vrinæ, decoquendum erit mel in decocto hordei & altheæ, vt vrinæ acrimonia leniatur. Sed & tergentia per catheterem in veſicam infundi poſſunt. Si vlcus veſicæ in cauſſa eſt, conſilium Medici ad eius curationem conferri debet. Eo enim curato pituitæ quæ viam mucoſam reddit, generatio ſenſim inhibebitur. Curatio autem vlceris veſicæ iam fuit expoſita.

SCROTI ET TESTIVM PHLEGMONE.

SCrotum & teſtes interdum phlegmone tentantur. Ea autem aliàs ſimplex eſt à ſanguine è venis & arteriis eò confluente. Aliàs particeps eſt venenatæ qualitatis, qualis eſt ea, quæ gonorrhæam non bene purgatam, & tamen ſup-

preſſam conſequitur. Incipienda curatio eſt à ſanguinis miſſione è baſilica, vt deriuetur ſanguinis copia & defluxio reuellatur, & quod iam influxit, nec dum tamen impactum eſt magna ex parte vacuetur. Dein topica refrigerantia & repellentia, quæ conſeruant partis robur ſunt adhibenda. Litus ex oxyrrhod. ol. roſat. maſtich. lotis in aceto, vnguento populeo, & bolo armena, ſuperpoſita lana ſuccida vnguento imbuta. Cataplaſm. ex farina hordei, fabarum, coctis in oxycrato, addito ſub finem oleo roſaceo. Hac cautione adhibita ne à refrigerantibus diutius continuatis humor impingatur, ac teſtium robur eneruetur. Vbi hic dolor & febris conquieuerint, reliquiæ humoris impacti fotu & cataplaſmate diſcutiendæ. Fotus comparabitur ex malua, violar. parietar. abſinth. agrimon. hyperic. rad. altheæ, ſem. lini, balauſtiis, ſumach, præbullitis in aqua & vino rubro. Cataplaſm. ex farina fabarum, bol. armen. pulu. roſat. coctis in lixiu. ſarmentor. Videndum tamen, ne his calfacientibus & diſcutientibus vtamur, antequam ardor & inflammatio euanuerint, ne renouetur fluxio & dolor. Si his non digeratur inflammatio, vtendum eſt cataplaſmate maturante ex malu. biſmalu. farin. frumenti, fœnugræc. ſem. lin. ol. violar. adipe porci coctis, tuſis, & per cribrum tranſmiſſis, vel cataplaſm. ex fol. hyoſcyami coctis ſub cineribus contuſis, & exceptis axung. porci. Pure facto Cauterium potentiale molliori parti affigendum. Poſt vlcus detergendum, ſiccandum, cicatriſandum. Victus refrigeret & hume-

humectet, omnimoda adſit vini abſtinentia. Supinus decubitus cauendus, maximè in culcitra plumea. Sedeat æger in lecto, ne pondere partis dolentis ingraueſcat dolor. Immò verò in decumbente ita tractanda eſt pars affecta, vt ſuo pondere dolorem nullum adferat. Multo frequentior eſt inflammatio teſtium, & ſcroti à virulenta gonorrhæa intempeſtiuè ſupreſſa: cohibita enim ſanies quæ à paraſtatis in penem exſudabat ſurſum remeans inflammationem circa teſtem parit doloribus ſæuiſſimis & febre comitatam. Eadem curandi ratio eſt, præterquàm quòd haud ita neceſſaria eſt ſanguinis miſſio. Interdum valdè noxia, quòd venenatam qualitatem in venas traducat, quæ luem veneream parit, & præterea ſudores vſu dococti guajacini, aut ſalſæ parill. in lecto excipiendi, vt cum iis virus venenum exſpiret. Topica verò non alia conueniunt, quàm ſupradicta.

ENTEROCELE.

ENteroceles talis debet eſſe curatio. Ante omnia procurandum eſt, vt inteſtinum in ſuum locum reponatur. Reponitur autem ſenſim blando digitorum impulſu: vel ſi ita reduci nequeat, æger iaceat ſupinus, ita vt crura habeat elatiora. Repoſiti in ſuum locum, ſignum erit ſonitus exauditus, maximè ſi inteſtinum, non verò omentum prolapſum ſit. Inteſtina enim quæ continua ſunt, ſeſe retrahunt, cùm è ſuo loco receſſerunt; quod non fit ſine ſono.

Quod ſi fæces in inteſtinis obduratæ negotium exhibeant in reponendo, iniiciendus eſt Clyſter emolliens & blandè purgans, cuius tutior eſt vſus quàm catharticorum per os exhibitorum. Nam illa pellunt excrementa in inteſtina deorſum prolapſa. Si nihilominus iniecto Clyſtere inteſtinum reduci nequeat, fotus emolliens adhibendus & à fotu litus ex ol. amygdal. dulc. butyr. recent. & à litu cataplaſma ſimile. Quod ſi flatus adſint ob quos inteſtina reductioni reſiſtant, poſt fotum emollientem fiat illitus ex oleo rutaceo. Admoueatur ſacculus ex cumino, bacc. lauri, iuniperi, fol. ſalu. rutæ, &c. Inditur & Clyſter flatus diſcutiens comparatus ex vino muſcatellino & oleo nucum, vel ex decocto ſalu. maioran. hyſſop. centaur. origan. rutæ, abſinth. ſem. fœnicul. aniſ. dauci, cumimi, in quo diſſolu. confect. de baccis lauri, ol. rutaceum, melanthoſatum. Repoſito in ſuum locum inteſtino pars per quam delabitur adſtringenda eſt admotis & aſſumptis. Admouentur fotus & Emplaſtra, Fotus fiunt ex cort. granat. gallar. nucibus cupreſſi, balauſt. myrtill. centinod. plantag. roſ. rubr. herniar. decoctis in aq. fabror. & vino rubro auſtero vel in lixiuio ciner. quercus. A fotu admoueatur Emplaſtrum contra rupturam, cui additur puluis maſtiches, ſang. dracon. rad. oſmund. regal. olibani, Therebinth. Sunt qui magnetem admiſcent & limaturam chalyb. deuorandam dant, vt ſic à magnete chalybs trahatur. Sed illud parum probo cum Rondeletio, nec iuuare credo, niſi ſiccandi vi, qua pollet.

pollet. Si per os aſſumatur, vel compreſſione partis ſi extrinſecus admoueatur poſt ſuppoſitum ſubligaculum ita compoſitum vt firmiſſimè & adſtringat, & ſuſtineat, minimúmque aut nullum excitet dolorem, ideóque debet eſſe molliſſimum. Die autem & nocte geſtabitur. decimo, aut decimoquinto quoque die renouabitur Emplaſtrum. Et antequam id fiat, pars fouebitur fotu adſtringente, mox ea ſiccata obducetur Emplaſtro, dein ligatura ſuperponetur. Aſſumantur per os potiones, pulueres, opiatæ, condita, pillulæ. Nota tamen, quod aſſumpta ſunt minus efficacia admotis. Potiones fiunt ex corti. median. quercus, balauſt. plantag. oſmund. regal. rad. ſigill. Salomon. conſolid. minor, filice, herniaria, decoctis in aqua chalybeata, additur vinum rubrum auſterum. Pulueres ex herniaria, maſtiche, bol. armen. terra ſigillat. raſur. ebor. Corall. limacibus rubr. lotis in vino rubro & ſiccatis in furno, ſeminis coriandri præparati, ſaccar. roſat. pillul. ex aloë, Rheo, lumbric. herniar. limacibus præparatis vti dictum eſt: Conſeru. roſarum, ſymphyti, cydoniatum, cortex citri condit. ex quibus cum bol. armeno, ſang. dracon. pulu. oſmund. regal. maſtich. & ſyr. myrtill. fiat opiata, vel cum ſaccaro roſat. conditum. His accedat idonea victus ratio, quæ talis eſſe debet. Vitanda ſunt crapula, ſatietas, alimenta flatuoſa, acida, cruda, violentum omne exercitium, repentinus aſcenſus graduum, equitatio dura,

vociferatio magna, coitus immodicus, retentio anhelitus, frigus pedum & totius corporis, omnia denique quæ tuſſim & ſternutationem prouocant, & quæ nimium humectant ac remolliunt. in primis verò procurandum, vt aluus ſit fluida, ſi non ſponte, ſaltem blanda catharſi, quæ tormina non excitet. In egerendo verò femora & tibiæ inter ſe componantur, & loco relaxationis digitus apponatur. Subligaculum autem ſemper geſtetur, quod ſolo diuturnitate temporis plerique vſi; ſine vllo alio remedio ſæpè conualeſcunt. Si his nihil proficiatur, & æger crudeliter torqueatur, extremum erit remedium vel in puncto aureo, quod vocant, vel in ferro, quo auellatur teſticulus, eóque auulſo, & vaſis colligatis foramen obturatur. In pueritia tamen curabilis eſt hernia citra manus operam medicamentis adſtringentibus appoſitis, & conuenienti ligatura. Infantibus verò quibus vti non licet ſubligaculo, quia & dolorem in eis excitat & excretionem impedit, miſceatur cum pulte puluis limacum rubrorum vſtorum in furno, vel puluis ſigill. Salomonis. Extrinſecus verò apponuntur limaces triti cum farina thuris incorporati cum albo oui. Neglecta Enterocele, plurimùm augetur inteſtinis in ſcrotum ſeſe recipientibus & ibi coarctatis, dum multum ferè diſtendantur, vnde lethalis morbus, qui Græcis Ileos dicitur, vulgo Miſerere mei.

EPI-

EPIPLOCELE.

Epiplocele difficilem curationem non admittit, vtque rarior Enterocele, ita ſecurior & minus periculoſa.

HYDROCELE.

Hydrocele interdum ſymptoma eſt Aſcitis, túncque venter tumet. Interdum eſt affectus Scroti, fitque ab aqua vel contenta inter membranas aut intra cauitatem ſcroti. Tumor hic permanens eſt, ſtabilis, pulſatus, reſonans, pondere leuis, doloris expers, & oppoſita candela perſpicuus. Si ſit ſymptoma Aſcitis, eadem cura conuenit, quæ Aſciti. Sin pertineat ad ſolum Scrotum, reſoluendus eſt topicis diſcutientibus, attenuantibus & deſiccantibus. Reſoluitur autem facile in Infantibus; In adultis præſertim qui duram cutem habent nec perſpirabilem ægerrime. Topica erunt fotus ex lixiuio cineris ſarmentorum, in quo ruta, origanum, ſaluia, baccæ lauri, iuniperi, ſem. aniſi, fœniculi, cumini bullierint addito ſub finem ſale. Fouebitur tumor mane & ſero & à fotu admouebitur cataplaſma ex ſtercore capræ, cochleis contuſis cum teſtis & ſulphure, cumino, bolo armeno. Inguini verò qua parte fluxio illabitur, admouebitur Emplaſtrum contra rupturam, vt interceptis viis cohibeatur elapſus. His topicis reſoluitur, deſiccatur, & abſorbetur aqua in ſcroto contenta. Si tamen illa non

ſufficit, aperiendus erit tumor vel ferro, vel cauterio potentiali.

PNEVMATOCELE.

TVmor eſt Scroti à flatulento ſpiritu recens natis ſæpè contingens. At adultis aliàs cum hydrope, aliàs citra hydropen, éſtque rotundus, leuis, repentè genitus non ſenſim vt hydrocele. Euacuandus eſt idoneis catharticis tumor vel pituitoſus vel melancholicus flatuum cauſſa, corroboranda viſcera, diſcutiendi præterea flatus, tum intrò inſumptis, vt ſem. aniſi, fœniculi, coriandri, & aliis dictis in inflatione ventriculi. Tum admotis vt fotibus, cataplaſmatis, & Emplaſtris dictis in hydrocele. Peculiariter tamē conueniunt Emplaſtrum è baccis lauri, diacalchitheos ſolut. in vino maluat. cum pauco ol. laurin. Emplaſtr. de Vigo cum mercurio.

SARCOCELE.

TVmor eſt ſcirrhoſus, conclor, durus, venis varicoſis comitatus. Sola autem teſticuli auulſione curabilis, neque tamen is auellendus, ſi iam caro in ingentem molem intumuerit.

CIRSOCELE.

ESt nimia dilatatiò venarum quæ teſtes & ſcrotum nutriunt, ab humore melancholico contracta, iis familiaris, qui equis curſoribus frequenter ſeſe fatigant. Sanatio integra

ſperanda

ſperanda non eſt, ſatiſque fuerit, ſi malum increſcere prohibeatur. In id frequens ſit catharticum, melanagogum ſed blandum. Equitatio rara, vt & Venus. Victus euchymus & contemperans humorum acrimoniam. Topica ſunt adſtringentia & roborantia ac refrigerantia, quæ dilatatas vias venáſque conſtringunt, & fluxiones impediunt. Conuenit aqua roſarum, plantag. axung. porci, in qua hydrargyrus ſit extinctus. Ex his fiet vnguentum, cui ad robur teſtium bol. armen. inditur.

OMPHALOCELE.

TVmor qui interdum vmbilicum occupat duplex eſt, alter cum inflammatione, alter ſine inflammatione. Inflammatus vmbilicus ob ligaturam arctiorem aut inciſionem vnde dolor, qui ſanguinem in illam partem attrahit, qui in anguſto loco coarctatus dum feruet, inflammationem facit, qui verò inflammationis expers eſt, dicitur Græcis Ompholocele, vmbilici egreſſio ſeu hernia vmbilicalis. Fit autem hæc hernia peritonæo relaxato vel rupto, per quam relaxationem vel rupturam exit vel inteſtinum vel omentum, vel flatus vel aqua.

Multis vero de cauſis relaxari & rumpi peritonæum contingit; ſed illæ potiſſimum ſunt in pueris fletus, vociferationes, cantus, curſus, ſaltus, equitatio, grauis ponderis ſublatio & vſus ciborum flatuoſorum. Inflammatio in pueris affectus eſt periculoſus tum quia febrem acutam ſemper iunctam habet, tum maximè quia hæc ætas te-

nera dolorem difficillimè poteſt ſuſtinere. Pro cuius curatione dolor primum leniendus eſt, & auferendus, quod fit litu ex ol. roſat. camemelino. Pulte ex pane cocto cum lacte addito vitello oui & oleo roſarum. Cataplaſm. ex fol. malu. biſmalu. parietar. camomill. melilot. radic. altheæ, liliorum, ſem. lini coctis, tuſis & cribratis addito butyro recenti, & ol. camemelin. Neque verò vt rectè conſulit Paræus, tumor ille ferro aperiri debet. Nam per eum apertum prorumpunt inteſtina. Si verò tumor vmbilici fiat ab egreſſu omenti aut inteſtini, vel peritonæi extra vmbilicum, nulla arte curatio ſperanda eſt. Reponendum tamen eſt inteſtinum in ſuum locum, & complicatis linteis conuenientique ligatura ibi detinendum: Obſeruata idonea victus ratione, in qua vitentur flatuoſa, curſus, ſaltus, violentum exercitium, eleuatio ponderis, fletus, cantus, vociferatio. Fletus enim vt in infantibus & pueris hunc morbum facit; ita & factum conſeruat, augetque. Interim curandum vt aluus ſit fluida, ne in difficili egeſtione extra propellatur inteſtinum. Adſtringentia quæ à quibuſdam imperantur nullo profectu & aſſumuntur, & admouentur. Periculoſa etiam eſt inciſio, cuius formam Celſus & Paulus tradiderunt. Narrat Remuerius ſe vidiſſe quendam ſexagenarium, cuius inteſtina ex vera vmbilici ſubito prolapſa fuerant nullo remedio conferente tertia die vitam finiuiſſe. Si flatus cauſa ſit procidentiæ vmbilici diſcutiantur his topicis

picis

picis quæ tradita ſunt in ventoſa hernia. Non aſſentior Celſo, qui flatuoſas hernias incurabiles eſſe ſcribit. Sin verò aqua prolapſum vmbilici excitet, diſcutiatur & exſorbeatur remediis dictis in hernia aquoſa. Interdum Aſcite ſoluitur vnitas vmbilici à nimia diſtenſione infimi ventris ab aqua exſuperante. Interdum & à difficillimo partu, vt experientia fidem facit.

VTERI AFFECTVS.

PHLEGMONE.

Vteri phlegmone frequens in puerperis cum lochia ſupprimuntur, cui niſi ſtatim occurratur mors conſequitur abſceſſu in ventre rupto & ſuffocante. Neque verò à ſola lochiorum ſuppreſſione, ſed & aliis multis cauſſis gignitur. Curatur verò ſanguinis miſſione & topicis. Mittitur ſanguis è baſilica lateris magis affecti, vt è dextra ſi dextra pars vteri dolens & contra, vel certè ab vtraque, ſi totum vterum tumor occupet. Mittitur autem bis, ter, quater pro ægri viribus & phlegmones magnitudine. Topica primùm debent eſſe refrigerantia & repellentia, admouebuntúrque imo ventri inter vmbilicum & pectinem & circa renes in forma litus vel epithematis vel cataplaſmatis. Litus fit ex oleo roſarum loto in aceto. Epithemata è ſuccis vel aquis deſtillatis roſarum,

plantag. acetoſæ, bol. armen. ſang. dracon. Cataplaſmata ex farina hordei mucilag. ſem. lini, & pſillij extract. in aqua plantag. vel ex pane cocto in lacte cum vitello oui, croco, & oleo roſato. Datur & clyſter vterinus ex decocto & ex aqua deſtillatis herbis refrigerantibus & repellentibus. Neque verò diutiùs vtendum eſt refrigerantibus & repellentibus ne indureſcat tumor, euadtáque ſcirrhoſus. Ideóque cum repellentibus emollientia & digerentia miſcenda ea cautione, vt quo longius phlegmona à principio diſtat, maior ſit quantitas digerentium. Interim ſi aluus eſt dura remolliendus eſt Clyſteribus blandè purgantibus iiſque comparatis ſine oleis. A catharticis verò ore ſumptis donec fluxio conſtiterit abſtinendum, ne in partem affectam humores attrahantur, cúmque iis locus erit caſſia potius aut cathol. quàm validioribus vtendum. Si his non digeratur plegmone, ſed ſuppuret, pepticis vtendum eſt, vt cataplaſm. ex rad. liliorum, altheæ, ſem. lini, fol malu. violar. parietar. ſenecionis, caricis exquiſitè coctis, dein tritis & cribro tranſmiſſis, quibus dein additur farina tritici, ſeminis lini, axung. porci, ol. liliorum & camemel. Periculoſus autem & lethalis, quilibet vteri abſceſſus, præcipuè cum pus non habet liberam viam per quam poſſit commodè foras euacuari. Vlcus verò ex abſceſſu relictum, ſi poſteriorem partem vteri obſidet, quia nullis remediis attrahi poteſt, in Carcinoma ferè degenerat ac diris dolo-

doloribus ſenſim ferè corpus conſumit. Si ad orificium aut arctiorem illius partem ita pertinet, vt iniectis medicamentis elici poſſit interdum ſaneſcit, vt plurimum tamen omnia vteri vlcera cancroſa & corpus ſenſim tabefaciunt diris cruciatibus ad imum ventrem lumbos & os ſacrum pertinentibus. Debent autem ea vlcera cum attingi poſſunt primùm tergeri, dein ſiccari & cicatrice obduci. Tergent aqua hordei, hydromel, mel roſatum colatum, ſyrup. roſ. ſicc. decoctum agrimon. plantag. aq. morſ. gallin. hord. integr. abſinth. ſerum lactis cum ſaccaro. Cum vlcus erit deterſum, quod cognoſcetur ex pauco puris exitu ſiccabitur & cicatrice obducetur iniectione ex lacte muliebri, ol. roſ. tuthia preparata, aloë, tritis ſimul in mortario plumbeo, dein diſſolut. in aqu. hodei, aut ex vnguento pompholig. diſſolut. in lacte muliebri, aut ex aqua aluminoſa quæ ſola ſufficere poteſt, quia vim habet tergendi, ſiccandi & cicatriſandi. Quod ſi pus exeſis vteri tunicis viam ſibi fecerit in rectum inteſtinum dentur Clyſteres ex decocto hordei, balauſt. cort. granat. & ſimilium, quæ ſiccant & cicatriſant, dictorum in Dyſenteria. Maximè verò prodeſt vſus potionum vulnerariarum, in quarum ℔. j. infund. fol. ſen. ℥. iiij. agar. ℥. j. ß. turbith. ℥. j. Rhabarb. ℥. ij. vel ex opiata laxatiua comparata, ex ſyr. capill. vener. magiſtrali laxa. in quo diſſolu. caſſ. cathol. conſeru. bugloſſ. borag. violar. capill. vener. Doſſ. ℥. j. ß. ℥. ij. pro ratione operationis. Vitanda autem

ſunt violenta cathartica. Emendetur etiam praua viſcerum conſtitutio alterantibus quæ alibi tradidimus. Eadem remedia conueniunt aliis omnibus vteri vlceribus à quacunque cauſa contractis, quæ omnia ægrè curantur, quia vterus multa excrementa facilè recipit, tum quod ſit imbecillis, tum quod decliui loco ſitus. Hæc autem excrementa vlceris conſolidationem retardant, tamen ex vteri vlceribus alia facilius, alia difficilius curantur. Facilius quæ pura ſunt aut pus emittunt laudabile, & quæ ſunt in anteriore vteri parte; difficiliùs verò quæ in poſteriori parte, & quæ pus reddunt aquoſum, liuidum, nigrum. Tale enim pus imbecillitatem caloris denotat & inobedientiam ac malignitatem humoris: horum autem vlcerum quamcunque habuerint cauſſam, curatio conſiſtit in idonea victus ratione, purgatione blanda & topicis refrigerantibus, tergentibus, ſiccantibus, & cicatrice obducentibus.

VTERI VLCERA.

VTERI vlcera, quia locus excrementis & putredini patet, ſæpè in carcinomata incurubilia degenerant, & diris doloribus ad imum ventrem lumbos, & os ſacrum pertinentibus ſenſim ægrum conſumunt. Conuenit purgatio frequens per melanagoga, venæſectio, victus idoneus, qui refrigeret & acrimoniam malignitatémque humoris atrabilarij temperet. Balnea,

Balnea aq. dulc. tepidæ in qua remollientia coxerint, vſus lactis caprilli, aſinini. Vtero verò proſpiciendum eſt inditis iniectionibus refrigerantibus, detergentibus, & ſiccantibus, vt ſero lactis, in quo plantago & agrimonia bullierint, ſucco plantag. ſolani, decocto hordei, nympheæ, papauer. hyoſc. roſar. rubr. in quo diſſoluta ſit caphura. Lacte aſinino, lacte mulieris cũ aq. plantag. ol. ex vitell. oui, diu in matrimonio plumbeo agitatum, donec craſſitiem acquirat primas in hoc affectu tenet. Interdum collum vteri valdè prurit ob humorem acris & ſalſi in eam partem defluxum, ad quem pruritum demulcendum conuenit peſſarium imbutum vnguento Enulato cum Mercurio aut Ægyptiaco diſſolut. in aq. marina, aut aqua aluminoſa, aut butyro recent. in quo hydrargyrum extinctum ſit addito ſulphure. Victus ctus refrigeret & humectet, frequens ſit purgatio. Eadem curatio conuenit colli vteri fiſſuris, quæ vulgo ragades appellantur, ſimiles ſunt iis quæ interdum labra & articulos digitorum occupant à frigore.

SCIRRHVS VTERI.

Confirmatus vteri ſcirrhus incurabilis, cum primum incipit remolliendus eſt oleis, fotibus linimentis, cataplaſmatis. Olea ſunt liliorum, amygdal. dulc. chamæmel. Vnguenta ex iiſdem oleis & medulla cruris vituli, axung. porci, butyro recenti. Fotus ex rad. liliorum, fol. malu. biſmalu. violar. parietar. quibuſcum adduntur herbæ calidæ & diſcutientes, quia ſcir-

rhus fit ab humore craſſo congelato & impacto. Adduntur ergo athemiſ. nepeth. hyſſop. origan. calameth. puleg. Conueniunt etiam balnea aquæ tepidæ, in qua herbæ remollientes & diſcutientes incoctæ ſint. Præterea ad digerendum humorem craſſum ſcirrhi cauſſam recipitur per infundibulum vapor effuſus ex aceto acerrimo, in quo incocta ſit ſatyrea, aſperſo lapidi candenti. Sed ante topicorum vſum proſpiciendum eſt toti corpori purgationibus craſſum & melancholicum humorem purgantibus, vt & clyſteribus, quorum frequens debet eſſe vſus ob ſummam recti inteſtini vicinitatem. Venæ ſectio ob ſuppreſſos menſes à ſcirrho venas vteri obſtruente commodè poteſt imperari. His accedat idoneus victus, qui nihil melancholici humoris congeneret.

MOLA.

AD Molæ, quæ caro eſt inutilis, & in fœminarum vtero ſenſim increſcens ac verum fœtum ementitæ ſublationem conueniunt venæ ſectio, purgationes validæ, cucurbitulę, vſus eorũ quæ fortiter menſes cient & ſecundinas eiiciunt. Topica ſunt fotus, vnguenta, cataplaſmata remollientia, relaxantia, & balnea. Secetur baſilica vtraq; & vtraq; ſaphena & in ſatis magna quantitate euacuetur ſanguis, vt dematur Molæ alimentum. Purgationes validæ ex confect. hamech. hieræ, colocynth. & ſimilib. habita tamen ratione virium ægrę. Clyſteres comparati ex decocto aperientium diſcutientium & carminatiuorũ in quo diſſ. benedict. laxatiu. hieram diacolocynt. & ſimilia. Vo-

lia. Vomitoria etiam & ſternutatoria conferunt, quia in his duobus violentis motibus comprimitur abdomen & per conſequens vterus. Cucurbitæ internis femorum partibus admouentur, interim ea quæ ſecundinas eiiciunt, commendantur pillul. comparat. ex galbano, aſſa fœtida, opopanace, ammoniaco, & myrrha, caſtoreo, bdellio, ſabina malaxatis cum melle. Doſis ʒ.j. alternis diebus. Puluis ex cinamom. myrrha, ariſtoloch. long. pulu. diambr. diamargarit. frig. Ad eundum effectum excipietur in vtero vapor per infundibulum excitatus è trochiſcis factis ex galbano, opopanace, incorporatis cum felle bouis & in prunas ardentes coniectis. Et admouebuntur pudendo peſſaria, ex ammoniac. opopanac. ariſtoloch. rotund. pulpa colocynth. Fotus fiunt ex remollientibus decoctis in aq. & oleo violaceo, vel in decocto omazorum. A fotu adhibebitur litus vel cataplaſma remolliens. Inprimis autem balnea conueniunt, in quibus non ſolum remollientia incoquuntur, ſed etiam ea quæ menſes prouocant, vt rad. ariſtoloch. rub. tinctorum, fol. arthemiſ. mercurial. nepeth. menthæ, abrotani, abſynthij, rutæ, calamenthi, origani, & in ingreſſu balnei commodè ſumitur ʒ. j. pillul. prædictar. vel 3. aut 4. cochlear. puluer. præſcripti. Quibus ſi nihil proficiatur, manu chirurgi opus eſt. Hic autem notandum eſt, quod Mola interdum firmiſſimè acetabulis vteri adhæret, adeò vt nulla vi detrahi poſſit, ſed 4. aut 5. annos, aut etiam per totam vitam geſtetur. Interdum verò putret, túncque peſſima inducit ſymptoma-

ta. vt verò putruit, manu obſtetricis aut chirugi frustratim eximi debet. Interdum decoctum detergens, ſiccans & à putredine vindicans in vterum iniiciatur. Interdum mola quæ non ita firmiter vteri acetabulis adhæret, 3. aut 4. menſe excidit citra ægræ incommodum. Sanguinis fluxus tamen ſubſequitur, quem ſinere oportet, dum quod ſatis eſt effluxerit. Dein ſi modum excedat, illis remediis debet cohiberi, quæ poſtea exponenda in cura immodicę menſium euacuationis.

HYDROPS VTERI.

TYMPANITES.

VTerus interdum tumet à flatibus excitatis à crudis & pituitoſis humoribus in eius cauo contentis, vel à retento præter naturam ſemine, vel cum poſt partum, aut balneum, aut immodicam menſium purgationem aërem frigidum recipit, quam cauſſam ſæpè ſterilitas conſequitur, quia aër frigidus ingrediens condenſat tunicas vteri & orificia venarum claudit. Si à crudis humoribus & pituitoſis curatio totius corporis à purgatione auſpicanda, quæ per interualla repetitur dum impuritati totius corporis ſit ſatisfactum. Pòſt topicis flatus diſcutiendi, inter quæ primum tenet fotus infimi ventris per ſacculos comparatos ex fol. abſint. rutæ, ſalu. mariotan. thym. lauri, origani, calamenth. puleg. arthemiſ. camomill. melilot. bacc. laur. iuniper. ſeminib. cumini, aniſi, fœniculi, quæ bulliant in vino albo.

no albo. Fiunt etiam ſacculi ex milio, ſale, cumino, furfure macro & torrefacto in ſartag. vt humorem excrementium deponant. Balnea etiam aquæ tepidæ paulò calidioris, in qua prædicti ſacculi bullierint, egregiè conferunt. A fotu liniatur infimus venter oleo nardino, anethino, rutaceo, abſinthite, abrotani. Quod ſi arte chymica fuerint elicita, erunt efficaciora. A litu ſuperponitur Emplaſtrum de baccis lauri, vel cataplaſ. ex ſtercore vaccino, ouillo, ſeminibus apij, petroſelini, cumini, melle. Sæpè etiam iniiciendi clyſteres carminatiui ex decocto abſinthij, origani, pulegij, rutæ, centaur. & ſimiliũ, vel ex ol. rutæ, nucum anethi, & vino albo aut hypocratico aut maluatico. In quib. diſſol. benedict. laxat. diaphœn. hieram, diacolocynth. Therebinth. confect. è baccis lauri, vel mel anthoſatum, & ſimilia. In pudendi cauitatem intromittentur peſſaria pituitoſos humores abſorbentia & attrahentia, comparata ex agar. craſſiuſculè triti ℥ ij. pulu. benedict. laxat. ℥. iij. pulp. colocynth. ℥. j. cum terebinth. incorporatis. Admouetur etiam vmbilico cucurbitula cum multo igne. Flatus enim egregiè diſcutit. Intereà aſſumptis innatus ventriculi, & aliarum partium calor roborabitur cortic. citr. condit. pul. dulcis aromat. roſat. ſem. fœniculi, aniſi, & coriandri præparati, & ſimilibus dictis in imbecillitate & cruditate. Si illud ſymptoma partum comitetur, eadem remedia conueniunt, ſi cathartica exceperis, venter tamen per faſciam adſtringendus, & ſi lochia non bene prodeunt, ea propriis remediis prouocari debent.

HYDROPS VTERI.

ASCITES.

INterdum etiam intumeſcit vterus ab aquis non aliter ac reliquæ corporis partes. Hæc autem aqua vel viſceribus malè affectis per vias occultas in vterum influit, vt contingit mulieribus hydropicis aut conualeſcentibus à longo morbo, vel colligitur per congeſtionem intra vterum præcipuè poſt abortum, longam menſium ſuppreſſionem, aut ob frigidam intemperiem, aut ob molam, quæ iam diu geſtatur; à quibus cauſſis debilitatus vterus maximam copiam colligit, quæ aliâs continetur in ipſius cauitate, ibique fluitat nec foras effunditur ob interclusum aditum, alias intra veſiculas continetur. Ad curationem adhibendæ ſunt purgationes neceſſariæ. orificium arctè concluſum fotu remolliente reſerandum. Euacuandæ ſunt aquæ tum introſumptis, tum extrinſecus admotis in hydrope explicatis, & præterea vtendum iis quæ aperiunt, & menſes mouent. Refert Dodonæus ſe multas vidiſſe, quæ cum ſe grauidas putarent, nouem menſibus adimpletis ſuperuenientibus partus doloribus, non niſi aquoſos humores enixæ ſunt, à quibus liberatæ vbera lacte repleta habuerint, non aliter ac ſi fœtum peperiſſent. Mulier quædam vt annotauit Fernelius, hydrope vterino correpta quoties appetebat menſtrua purgatio, ingentem aquarum colluuiem ex vtero per ceruicem effundebat, peluéſq; implebat ſex aut octo aqua citrina. Dein totus venter detumeſcebat;

mox

mox dein inſequebatur ex naturæ præſcripto collecta proximè par colluuies ſtatim, dein tempore profluebat, quæ tamen mulier ſanata vterum geſtauit, peperitque fœtum bene vitalem.

MENSIVM SVPPRESSIO.

TRia purgamentorum genera ab vtero excũt, quæ ſi fluant, tempeſtiuè multum proſunt, ſin immoderata, multum nocent. Primum eſt ſanguis menſtruus, quem ſana mulier ſingulis menſibus debet eiicere, ſi modo non lactet, ſi ætas non prohibeat, & ſi vtero non geſtet. Purgatio autem ſanguinis menſtrui quantitate, qualitate periodo, & excludendi modo definitur. Quantitas ad propriam cuiuſque naturam & vitæ legem referenda. Quibuſdam enim mulieribus, vt plethoricis copioſior, aliis vt pinguibus parcior fluit. Qualitas ea eſſe debet, qualis ſolet eſſe ſanguis naturalis, colore rubeus, conſiſtentia medius inter craſſum & tenuem. Periodus pro ætate varia eſt. Nam adoleſcentes prima luna, veteres poſtrema purgantur, vt mediæ ætatis media: quod non eſt tamen vſquequaque verum. Ratio excludendi naturalis eſt, ſi non guttatim ſed copioſè fluat, idque intra modum. Si quod horum deſideratur, menſes ſunt in vitio. Secundum quod ab vtero excernitur, eſt illa purgatio quæ à partu fieri ſolet, quam lochia vulgò vocant, quæ cum præter naturam ſemper ſint, excludi debent. Si enim ſupprimantur infinita mala accerſunt. Tertium eſt fluor mulìebris de

quo poſtea. Antequam verò menſes ducantur, videndum quibus duci debeant. Nam ante 14. annum quo incipiunt fluere, & poſt quadrageſimum quo deſinunt aut circiter non debent prouocari, vt nec illis etiam, quæ vterum gerunt, nec etiam illis quæ nihil incommodi ab illa retentione ſentiunt. de illis ſolis quæ ex eorum ſuppreſſione in fœdos colores, cachexiam, atrophiam, & ſimiles affectus inciderunt. Licet autem variæ ſint ſuppreſſionum cauſſæ, eius tantum hic curationem trademus, quæ frequentior eſt, ea verò eſt obſtructio venarum vteri à craſſis & pituitoſis humoribus. Eſt autem incipienda curatio à purgatione exuperantis humoris, cúmque ſiniſtri hypochondrij tenſio & renixus occurrat cathartica idonea infundantur in decocto ſplenetico, vt in hepatico ſi in dextro hypochondrio & toto meſenterio mali focus latet. Ferè enim viſceribus & venis quæ illinc in vterum pertinent obſtructione liberatis maxima per conſuetam viam ſeſe expurgat. Cum verò nulla viſcerum & præcordiorum ratione habita in ipſo curationis initio attenuantia, & menſes purgantia præſcribuntur, impuritas tum primis venis ſtagnans in altiores venas deducitur, vnde difficilior redditur morbi curatio. Poſt vnam & alteram purgationem baſilica ſecanda, ſi plethora adſit ad reuulſionem, & deriuationem ſanguinis, qui ſua copia obſtructionem auget. Inciditur etiam ſaphena vt ſanguinis curſus ad inferiores partes deriuetur tribus aut quatuor diebus ante ſolitum menſtruæ purgationis tempus. Prima corporis regione

purgata,

purgata, dantur purgantia, attenuantia, & menſes prouocantia, quæ vel intrò ſumuntur Apozem. ex rad. petroſelin. fœnicul. apij, rubiæ, cort. rad. cappar. tamariſc. enulæ, fol. arthemiſ. hyperici, meliſſ. hyſſop. thymi, capillar. ſeminibus aniſi, fœniculi, ſileris montani. In colatura diſſol. ſyr. altheæ, mel deſpumatum clarificatum & aromatiſatum, rad. ireos florent. Dantur etiam pillul. tabell. opiat. quarum formulas reperies in cap. de cachexia pituitoſa, quibus dum vtimur, dāda ſunt 4. aut 5. quolibet die cathartica, vt expurgatis vitioſis humoribus, qui primas venas obſidebant, facilis ſit medicamentorum aperientium & menſes mouentium in venas maiores ingreſſus. Extrinſecus admouentur balnea ex emollientium & attenuantium decocto, in quibus mador & ſudor leuiuſculus erumpit. Hoc.n. remedio non ſolum colliquantur craſſiores humores venas obſtruentes, ſed etiam vaſa ad vterū pertinentia dilatantur & aperiuntur. At verò in balnei ingreſſu commodè exhibetur medicamentum mouendis menſibus deſtinatum, vt gemino balnei & huiuſce medicamenti conatu copioſa ſuccedat vacuatio. Loco balnei vſurpabitur fotus imi ventris manè & veſperi ex ſacculis comparatis ex aperiētibus & menſes cientib. in vino albo ferueſactis, qualia ſunt nepetha, matricaria, agria palma, arthemiſia, calamenth. hyſſop. & ſimilia. Admouentur etiam cucurbitulæ interiori parti femorum. Fricātur etiam crura ſingulis matutinis à ſupernis partibus ad infernas, vt ſanguis in inferiores partes promptius influat, ídq; appetente menſtruæ purgationis

tempore. Induntur etiam peſſi in ceruice vteri facti ex contuſis herbis mercurial. maioran. quibus additur hiera ſimplex, mithridat. Theriaca, vel ex rad. ireos, cyclaminis, ariſtol. rotund. myrrha. caſtoreo, ſem. rutæ, nigellæ, fit ex iis puluis ex quo therebinthin. excepto fit peſſus, qui ſyndone inuolutus vel linteo rariſſimo & tenuiſſimo immittitur in pudendum. Fortior erit ſi adiungatur ſabina, colocynthid. pulpa. Cauendum tamen ne à validioribus vlceretur pudendũ, cuius vlcerati ſigna erunt doloris maximi ſenſus in vrinæ tranſitu, & in congreſſu viri. Notandum hic eſt, quod in virginibus peſſi non ſunt admouendi.

MENSIVM FLVXVS.
IMMODICVS.

TRiplex immodicus fluor mulieres vexat. Vnus menſtruus, alter in partu, tertius ſine lege & ordine, qui fluor muliebris dicitur. Menſtruus verò ſanguis multis de cauſſis immodicè fluit, quarum præcipuæ ſunt plethora & cacochymia. Si plethora immoderati menſium fluxus cauſſa ſit, copioſè mittendus ſanguis ex alterutra baſilica. Sin ſanguinis impuritas acrimoniæ particeps venas vellicans & aperiens frequens medetur purgatio, quæ cacochymiam eximat. Mittendus tamen eſt ſanguis, dein ſemel aut bis in hebdomade repetenda catharſis, dum viſcerum & venarum impuritati ſit prouiſum. Conueniet etiam frequens caſſiæ vſus, cui interdum

dum puluis Rhabarb. miſcebitur. Expreſſio e-iuſdem Rhabard. infuſi in aqua cichor. huius e-nim vſu non ſolùm demitur cacochymia, ſed et-iam mala viſcerum affectio corrigitur. His acce-dat victus refrigerans & humectans, in quo ſit vi-ni & omnium ſalſamentorum & aromate condi-torum abſtinentia. Quæcunq; verò cauſſa hæ-morrhagiam concitauit, cum primum animi affe-ctiones obrepunt cucurbitæ vmbilico admouen-dæ ſemel, bis, terve, intermiſſis horis aliquot re-petendæ, donec fluxio conſtiterit. Gal. 13. meth. cap. 19. ſub mammis admouet defixo earum ore in communibus venis pectoris & vteri. Sunt qui hypochondrio dextro admouent, ſed metus eſt à iecore. Præterea fricandæ ſunt partes ſupernæ. Brachiis vincula dolorifica adhibenda. Adſtrin-gentia per os ſumenda, vt potiones ex aqua plan-tag. roſar. centinodij, in quibus diſſol. boli arme-ni, terræ ſigill. corall. Rhabarb. pulu. Syrup. cy-don. & roſar. ſiccarum, ſyrup. ex ſucco plantag. centinod. *urticæ mortuæ*, cum ſaccaro roſato. Lumbis verò & oſſi ſacro admouentur fomen-ta, linimenta, vnguenta, emplaſtra refrigeran-tia & adſtringentia. Fomenta fiunt ex herbis & fructibus, adſtringentibus, decoctis in aqua cha-lybeata & vino auſtero. A fotu liniuntur oleo myrtill. roſ. lotis ſæpius in aceto. Poſt admoue-tur Emplaſtrum contra rupturam, deſiccati-uum rubrum. In vterum etiam iniicitur ſuccus plantag. per clyſterem vterinum. Victus ſit ad-ſtringens & incraſſans, vt ſanguis reddatur ad motum ineptior. Conueniunt ergo partes

adſtr.

neruoſæ & extremitates tendinoſæ animalium, & quæcunque minus fluxilem reddunt ſanguinem. Nocet ideo vini, & alimentorum calidorum vſus, vt & porri, alliorum, cæpe. In iuſculis coquãtur portulaca, centinodia, plantago. Vitetur culcitra plumea, ira, vehementes animi motus. *Non admoueãtur vtero & præcordiis lintea calida.* Quies adſit animi & corporis. In ſumma, ſanguinis tenuitas & feruor omni ratione temperetur. Quòd ſi menſes incertis circuitibus ſenſim effluant, cauſſa referenda eſt ad obſtructiones viſcerum, & abundantiam vitioſorum humorum, ideóque ad curationem praua viſcerum affectio delenda eſt, impuritas ſanguinis tollenda. Exoneratis enim venis ſarcina, qua premebantur & liberatis obſtructionibus natura ſtatis temporibus ſuas molitur purgationes. Itaq; ſi bilioſa eſt cacochymia, & in dextro hypochondrio tenſio, & renixus tangenti occurrit, Iecori & meſenterio conſulendum eſt, primum vt lieni, ſi huius malè affecti notæ compareant. Fruſtra enim vtero remedia adhibentur, cum aliorum viſcerum ſympathia laborat. Si vlceratio vteri aut orificij ipſius hæmorrhagiæ intempeſtiuæ cauſſa ſit, poſt generales purgationes vlceri proſpiciendum eſt iis quæ detergent & ſiccant & cicatrice obducunt. Quænam autem ea ſint ſuprà diximus.

FLVOR MVLIERIS.

VVlgò muliebre profluuium, flores albos vocant, quod in hoc affectu excrementa quæ per vterum defluunt, ſunt pituitoſa & colore alba.

re alba. Interdum tamen ſunt colore flaua, crocea, viridia, æruginoſa, tuncque accuſanda eſt calida venarum hepatis & vteri intemperies. Sin verò ſunt pituitoſa, cauſſa eſt viſcerum naturalium imbecillitas, præcipuè tamen hepatis, quod ſanguinem crudum & aquoſum generat; interdum & vteri qui quauis ex cauſſa frigidior aut imbecillior redditus proprium alimentum malè conficit; vnde excrementa multa gignit, quæ dein foras excidunt. Sæpè huius profluuij cauſſa mœror eſt diuturnos. Eſt autem fluxus hic valdè moleſtus ob illas ſordes quæ continuò diſtillant & infinitorum morborum cauſſa, vt ſterilitatis, quia ob aſſiduum humoris affluxum, vterus ita lubricus eſt, vt ſemen retinere nequeat. Quod ſi humor defluens ſit acer, vlcus excitatur, vt & ſanguinis fluxus. Dum malum recens eſt, ſtatim ei occurrendum eſt, quia inueteratum tam inſigne vltium relinquit, vt curationem reſpuat. Vterus enim facilè aliarum partium excrementa recipit, tum ob ſitum inferiorem, tum ob multitudinem venarum eò pertinentium, tum ob conſuetam naturalem purgationem. Curatio ſumma poſita eſt in præparatione & purgatione accommodata, eaque frequenter repetita, vt humor qui in vterum viam affectat, in inteſtina deriuetur, dein exſiccatione, ſudorum promotione, præſertim cum humor morbi cauſſa pituitoſus eſt & ſeroſus. Nam ſi ſit billioſus aut atrabilarius, cauenda eſt nimia exſiccatio, ne humor atrabilarius incaleſcat & ferinus euadat. Poſt vbi tota impuritas aut magna ex parte exhauſta eſſe videbitur, vtendum

eſt adſtringentibus ſumptis & admotis. Præparatio humoris pituitoſi completur per calfacientia & exſiccantia. Bilioſi verò & atrabilarij per refrigerantia, & humectantia, & contemperantia. Quænam autem ea ſint, ſupra explicatum eſt. Venæ ſectio locum tantum habet, ſi humor, qui effluit ſit bilioſus exuens & tranſitu mordax. Si autem pituitoſus ſit fluor exſiccandus eſt & roborandus vterus per ſacculos, ſuffitus. Sacculi comparabuntur ex ſaluia, maiorana, ſtœchade, origano, calamenth. thymo, hyſſop. arthemiſ. meliſſ. matricar. agripalm. ſem. fœnicul. aniſi, baccis lauri, iuniperi, corr. rad. cyperi, calam. aromatic. rad. ireos florent. bulliant autem in vino albo pro fotu genitalium caldiſſimè manè & veſperi vel excipitur vapor ex cathedra conuenienti foramine. Suffitus ex vernice, maſtiche, olibano, benioino, ſtyrac. calamitha, nuc. moſchat. caryophyll. craſsè pulueriſatis. Ad eundem effectum id eſt ex ſiccationem & roborationem vteri comparatur maſſ. pillularum ex aloë, myrrha. gentian. ariſtoloch. rotund. aſſ. fœtid. mithridat. Rhabarb. malaxatis omnibus cum ſyrup. arthemiſiæ. Quod ſi ardoris adſit ſenſus; metus eſt ab vteri vlcere, & tunc minus calidis vtendum eſt, ne in carcinoma morbi fiat tranſitus. Si his non quieſcat fluxio decocto ſudorifico, cacochymia totius corporis eſt exhaurienda. ad ea tamen abſtinendum, ſi corpus longo fluxu ſit euacuatum. Victus attenuet, ſiccet & calfaciat, magis tamen aut minus, pro ratione humoris, qui fluit. Potus ſit parcus. Copioſorum iuſculo-

culorum & ſimilium humectantium ſit abſtinentia, ſi pituita mali ſit fomes. Quæcunque autem cauſſa fuerit vita ſi hilaris, cum nihil æquè hunc affectum foueat atque mœror, ideo vt multæ, quæ conualuerant mœrore concepto ſubito hoc affectu corripi viſæ ſunt. Hæc dum fiunt detergeri debet vterus, in detergendo autem ratio habenda eſt humoris morbifici. Alia enim detergentia debentur humori billoſo, alia pituitoſo. Si humor ſit bilioſus iniicientur Clyſteres vterini ex aq. ſaccarata aq. hordei, ſero lactis caprilli, vel ex lacte aſinino. Sin ſit pituitoſus fiet ex hydromelite. Admouebitur & peſſarium ex theriaca, mithridatio, quibus commodè miſcebitur therebinthina, quia vterum probè deterget, vel ex fol. mercurial. tuſis & panno lineo raro & ſubtili inuolutis dormituræ indetur in vterum, ibique remanebit per totam noctem. his vſus erit dum vterus erit probè deterſus, quod cognoſcitur ex nullo aut pauco ſordium per eam partem tranſitu. Vbi autem commodè fuerit deterſus, vtendum eſt adſtringentibus, quibus ante idoneam deterſionem locus eſſe non debet. Nam eam impuritatem in vtero retineret, quæ ſurſum remeans grauiorum morborum cauſſa eſſet. Adſtringentia autem vel intrò ſumuntur vel extrinſecus admouentur. Intro ſumuntur Iulepi, pulueres, opiatæ, Electuaria. Syrupus ex roſ. transmarinis vim habet maximam ad ſiccandum fluorem. Vulgo vtuntur puluere roſarum illarum albarum ad fluores albos, rubrarum ad pallidos cum vino adſtringente. Iulepi fiunt ex aq. roſarum, centinodiæ,

plantag. in quibus diſſol. bol. armen. terr. ſigill. corall. ſyr. myrtill. roſ. ſicc. aut alius ſimilis. Opiatæ ex conſeru. roſ. antiqua, bugloſſ. conſol. maior. cort. citri ſicci, quibus adduntur pulueres corall. rubr. vſti, eboris, terræ ſigillat. bol. armen. ſangu. dracon. Elect. fiant ex iiſdem pulueribus cum ſaccaro in aq. plantag. diſſoluto. Pulueres à paſtu ſumendi è ſemin. aniſi, fœnicul. dulc. coriand. præparat. raſur. ebor. vſti cum ſaccari roſati ſextuplo. Admouentur clyſteres vterini, fotus, peſſaria, Emplaſtra. Clyſteres fiunt ex decocto gallarum, cupul. gland. malicorij, alumin. roch. vitrioli, & ſimilium factio in aq. fabrorum, & adſtringente vino. Fotus ex vini adſtringentis ℔. ij. in quibus ℔. j. ſcoriæ ferri bullierit, donec tertia pars ſit conſumpta. Peſſaria ex maſtiche, thure, nucib. cupreſſ. & ſimilibus tritis, & colligatis in linteo raro Emplaſtrum ex vnguento Comitiſſæ, Emplaſtr. ad herniam & pro matrice, quibus additur puluis maſtich. ſang. dracon. terr. ſigill. malaxatis ſimul omnibus cum oleo myrtill. Eius emplaſtri portio extendetur ſupra alutam admota lumbis & oſſi ſacro imo ventri & geſtabitur inter duas purgationes menſtruas. Eo. n. fluxu aduentante auferenda. Fiunt & balnea ex aq. maris, aut ex decocto adſtringentiũ facto in aq. fabrorum, aut in lixiuio cineris quercus, concharũ vſtarũ, in quo decoquantur adſtringentia, diſſoluetúrque alumen & ſal. Aut ſi ægra balneum ingredi nequeat maceretur ſpongia in liquore prædicti balnei, & circa vterum applicabitur. Si his fluor vteri non ſiſtatur, adeat ægra fontẽ

Spaden-

Spadenſem, de cuius aqua bibat. Hanc enim egregiam vim habere ad fluores albos experientia fidem facit. Vbi autem fluor ceſſauerit, abſtinendum eſt à veloci ambulatione, repentino graduum, aut montis aſcenſu aut deſcenſu, ſaltu, equitatione dura; multis pectinis, lumborum, & crurum frictionibus, ab acrium, flatuoſorum & calidorum vſu, à balneis & catharticis. Hæc enim omnia vitioſos humores deducunt in vterum, adeóque malum renouant.

VTERI SVFFOCATIO.

VTeri ſuffocatio interdum fit à ſemine præter naturam retento in capacitate vteri, aut à menſtruo ſanguine, aut aliis vitioſis humoribus, qui ex occulta & inexplicabili proprietate malignitatem quandam contrahunt veneni æmulam, quæ varia, eáque horrenda inducit ſymptomata, dolorem atrociſſimum in capite, & ventre infimo, deſipientiam, garrulum furorem, ſuffocationem, & ſimilia. In huius affectus curatione duo tempora conſeruanda, vnum paroxyſmi, alterum intermiſſionis. In paroxyſmo valdè formidabili dabitur opera, vt ab eo primo quoque tempore ægra liberetur: quod conſequitur, ſi vapor teter partes nobiles opprimens ab vtero elatus reuellatur, & ſi quis ſit vitioſus humor in vtero euacuetur. Itaque vincula dolorifica genibus iniicienda, cucurbitæ magnæ femoribus admouendæ. Admouenda odorata vtero, vt nodulus ex ciuetta & moſcho. Fœtida verò naribus, elichnium candelarum recens extinctum, aſſatæ tenues ſul-

phuratæ pennæ auium, maximè perdicis, combuſtæ, vetera coria vſta, pomum fœtidum ex aſſa fœtida, caſtoreo, galbano, ruta malaxatis cum ſyrupo arthemiſiæ. ſerta ex ruta, tanaceto, abſinthio. Hæc enim ratione ſui praui odoris ſpiritum animalem vehementius mouent, & expultricem vim ad ſuum opus ſtimulant. Præterea inditur in nares per calamum puluis hellebori, zinziberis, pyrethri. Auelluntur pili pudendorum, vt ratione doloris natura irritetur ad pulſionem humoris noxij. Inditur in eos per cochlear aqua vitæ, aq. angelic. aq. ex canamom. arte chymica elicita. Admouetur vmbilico Emplaſt. ex galbano, in cuius medio aliquot ciuettæ grana ponuntur. Perfricatur etiam interior colli vteri pars oleo nardino, *ſpicato* vt excitatus titillatione vterus ſollicitetur ad rei virulentæ expulſionem; quod tamen nec in grauidis, nec in virginibus tentari debet. Quod ſi ægra viro ſit coniuncta, nihil æquè proderit atque congreſſus viri, cum fuerit excitata: & hæc durante paroxyſmo facienda. Hic autem ne reuertatur ita prouidendum. Purgato corpore & miſſo ſanguine fotus emolliens, digerens adhibendus, & roborans, vt colliquatus humor morbi cauſſa, per reſeratas à fotu vias facilius fluat. Inſeſſus fotu potior eſt, Repetitur autem alterutrum remedium, id eſt, fotus aut balneum ſingulis menſibus 8. vel 10. dies ante purgationem menſtruam. Niſi hæc medendi ratio aliquot menſibus repetita prorſus ab eo ſympromate liberat, ſemel au bis in quaque hebdomade vſus fuerit harum pillularum, quæ fiunt ex ca-

ex caſtoreo, aſſa fœtida, opopanace, galbano, myrrha, oloë, croco, gentian. ariſtoloch. rotund. malaxatis cum ſyrupo de arthemiſia, & therebinthina Veneta. Hæ pillulæ vterum ſurſum aſcendentem reponunt, eiúſque tetros vapores diſcutiunt, menſes mouent, & vterum omni ſorde expurgant. Quod ſi fortè ſemen retentum huic ſymptomati cauſſam dederit, & ægra ſit puella, conuenit refrigerans & contemperans victus, qui paucum ſanguinem gignat; detractio ſanguinis è baſilica & ſaphæna, & Balneum aquæ repentis.

PRÆCIPITATIO VTERI.

SEV PROCIDENTIA.

QVemadmodum vterus ſurſum, aut ad latus peruertitur, ita quoque deorſum prolabitur, neque tamen à ſuis appendicibus & ligamentis totus deſtitutus excidit. Nam ſi ita procideret reſtitui nequaquam poſſet. Cauſſæ ſunt caſus ab alto, à quo diſruptæ ſunt pelliculæ, & ligamenta, quę vterum continent, & vicinis partibus connectunt, violenta ſecundinarum aut fœtus extractio, vehementiſſimi animi affectus, terrores ſubitò incuſſi, defluxio humoris pituitoſi in ligamenta. Et hæc vltima frequentiſſima eſt huiuſce affectus cauſſa,

Si ab humidiore vteri & vinculorum, quibus vi-
cinis partibus temperatura, aut defluxu pituitoſi
humoris hoc malum contingat, purgato accura-
tè corpore, decoctum guaiaci ad ſudores mouen-
dos ex vſu eſt. Manè ergo ſingulis diebus ſudor
elicietur, veſperi autem fotus imo ventri adhibe-
bitur ex ſaluia, origano, maioran. thymo, matri-
car. tanacet. abſinth. ruta, roſ. rub. rad. cyper. ca-
lam. aromatic. nucib. cupreſs. & ſimilibus, deco-
ctis in aq. fabrorum, & vino rubro. A fotu ſuffi-
tus adhibebitur ex maſtiche, olibano, roſis ru-
bris. Poſt linietur infimus venter, inprimis lum-
bi, & os ſacrum, ol. myrtill. maſtich. & ſimilibus.
Iſta remedia tres hebdomadas continuanda, vel
creſſities excrementi, quæ ſudorib. euacuari non
potuerit per aluum expellatur. Victus ratio ſic-
cet, vt ſuperuacui humores abſorbeantur. Vite-
tur excitatio vehemens, ira, mœror, mœſtitia, &
inprimis Venus immodica. Vterus enim coitu
deorſum mouetur, vt ſemen tanquam manu re-
cipiat. Interim aluus ſit ſemper libera. Nam dum
magna contentione redduntur alui excrementa
deorſum prolabitur vterus. Quod ſi nihilomi-
nus vterus non poſſit præmanere in ſuo loco reti-
neatur ea ratione, quam tradunt Paulus, Aëtius, &
alij cheirurgi, quæ talis eſt. Aluo prius & vrina
redditis, vt vterus omni ex parte ſit liber (nam in-
ter veſicam & rectum inteſtinum ſitus eſt) ægra
ſupina iaceat, ita vt habeat coxas altiores, refle-
xos poplites, & crura ab inuicem ſeparata, dein
prolapſa vteri pars fouenda eſt aqua aluminoſa,
aut decocto adſtringente, poſtea nulla violentia
adhi-

adhibita ſurſum reducenda eſt ope peſſarij lanei, aut baculi, quod linteo ſit circumuolutum. vtero ita repoſito, ægra extendat ſua crura ita vt alterum alteri incumbat, in eo ſitu per longum tempus remanebit. Interim toto eo tempore ægra geſtabit ſuper lumbos Emplaſtrum adſtringens, vel contra rupturam, deſiccatiuum rubrum, vnguentum comitiſſæ, & ſimilia ſint commiſta in formam Emplaſtri, ea tamen cautione, vt 8. vel 10. dies, ante ſolitam purgationem menſtruam tollatur, ne illam inhibeat. Odorabitur etiam ægra ea perpetuo, quæ ſuauem odorem reddunt. Fœtida autem vtero admouebuntur, & aliquando apponentur cucurbitulæ vmbilico. Abſtinebit verò ægra à clamoribus maximis & iis præſertim quæ tuſſim, ſternutamentúmque prouocant, ab ira, mœrore, ſaltu, & omnibus immodicis motibus. Verſabitur verò in ſumma tum corporis, tum animi tranquillitate. Interdum autem vterus foras adeo prominet, vt deſcendat vſque ad genua, neque intro reduci poteſt. Quod ſi ab acri vrina, aliiſque ſordibus indeſinenter per pudendum defluentibus corrumpatur & vlceretur, tunc quod computruit auferendum. Etenim vniuerſo vtero ſublato, vbi putrefactus eſſet, mulieres ſupermanere poſſe, multis tum veterum, tum recentium medicorum monumentis, & cheirurgorum obſeruationibus comprobatum eſt. Non enim vterus ad vitam pars eſt neceſſaria, ſed tantum ad conceptionem & geſtationem, ideoque eo auulſo non aliter atque teſticulis exemptis vita nihilominus ſupereſt.

STERILITAS.

STerilitatis infinitę ſunt in muliebribus cauſſæ. Frigiditas totius corporis aut ſolius vteri (& cum hæc cauſſa adeſt nulla veneris eſt expetitio) Caliditas totius corporis aut vteri, túncque aſsidua vrget coëundi cupiditas, ſemem & vigilantibus & dormientibus calidum & mordax minima Veneris cogitatione profunditur. Nimia humiditas quæ extinguit ſemen virile, indéque orta laxitas, quæ illud ſinit effluere. Rarò autem in his frigidis & humidis regionibus hoc ſymptoma fit à ſicca vteri intemperie. Interdum & os vteri vel ſcirrhoſum, vel alio tumore occupatum cauſſa eſt huius mali, quia ſemen fieri prohibet. Frequentiſſima verò omnium cauſſa eſt menſium ſupreſſio, vndecúnque fuerit contracta, quam ſequitur lienis obſtructio, & ſcirrhus in imum ventrem & vterum decumbens, ipſúmque refrigerans. Sed & graues iecoris & meſenterij cædémque inueteratæ obſtructiones cum per vterum ſeſe expurgant, eius robur ſic diſſoluunt, vt ſemen nequeat continere, adeóque non concipere. Sæpè tamen tabidæ & hepaticæ mulieres aut liene maximè ſcirrhoſo obſeſſæ fœcundæ ſunt, cum ſcilicet earum partium excrementa in vterum viam non affectant. Quod ſi nimia frigiditas cauſſa ſit ſterilitatis diligenter animaduertendum eane toti inſit corpori, an vtero ſolum, & vaſis ſpermaticis ac teſtibus. Pleriſque enim iecur & renes calore æſtuant, cum tamen vterus ſit frigidiſſimus.

Si igi-

Si igitur toti corpori ineſt intemperies, natura quidem ægerrimè, adſcititia verò & prauo victu contracta curatur facilè. Quod ſi vt ferè ſemper accidit nimia humiditas frigiditatis ſit comes, remediorum ſit phlegmagogorum & hydragog. vſus, quæ pituitoſos, ſeroſos, & aquoſos humores euacuant. Victus ſit calfaciens & ſiccans. Vitabitur ideo vſus aquæ, fructuum crudorum, olerum, leguminum, & ſimilium. Sudores profundantur in vaporario decocti guaiaci vſu. Foueatur interdum venter & vterus ſacculis, qui implebuntur foliis ſaluiæ, origani, calamenthi, rutæ, matricar. tanaceti, archemiſ. agriapalm. ſemine fœnicul. bacc. laur. iuniperi, rad. cyperi, calam. aromatic. decoctis in vino albo, aut rubro, addita ſub finem aquæ vitæ tertia parte. Suffietur vterus vernice, maſtice, olibano, ſtyrac. calamith. coniectis ſuper prunas ardentes. Inungetur imus venter ol. ſalu. ruthæ, Therebinth. & ſimilibus arte chymica extractis, ſi eorum adſit copia, cumque intemperies tanta eſt, vt menſe integro hiſce remediis continuatis non cedat intermiſſo trimeſtri eadem remedia ſemel, bis, terue repetenda. In ipſis autem interuallis remedia vſurpanda, quæ peculiariter vtero proſunt, & ſeminis vbertatem faciunt, quæ ſupra ſunt explicata in capite de impotentia ad Venerem. Huc pertinent ſatyriones conditi, radix paſtinacæ, eryngij conditi, cæpe, porrorum, & raparum. Quod ſi forte vna cũ frigida vteri adſit calida iecoris & renum intemperies cum phlegmagogis cholagoga miſcenda,

neque calfaciens victus ratio inſtituenda, ſed temperata, quæ nec iecori nec vtero obſit. Topicis iecur & renes refrigerandi, ſolus verò vterus tum internis per pudendum adhibitis, tum externis extrinſecus calfaciendus: hac tamen cautione adhabita ne nimio calore viſceribus calidis noceatur. Calida intemperies cum ſterilitatis cauſſa eſt ſi toti corpori ſit communis, refrigerans victus præſcribendus. Balneum tepidum ex decocto emollientium ſine ſudorum profuſione ſæpè adeundum. Vena etiam ſecanda & medicamentis tum initio ſumptis, tum extrinſecus adhibitis refrigerandus totius corporis & vteri ardor. Quod ſi forte ſiccitas in cauſa eſt, aut menſium ſuppreſſio, vel inordinata & immodica eorum profuſio, contracta ob anguſtiam vaſorum ad vterum pertinentium. Frequens debet eſſe balnei vſus, vt dilatentur venæ. Menſes etiam ſuprapoſitis remediis ciendi. Sin aliquis vteri tumor, aut iecoris vel lienis affectus huius ſymptomatis ſit cauſſa, eadem conuenit curatio, quæ in particulari eorum affectuum curatione à nobis tradita eſt.

ABORTVS.

ABortus multæ ſunt cauſſæ; immoderata ſanguinis copia vteri venas reſerans, aut fœtum intrò ſuffocans, vel eiuſdem ſanguinis acrimonia, vnde orificiis venarum apertis magna vis ſanguinis effunditur, quam fœtus abortus conſequitur. Interdum ingens excrementorũ prouentus in prima regione corporis factus, ſic ventrem diſten-

diſtendit, vt fœtum ſtrangulet. Interdum & moleſta vomitione fit, vt compreſſo vteri fundo ab impetu vomendi fœtus deorſum pellatur. Aliàs nimia vteri humiditas in cauſa eſt ob quam fœtus retineri nequit. Quæ plus ſanguinis cumulant quàm fœtus in ſui alimoniam poſſit abſumere ſecta vena iuuantur. Secatur autem baſilica alterutra à 2. aut 3. menſe, detrahanturque ſanguinis ℥ vij. viij. ix. x. ſingulis ſectionibus præmiſſa primum leui catharſi, vt caſ. cathol. Aliis quibus non tanta ineſt copia, ſemel, aut bis ſanguinem miſiſſe ſat eſt 4. videlicet, & 7. geſtationis menſe. Satius autem ſemper fuerit cum præ plenitudine venarum periclitabitur fœtus, eam nacta occaſione, & cognito periculo ſecta vena minuere, quàm exſpectare dum natura ſeſe exoneret vel menſtrua purgatione, vel vomitione cruenta. Id enim non poteſt contingere citra maximum fœtus periculum. Quod ſi plethoricum ſit corpus, nulla præmittenda eſt purgatio. Sin verò cacochymum, danda eſt caſſia aut Rhab. in decocto accommodato maceratum. Neque verò vſquequaque verum eſt, quod ſcribit Hippocrates mulierem abortire ſanguine miſſo, niſi fortè id intelligat Hippocr. de mulieribus parum ſanguinis habentibus aut imbecillioribus. Nam experientia ſæpius comprobatum eſt, & nos ſæpius vidimus mulieres plethoricas, quæ frequenter abortiebant, ſanguinis miſſione retinuiſſe fœtum vſque ad nonum menſem. Alioquin ſi non mittatur, vel fit abortus apertis copia ſanguinis venarum orificiis, vel fœtus creſcit in

magnam molem, ob quam cum maximà difficultate in lucem prodibit. In talibus ergò maximè conuenit ſanguinis miſſio repetita, cum opus eſt à ſecundo, vel potius à quarto menſe ad ſeptimũ. His accedat tenuis victus ratio. Iam verò ſi ab impuritate ſanguinis maius, quàm à copia immineat periculum phlebotomia quoque conducibilis, ſed parcius mittendus ſanguis, cum præcipuum curationis caput ſit frequenti, ſed blando cathartico ſuperuacanea corporis excrementa in prima regione collecta, atque etiam ſanguini in venis mixta detrahere. His conuenit caſſia bis in menſe repetita, infuſio Rhabarbari & cathol. in decocto accommodato Iuſculum laxatiuum comparatum ex fol. ſen. Doſ. ſyrup. magiſtral. aut quid ſimile. Victus refrigeret, incraſſet, & temperet humorum acrimoniam. Eadem arte omnibus ferè ſymptomatis ab impuritate humorum profectis, quibus grauidæ admodum infeſtari ſolent occurrendum. Quod ſi ob nimiam vteri humiditatem, lubricitatem & laxitatem fiat abortus, ante conceptum purgari debet, ſudores in æſtuario mouendi ſuffitibus & ſimilibus exſiccari. cum verò conceperint vſu Rhabarb. puluеriſati, admodum iuuantur. quemadmodum etiam adſtringentibus oleis admotis lumbis & imo ventri, aut emplaſt. deſiccatiuum rubrum, & contra rupturam malaxatis ſimul cum oleo myrtill. addito pul. bol, armen. ſang. dracon. maſtich. & ſimilibus. Geſtetur illud Emplaſtrum integro menſe ante ſolitum abortiendi tempus & renouetur bis in menſe. Vterum eiuſq; vincula roborat, & impedit ne fœtus in

ris in inguina decumbat. Vulgus credit in lapide Aetite geſtato in collo magnam eſſe vim, ad fœtum retinendum in vtero. A quacunque autem cauſſa prodeat abortus, imperetur quies, tum animi, tum corporis, vitetur coitus, quia agitat totum vterum. Nam dum ſeſe vterus aperit ad comprehenſionem ſeminis cuius ſummo deſiderio afficitur, fœtum recentem, & nondum fermè adhærentem extra propellit. Quod ſi forte hac præcautione neglecta haimorrhagia tanta incidit, vt abortum minetur, admouenda ſunt & intro ſumenda remedia ſupra tradita ad immoderatam menſium purgationem. Fortè etiam conuenit ſecta in brachio vena ad reuulſionem.

Partvs difficvltas.

Partus difficultas vel à matre, vel ab infante prouenit. A matre cum eſt pinguior, iunior, ſenior, timidior, imbecillior, vndecunque imbecillitas fuerit contracta, aut cum orificium vteri collum habet anguſtius. Ab infante verò cum eſt imbecillior, grandior, craſſior, cum non naturaliter egreditur, vt ſi pedes primum proferat, vel ſi duplicatus in dorſum exeat, vel ſi obliquum alterutrum latus vel pronus ventrem primum exhibeat. Naturaliter verò prodit in lucem, ſi recta caput feratur manibus ſuper latera extenſis. Is enim naturæ ordo eſt, vt caput præcedat, ſequantur reliqui corporis partes. Talis enim partus minus laborioſus eſt. Caput enim rotundum minori cum dolore os vteri dilatat, viámque toti corpori facit.

Vt verò partus facilitetur, Obſtetrix quod ſui eſt officij exequi debet. Ipſa verò mater arctè contineat anhelitum, deſcendat, aſcendat, & violenter ſe commoueat. Sternutamentum ei prouocetur, induatur clyſteres acres, inguina, peritonæum, lumbi, & os ſacrum, coccix, & infimus venter oleis linimentis, & fotibus emollientibus, & relaxantibus illinatur. Quod ſi mater diuturno morbo laborauerit longè ante partum nutriatur alimentis euchymis & conſummatis vitellis ouorum vino aqua diluto & ſimilibus. Sin ſit timidior nec adhuc eum dolorem experta, bene ſperare iubeatur. Quod ſi difficultas partus proueniat ab imbecillitate infantis mater ſuis vſa viribus, compreſſione ſpiritus, & muſculorum abdominis, conetur eum foras propellere Sin ab egreſſu fœtus non naturali obſtetrix manu ol. amygdal. dul. illita infantem molliter in vuluam reducat, id procurans, vt rectè in caput naſcatur. Puerpera autem in ipſo partu non debet inniti ſuper os coccygis. Illud enim dilatari ad meatus pudendi amplificationem oportet, ideóque debent ſedere in cathedra perforata, vel brachiis inniti ſuper pedes lecti. Sic enim facilitatur partus. Interdum à partu detinentur ſecundinæ vel quod vtero adhuc per cotyledones adhæreant, vel quod circa aliquam vteri partem inſtar pilæ ſunt conuolutæ. Cum autem intro retinentur quæcunque cauſſa fuerit, non ſtatum nec violenter ſunt extrahendæ. Eadem verò remedia eas excutiunt quæ fœtum, id eſt, ſternutatio, compreſſio ſpiritus, & ſimi-

ſimilia, quibus ſi non excidant, obſtetrix manu oleo illita, & in vteri fundum immiſſa eis ad latera ductis tentet excutere, idq́ue non violenter ne dilacerentur venæ & arteriæ ſimulque vterus extra protrudatur. Quod ſi fortè vterus occluſus iam refrixit, fotus emolliens & relaxans adhibendus. Ad mortuum fœtum & ſecundinas educendas dentur potiones infra ſcriptæ in ingreſſu Balnei comparati ex aqua tepida in qua remollientia decoxerint. decoctum vel aqua fabrorum deſtillata, arthemiſiæ, aqua in qua ſemen lini ſit diſſolutum. Decoctum rad. rub. maior. arthemiſ. nepeth. ſem. lini, in quo diſſoluti ſint trochiſci de myrrha, caſſia, ſeu cinamomo, ſyr. de ſucco arthemiſiæ. Hydromel, in quo ℥. ß. pulueris ſabinæ, diſſoluatur pro quaq; doſi & ſimilia, quæ menſes potenter eliciunt.

RATIO REGENDARVM PVERPERARVM.

QVæ recenter peperit, caueat diligenter ne aërem frigidum intrò admittat in cauitatem vteri. Nam edito fœtu vterus vacuus & inanis facilè offenditur frigore, vnde ſuffocatio vteri, tormina, febres, lochiorum ſuppreſſio obſtructis orificiis cotyledonum. Habeat igitur crura decuſſatim collocata, vt

prohibeatur aditus aëri frigido. Lata faſcia ligetur infimus venter & ad reſtaurandas vires debilitatas à partu detur gelatina vel conſumata, vel vitellum oui, aut mica panis toſta immerſa in vino. Statim verò à partu, maximè ſi hyems ſit, toti ventri applicetur ſecundina, vel pellis arietina è viuo adhuc recens extracta. Occluduntur feneſtræ cubiculi & lecti velamina, verſetúrque in ſumma tum animi tum corporis tranquillitate. Sæpiſſimè vno aut altero die poſt partum ſuperueniunt atrociſſimæ ventris torſiones, quibus occurritur idonea victus ratione, quæ flatus cruditatis & acrimoniæ ſit expers; pellis veruecinæ cum primum editus eſt infans admotione, eiúſque ſi ita opus eſt repetitione. Huius enim calor noſtro affinis doloris cauſſam concoquit, mitificat, impedit ne cutis abdominis contrahatur in rugas. Proſunt & oleum amygdalarum dulcium recens extractum, Clyſteres ex lacte cum ſaccaro & vitellis ouorum. Inunctio ventris ex oleis calfacientibus, roborantibus, & flatus diſcutientibus, vt anethino, rutaceo, iaſmino. Cataplaſm. ex cumino floribus chamæmeli, meliloti, lacte, *vel ex fimo vaccino & milio torrefactis in ſartagine cum oleo nucum.* Fotus ex remollientibus & flatus diſcutientibus aqua & vino vel lacte coctis. Datur initio ℨ. j. dauci ex vino albo tepido. In vſu frequenti eſt aqua deſtillata è cinamomo in aq. vitæ infuſo, In primis verò octo diebus puerpera

pera inſtar eorum qui ſunt vulnerati tenuiter ali debet, ſequentibus dein plenius. Quod ſi incidat in febrem continuam aut in pleuritidem, aut inflammationem viſcerum, nunquam omittenda eſt venæ ſectio eáque ſi ex vſu ita ſit repetenda, *etiamſi lochia fluant*. Quæritur autem vtrum in puerperis dies critici ſupputari debeant ab hora partus, an potius ab hora incipientis febris. Sunt enim hac de re diſſentientes Medicorum opiniones, quorum contentionibus omiſſis dicimus diem decretorium computandum eſſe à die febris, non à die partus. Cui etiam ſententiæ fauere videtur Hippocrates ſectione 3. libro 1. de morbis popularibus. Quod ſi lochia eis ſupprimentur, prouocanda erunt remediis ſupradictis ad menſes ciendos. Sin immoderatè fluant, ita vt vires admodum debilitent, ſiſtenda erunt remediis ſupra explicatis. Sin vterus eis aut anus ex laborioſo partu procidat occurrendum erit remediis explicatis in particulari eorum affectuum curatione. Ad delendas rugas quibus infimus venter ſolet à partu defædari commendatur pellis arietina infimo ventri appoſita, & hic Litus.

℞. pinguedinem pedum arietinorum cum oſſibus contritis ad perfectam coctionem præbullitorum, axung. hirci, butyr. recent. ſpermatis ceti ana. ℥. ij. ſimul liqueſiant & colentur, & abluantur diutius in aqua roſarum.

Redundantia lactis laborant mulieres primis diebus poſt partum, maximè ſi ibi retineatur. Ex eius autem recentis ampliori copia mulier in maxima ſymptomata incurrit : inflammationem mammarum, grumeſcentiam lactis & moleſtias indicibiles, maximè cum vbera ita diſtenduntur, vt lac nequeant continere. Cum itaque multa mala propter lactis abundantiam naſcantur, tempeſtiuè occurrendum eſt, maximè cum puerperæ ob moleſtiam ablactare pueros nolunt. Occurritur autem vel per ea quæ lac intrò reuocant, vel quæ idem diſſipant, diſcutiunt, exſiccant, abſumunt. Liniantur ergo mammæ ter, quater in die ol. roſar. myrtill. & aceto roſar. ſimul mixtis, dein poſt litum ſuper aſpergitur puluis myrtillorum, poſt ſuperponitur Emplaſtrum conſtans ex repercutientibus, & adſtringentibus. *Limus qui inuenitur in fundo aluei eorum, qui ad molam cultros exacuunt mixtus cum oleo roſarum tepidè* admotus mammis ſedat dolorem, & breui lac fugat. Idem præſtat fæx aceti, cataplaſma ex nymphe. ſemper viu. & ſimilibus. Lac verò diſcutiunt & exſiccant oxycratum, in quo bullierint hedera terreſtris, vinca per vinca, ſaluia, apium, ruta, roſæ, & alumen rochæ, fæx vini rubri cum aceto miſta. Cataplaſma ex mentha, & abſinthio ſiccis, & radice chelidon. maioris, decoctis, tuſis, & per cribrum tranſmiſsis, addita farina fabarum, orobi, lupinorum cum oleo liliorum.

liliorum. Fotus ex fœniculo, apio, petroſelin. malu. althea, ſem. rutæ, agni caſti, quæ duo lac & ſemen conſumere putantur. Fiunt & fotus ex aceto tepido, in quo cancri fluuiatiles ſiccati fuerint macerati. Ad eundem affectum illinuntur mammæ populeo, cui cuminum miſtum ſit. Hic exſurgit quæſtio. An vbi mammæ dolent, lac ſit exſugendum. Aëtius id fieri vetat, quia, inquit ille, quanto magis exſugis, eo magis augetur, quod ſcilicet dolor ſponte trahat ſanguinem, vnde lac multiplicatur, cui niſi detur exitus, metus eſt ne concreſcat. Fit autem exſuctio duobus modis, vel inſtrumento quodam ad id fabricato, vel à lactantibus infantibus, vel à mulieribus. Interdum ob lactis copiam, vel eiuſdem inſtar caſei coagulationem inflammantur mammæ, id eſt tumore duro, calido & pulſatili corripiuntur. Pro cuius curatione ſi adſit plethora, & virium robur, vena ſecanda eſt. Nam vbi ſanguis abundat periculoſum eſt ne fluxiones augeantur magis. Statim verò ab initio refrigerantia & repercutientia adhibenda, non quidem valida, ne ab his materia in cor repellatur, ſed vel imbecilla, vel certè cum illis digerentia ſunt miſcenda. Commendatur poſca cum oleo roſato. Tranſacto verò principio videndum an tumor digeri an ſuppurari velit, an indurari. Diſcutit Cataplaſma ex remollientibus & digerẽtibus comparatum. Sin vergat ad ſuppurationẽ ex rad. altheæ, ſem. lini, fol. malu. & ſimilib. coctis, piſtatis, & cribro cretis, addito dein fermento & butyro. Adſceſſus factus rumpendus eſt vel ferro vel caute-

rio potentiali, dein vlcus incarnandum, cicatrizandum. Quod ſi ea inflammatio ſcirrhoſa euadat, confugiendum eſt ad ea, quæ emolliunt & attenuant. Accidit & plerunque vt lac à partu in mammis inſtar caſei coaguletur, vt etiam in grumos concreſcat. Quod ſi lac ſit caſeatum, apparent durities quædam latæ. Sin grumefactum apparent quidam grumi, & varia tubercula. Pro huius ſymptomatis curatione lac concretum diſſoluendum. Diſſoluitur attenuantibus, calfacientibus, ſiccantibus, vt fotibus comparatis ex ſem. fœnugræc. aniſi, apij, rutæ, floribus camomillæ, meliloti, radicibus altheæ, Eryngij, fœniculi, præbullitis in aqua & vino albo, addita ſexta parte aceti. Spongiæ imbuuntur eo decocto, & expreſſæ admouentur mammis. Muria quoque & acetum valdè commendantur, ad ℔ j. muriæ adduntur aceti ℥. ij. Quod ſi ſentiatur ardor in mammis, miſcenda ſunt cum prædictis refrigerantia, quibus ſi non diſſoluantur tumores, ſed ſuppurent, ſuppurantibus iuuanda eſt natura videlicet vnguento baſilico, Emplaſtr. diachyl. vel cataplaſmate ex rad. altheæ, liliorum, ficubus ad tabem in aqua decoctis. Additur deinde axungia porci inſulſa, butyrum recens. Pure facto aperiuntur illi tumores, dein pus detergetur, carne & cicatrice obducitur, vt in aliis vlceribus fieri ſolet. Interdum etiam in recens enixis lac deficit, vel in minori copia generatur, quàm ſufficiat nutritioni fœtus. Ad cuius prouocationem idonea victus ratio in primis eſt neceſſaria. Conueniunt ergo iuſcula ex carnibus euchymis com-

comparata, in quibus decoquitur beta, mentha, fœniculus, origanum, anethum. Pultes ex lacte, vitell. ouorum, carnes euchymæ, oziza parata cum ſaccaro. Amygdalæ ſaccaro incruſtatæ, ſemina melonum ſaccaro cooperta. Præterea ſanguis in mammas trahendus eſt, quod fit fricatione leui mammarum, cucurbitularum ſuper eaſdem appoſitione, citra ſcarificationem: Fotu earundem ex aqua tepida in qua verbena ſit cocta, & maximè frequenti ſuctu papillarum, quo vnico remedio ſæpè lac in mammas reuocatur. Interdum mammæ poſt partum indecoram magnitudinem aſſequuntur, quod accidit à colore magno & vbertate ſanguinis ad eas confluentis. Curatio completur per topica quæ refrigerant & adſtringunt. Nam hæc cum coanguſtent vaſa mammarum, & aditum ſanguini intercludant, intercipiunt ipſarum auctionem. Conueniunt ergo refrigerantia, repellentia ſupradicta ad copiam lactis minuendam. Cum detumuerunt mammæ flaccidæ factæ ſunt, ad eas indurandas, lutum quod reperitur in molis, quibus acuuntur gladij, ſuperponendum cum pauco aceto. Ad eundem effectum fit aqua deſtillata ex caryophylis, nuce moſchata, nuce cupreſſ. maſtich. alumin. toch. cort. querc. granatorum. Roſ. rub. terr. ſigill. ſang. dracon. conquaſſatis & maceratis per duos dies in aq. roſarum, & aceto roſaceo, hac aqua irrorentur lintea mammis applicanda, bis, ter, quater in die. Fit & cataplaſma ex farina hordei, gland. quercus, bol. arme. maceratis & coctis in aq. fabrorum. Vitetur autem ciborum flatulentorum vſus, vt caſtanearum, pi-

ſorum, fabarum, raparum, pomorum dulcium, vuarum & ſimilium. Sæpè in primo partu papillæ mammarum ſcinduntur, & præcipuè in mulieribus tenollis & delicatis: ad cuius ſymptomatis præcautionem foueantur mammæ aquis adſtringentibus, vt aqu. aluminoſa, vel aqua roſarum, plantag. & ſimilium. Sunt tamen qui præferunt remollientia, vt pomatam, lardum inſulſum, aut ceram nouam, cum oleo remollitam, quorum vſum continuant tribus menſibus ante generationem lactis.

DE ARTHRITIDE.

ARthritis eandem cauſſam habet, quam catarrhus, neque enim aliud eſt quam dolor articulorum à defluxione frigida in articulos per certa interualla decumbente. Eſt. n. frigida, vt etiam Fernelio viſum eſt, omnis arthritidis materia eaq; tenuis, quæ tamen dum in articulos delapſa eſt, ſi corpus ſit bilioſum, & ſanguineum dolore & diſtenſione è proximis venis calidam ferè fluxionem allicit. quod multis imponit exiſtimantibus aliam calidam eſſe, aliam frigidam deſtillationum materiam. Duo autem tempore in hoc affectu ſpectantur, alterum præcautionis doloris, alterum lenitionis eiuſdem. Ad eius præcautionem omnes cauſſæ quæ catarrhum generant, declinandæ, quales ſunt vini liberalior potus, Venus frequentior, paſtuum multiplicatio, longior ſomnus, vitia otioſa, potus copia, & eorum quæ corpus ſeroſis humoribus replent, vſus. In primis igitur frugaliter viuendum.

dum. Intemperantia enim arthritidis mater eſt. Pro potu vtendum eſt hydroſaccaro potiſſimum pomaceo, vino oligophoro, eóq; diluto. Cauendum à capitis & pedum perfrigeratione, & humectatione. Nocte caput velandum eſt, & mane pectine crebro detergendum. Exercitatio ſit moderata, vitentur Lunæ radij, & euaporatio, quæ ſole accidente in nos relabitur. Vere & Autumno quia eo tempore humores commoueri ſolent, purgandum corpus iis quæ ſeroſos humores euacuant. Quantum ad alterum ſcopum cum fluxio in articulos facta dolorem vehementiſſimum adfert; is eſt ſedandus & temperandus ardor, quod fit cataplaſmate è mica panis hordeati cocta in lacte addito ol. roſ. croco, & vitellis ouorum duorum. Litu è mucilag. ſem. pſyll. extracta in aqua plantag. ſolani, roſarum, cichorij, acetoſæ. Interdum doloris atrocitas vti cogit narcoticis. Sed metus eſt ne ab iis articulorum robur ſic diſſoluatur, vt fluxionibus in poſterum multo magis oppurtuni euadant. Cum autem impetus fluxionis erit remiſſus & ardor deferbuerit miſcenda cum repellentibus digerentia, vt puluis chamemæli, meliloti, mucilag. ſem. lini, fœnugræc. ol. chamomil. aneth. humore prorſu reſoluto in fine paroxyſmi. Ad confirmandos articulos ne ſimilem fluxionem recipiant, quidam adſtringente, & roborante Balſamo eoſdem articulos liniunt. Tanta eſt naturarum in hoc affectu particularium varietas, vt vix vllus arthriticus ſit, qui longa experientia edoctus proprium remedium ſibi non norit. Interim, æger

toto acceſſionis decurſu tenui victu vtatur, vino in totum abſtineat. Aluus niſi ſpontè fluat clyſteribus emollientibus ducenda eſt. Scapulis Emplaſtrum è pice nigra imponendum, ad reuulſionem humoris è capite per ſubcutaneas partes occipitis in articulos decumbentis. Fernelius incipiente paroxyſmo valdè purgat per hydragoga, quæ humoris fluere parati portionem per aluum detrahant. Verum metus eſt ne humor iam irritatus his magis commoueatur. Si fortè aliquis pituitoſus longiſſimos habet paroxyſmos, & poſt eorum ſolutionem pedum aut manuum œdematoſis tumoribus premitur, liberatur morbi longitudine & crudelitatibus omnibus, ſi Vere aut Autumno duodecim aut quindecim matutinis ſudores in vaporario excipiat, poſt hauſtum decocti guaiacini obſeruatis tamen obſeruandis. In bilioſis verò naturis attenuans victus, & ſudorum profuſio noxia eſt, quia humores noxios attenuant & magis calfaciunt, vnde in paroxyſmo atrociores ſentiuntur. Summa Arthritidis præcautio eſt in vini abſtinentia, vſu decocti guaiacini per omnem vitam, ſed maximè diluti, ita ad ℔ vj. aquæ ſit tantum ℥. j. guaiaci cum frugalitate vitæ, & omnibus iam expoſitis.

ISCHIAS.

ISchias Arthritidis ſpecies eſt, cui deſcripta curatio accommodari poteſt. Poſtulat tamen affectæ partis natura particularem animaduerſionem

ſionem. Neque enim refrigerantibus & repellentibus vtendum ne humor impellatur in coxæ acetabulum, *quæcunque hic proficiunt*. Cum primum ergo imminet Iſchias valida catharſi humoris influere parati pars detrahenda, ampla cucurbitula adhibenda cum ſcarificatu, vt foras humor eliciatur, ea ſublata fouendas pars fotu calfaciente & roborante. A fotu rurſum cucurbitula imponitur. Dein olea digerentia, qualia præſcripſimus in Paralyſi, illinuntur. Præterea Emplaſtrum ex alto euocans, quale etiam ibidem præſcriptum eſt; quibus remediis, ſi non ſedetur dolor, ſudores ſunt proliciendi vſu decocti guaiacini. Interim poſtquam ſudores eruperint pars rurſus fouebitur, linietur, & Emplaſtro obducetur; quibus peractis Cauterium potentiale parti affectæ admouebitur, & vlcus diu apertum tenebitur, vt natura per illud emiſſarium humorem morbi cauſſam ſenſim expurget.

FINIS.

FEBRIVM CVRANDARVM METHODVS.

FEBRIVM curationem tradituri, Fernelij ſententiam, qui intermittentium & continuarum cauſſas ſedibus diſiunxit, hypotheſis loco ſumemus. Intermittentium ergo focus eſt in ventriculo, inteſtinis, veſica fellis, venis & arteriis iecoris, lienis & meſenterij; Breuius in prima corporis regione. Continuarum verò in venis & arteriis maioribus, quæ ſecunda corporis regione continentur. Intermitttentium verò aliæ à bile flaua, aliæ à melancholia, nullæ ſi credamus Fernelio à pituita ſola Quæ à bile flaua, tertianæ ſunt omnes ſimplices aut duplices; quæ à melancholia quartanæ. Tanti autem momenti eſt anni tempus, vt melancholicus ſuccus Vere & principio Æſtatis vix vnquã quartanas, bilis etiam flaua ad Autumni finem, & hyemis principium vis tertianas ſed quarta-

quartanas proferat. Omnia enim excrementa Æſtate bileſcunt, Autumno verò & hyemis principio in melancholiam degenerant, hyeme in pituitam, quod febrium commutatio quæ per temporum viciſſitudines contingit, apertè demonſtrat. Nec enim alia ratione febris tertiana, quæ æſtate inuaſerit, accedente Autumno, in quartanam mutatur, quàm quod bilis flaua mutatur in melancholiam. Nec aliam ob cauſſam quartana, quæ Autumno, & toto Hyeme afflixerit, Vere in Tertianam mutatur, quàm quod malancholia incaleſcens bileſcat. Pituita venas obſtruens & bilis exitum prohibens diuturnitatis febris fit occaſio, ſed nunquam primaria eſt efficiens febris cauſſa, ſecus atque cenſuit Galen. quod nunquam bileſcat. Poteſt tamen in melancholiam degenerare & quartanas facere, cum illa enim frigiditate ſua conſentit. Febrium verò intermittentium cura eſt tanti momenti, vt ea neglecta, niſi naturæ beneficio criticè ſoluantur, in longiſſimum tempus protrahantur, & in varios morbos, aut acutos, aut diuturnos, degenerent, aut colicis doloribus quàm atrociſſimis finiantur, quos in quibuſdam excipit paralyſis brachiorum & crurum, ea tamen imperfecta, quâ illæſo ſenſu motus perimitur. Illarum verò criſis alia eſt ſingularum acceſſionum, alia totius morbi. Acceſſiones ſingulæ ſudoribus optimè finiuntur. interdum ſed imperfectè inſenſibili tranſpiratione. Imperfectè & interdum judicantur papulis labiorum. Sæpè initiis acceſſionum vomitiones vrgent, quæ licet humore

omni

multo detracto naturam exonerent, non tamen criticè ſed ſymptomaticè fiunt, neque morbum rectè iudicant. Vt enim continuarum febrium initiis, cum cruda ſunt omnia, vacuationes omnes non naturæ vi, ſed morbi potius impetu, & ſymptomaticè contingunt. Sic quæ per initia acceſſionum febrium intermittentium contingunt, turgentis materiæ acrimonia naturam irritante, proprióque morbi impetu, non ſolius naturæ victricis robore fiunt. Febres verò perfectè iudicantur ſolo alui profluuio bilioſo. Cum enim ipſarum focus ſit vel in cyſti fellis, vel in meſenterio, vel in liene, etiamſi quæ ſingulis acceſſionibus ex eo effertur exhalatio in habitum corporis irrepens, vel ſudoribus vel inſenſibili tranſpiratu, vel papulis expurgetur; manet tamen craſſamentum, quod niſi beneficio naturæ vel medicamentorum per aluum expurgetur, obſtructionum contumacium, icteri, & ſi illinc in abdominis membranas effundatur, ſæuiſſimorum ventris cruciatuum cauſſa eſſe ſolet. Qui igitur conualeſcunt à febre intermittente nulla excretione bilioſa per aluum facta; hi ſciant craſſiorem humoris partem in præcordiis ſtabulari, eámque medicamentis accommodatis detrahant, ne fiat recidiua. Sola enim ſpontanea aut arte facta bilioſorum deiectio à febris reuerſione liberat. Sunt autem febres intermittentes longiores, aut breuiores pro varia viſcerum, humoris dominantis, & anni temporum conſtitutione. Sunt enim longiores & contumaciores: ſi praua adſit iecoris aut lienis affectio, Si corpus abundet humo-

humoribus melancholicis aut pituitoſis, Si autumnus aut Hyems adſit, ſi æger copioſo alimento ſe ſuſtineat, ſi potu multo calorem opprimat. Contra verò breuiores ſunt, & ſecuriores, ſi bonus ſit totius corporis habitus, ſi viſcera bene ſint affecta, ſit Ver aut Aeſtas adſit, ſi æger inediam ferat aut parcè bibat. Vt enim minima febris intermittens in prauo corporis habitu breui vel exaſperatur, vel putredine ſanguinis in venis maioribus contenti inuadente in continuam degenerat. Sic in bene habitis ſæuiſſima febris intermittens breui vel miteſcit, vel in motu euaneſcit. His generaliter præmiſſis particularis cuiuſque febris curatio adeunda initio facto à febre Tertiana intermittente.

CVRATIO TERTIANÆ INTERMITTENTIS.

I. Legitim.

TErtianæ intermittentis curatio duplicem habet indicationem, alteram quæ à febre, alteram quæ à cauſſa ſumitur. Febris humectationem & refrigerationem requirit. Cauſſa euacuationem demonſtrat, quam debet præcedere illius præparatio, concoctio, & viarum per quas debet fluere apertio. Ergo huius remedia ſunt victus humectans & refrigerans. Purgatio leniens & humectans, præparatio purgandi humoris per

aperientia, humectantia, & refrigerantia, & eius acrimoniam obtundentia. Venæſectio, vomitio, ſudorum prouocatio & ſymptomatum, quæ febrem ſequi ſolent, lenitio. Quorum omnium remediorum hic eſt vtendi modus.

Prima acceſſio blanda cum ſit, nulla remedia poſtulat, tantum à cibo abſtinentiam dum prorſus quieuerit. Et ſi vrget ſitis potione refrigerante & bilis feruorem obtundente temperanda, vt ex ſucco limonum & violarum, cum ſextuplo ptiſanæ aut decocto hordei ſolo vel hydroſaccaro ex aquæ coctæ ℔. iiij ſaccari ℔. j. quibus interdum additur aceti tantillum; ita tamen vt quo maior ſit calor minus ſaccari immiſcendum, vel iulepo alexand. qui fit ex aq. fontan. aq. roſar. ſaccar. & ſucco limon. aut pomaceo ſecundario, aut ſero lactis. Sunt qui vtuntur decocto cichorij & hordei, liquiritia, aut ſaccaro dulcorato, quod bilis ardorem compeſcit, & obſtructiones ſoluit. Sub finem acceſſionis indatur enema, cuius talis ſit formula.

℞. Seri ℔. j. diſſol. cathol. & looch de caſſia ana. ℥. ß. mellis roſacei ℥ iij. (melle ſimplici quod in bilē vertitur abſtinendū) vel ſic. ℞. Maluæ, violar. parietar. plantag. chamomel. melilot. ana. M. j. rad. altheæ, liliorum, ſeminis lini ana. ℥. ß. ſeminis fœniculi ʒ. ij. fiat decoctio ad. ℔. j. diſſolue cathol. ℥. j. ß. mellis roſat. ℥. iij. Olea quibus pharmacopolæ vtuntur facilè calorem & putredinem concipiunt, ideóque quidam in omnibus febribus ab his abſtinent. Reddito Clyſtere ſorbitio refrigerans & humeſtans, & iius pulli,

ius pulli, aut carnis vitulinæ alteratum cum la-ctuca, portulac. oxalid. & ſimilibus exhibeatur. Eſt enim in febribus tertianis, vt etiam omnibus aliis intermittentibus, cibo locus extra acceſſio-nem, ea ſcilicet inclinante, & 4. aut 5. horis ante alterius inuaſionem, vt dum inani ventriculo fe-bris corripit, ipſa minus negotij faceſſat. Id con-ſuluit Hippoc. aph. 2. ſect. 1. In acceſſionibus, in-quit, cibo abſtinere oportet, ſiquidem cibum dare nocet. Natura enim, vt docet Galenus in hunc aphor. noui cibi concoctione auocatur à concoctione humorum morbificorum. Adde quod in ipſa concoctione ſuſcitatus calor mor-bum ſæpè exaſperat, cum in ipſa febris excam-deſcentia tetro vapore vniuerſum corpus per-funditur, recénſque ſumptus cibus labefactatur, & maxima ex parte corrumpitur. Quod tamen ita accipiendum eſt, modo acceſſio non tam longa ſit, vt vires ægri ad tempus ſufficere ne-queant. quod ſi æger ob imbecillitatem deficere cernitur, nullo non acceſſionis tempore erit alendus: ſed minore periculo aletur deſinente, quàm incipiente febre, & decreſcente quàm vi-gente.

Secunda acceſſio grauioribus ſymptomatis co-mitata eſt; quibus quomodo ſit occurrendum dicemus alibi. In ea autem nihil tentandum eſt. Poterit tantum acceſſionis feruore ad ardorem leniendum hepati admoueri Epithema ex aqua-rum cichorij, roſarum, plantag. ana. ℥. iiij. aceti roſ. ℥. ij. camphor. ʒ ß. pulu. elect. triaſantal. ℥. ij. Vide tamen ne hæ aquæ hepati inſideant, dum

imminet ſudor, eius enim eductionem inhiberent, qui ſi ſponte erumpat operimentis mediocribus excipiendus, & niſi præcordia multa potu turgeant iulepo aliquo iuuandus, cuiuſmodi eſt ſyr. capill. ven. & limonum cum aqua cocta, aut ſi nulla phlogoſeos viſcerum ſuſpicio, vino albo tenui quam dilutiſſimo. id enim ſudores, & vrinas mouet. Quod ſi beneficio naturæ non erumpat, non eſt aut multis veſtibus, aut aliis calorificis admotis ante quartam acceſſionem prouocandus. Inter ſecundam & tertiam acceſſionem vena ſecanda eſt præmiſſo prius Clyſtere, ſi aluus ſit tardior. licet enim de continente febris materia, quæ eſt in prima corporis regione nihil tollatur, quod tamen eius portio, & ab ea elati vapores in venas maiores effundantur, quæ ſanguinem in venis contentum corrumpunt, vtiliter ſecatur vena, maximè ſi adſit ſanguinis copia, & ſymptomata febris grauiſſimè infeſtant Qui de Cautelis Medicorum libros ediderunt ante quartam acceſſionem abſtinent à phlebotomia, quod plerumque tertia aut quarta acceſſio morbi vigor ſit, quo maximè tempore omnia exacerbari ſolent. Metuunt enim ne quæ caloris inſiti turgentem humorum concoquentis robore ſit perturbatio, ſanguinis miſſioni prægreſſæ abſcribatur. Sed legitimæ curationis ordinem ob vulgi maledicta & calumnias peruertere nefas. Prędicenda potius morbi exaſperatio multò maior futura, niſi ſanguis miſſus fuerit. Mittetur autem è baſilica lateris magis dolentis, idque vel intermiſſionis die, vel potius die paroxyſmi.

nec

nec quidem hora eius, ſed 4. aut 5. horis ante eius inuaſionem. Cautio tamen adhibenda, nec vacuatione immodica diſſolutæ vires ſuccedentis exacerbationis impetum ægrius perferant.

Tertia acceſſio ſæpè vehementiſſimis ſymptomatis comitata eſt, quæ lenientur iis remediis quæ poſtea adferentur. Inter tertiam & quartam acceſsionem, niſi primo miſſus eſt ſanguis, vtiliter demitur. Aut ſi miſſus eſt, catharticum leniendo & refrigerando purgans datur, vel forma boli, aut potius. ℞. Caſsiæ recenter extractæ ℥. j. ſemin. melon. mundat. contuſ. ʒ. j. fiat bolus detur die intermiſsionis. Vel ℞. rad. cichor. oxalid. gramin. inaſparag. ana. ℥. ß. fol. endiu. ſcariol. pimpinell. capillarium, florum cordial. ana. p. j. ſeminis melon. mundat. ʒ. j. fiat decoctio pro vna doſi. Infunde in vna parte fol. ſen. mundat. ℥. ß. caryophyll. ʒ. ß. in altera Rhabarb. opt. ʒ. ij. cinamom. ʒ. ß. in expreſſo diſſolue ſyr. capill. ven. ℥. ß. fiat doſis. Syrup. roſ. pallid. etiamſi mitis ſit & gratus, quia tamen ſola ſeroſa excrementa detrahit, nullum locum habere debet in bilioſis febribus, niſi ſeroſo humore æger ſcateat. Alioquin detracto ſero bilis fræno, ſitis ardor & ſiccitas magis efferantur. Adde quod benignorum medicamentorum actionem ſic præcipitat, vt ea fine ſuo fruſtretur.

Sed nec admitti debet hiera ſimplex, quia humores, maximéque bilem acrius accendit; febrémque bilioſam illota aloë ſuſcitat. Abſtinendum verò à ſcammoniatis, vt & diacarthamo elect. de ſucco roſarum, aliiſque validis & malignis medicamentis ob eandem cauſſam.

Quarta acceſſio huius morbi vigor eſt, horrenda ſæpè habens ſymptomata, quibus occurremus iis remediis, quæ poſtea dicentur. Poſtridie acceſſionis quartæ, ſi vel venæſectio, vel purgatio omiſſa fuerit rectè alterutra inſtituetur, quæ magis conuenire videtur. Poſt tertiam & quartam acceſſionem ſi ſudores naturæ beneficio non erumpant, prouocabuntur ſudorificis, quæ calida exhibentur; ſic enim ad habitum corporis celerius diſtribuentur. Quod ſi ſingulæ acceſſiones ſudoribus ſoluantur & vrinæ ſanis proximæ ſint, nec ſanguis detractus valdè putris appareat, ſpes eſt acceſſione ſeptima febrem ſolutum iri. Sin contrarta adſint, longum tempus protrahetur, maximè ſi Autumnus proximus ſit. Si poſt quartam acceſſionem continuat febris, repeti poterit venæſectio, vt prohibeatur ne putreſcant humores in venis maioribus contenti, vnde fieret tranſitus in continuam. Quæ remedia ſi ante qnartam acceſſionem neglecta fuerint poſt eam (Quinta) his vtendum. Poſt ſextam acceſſionem apozema inſtituatur, quod leniendo, refrigerando, aperiendo, & concoquendo morbi materiam ſubtrahat. ℞. rad. cichorii ℥. ij. rad. graminis, acetoſæ, ana. ℥. j rad. petroſel. fœniculi in aceto macerat. ana. ℥. ß. capillar. omnium, bugloſſ. borragin. hyſſop. agrimon. hepaticæ, ana. M.j. ſem. 4. frig. maior. ℥.ß. flor. trium cordial. ana. p. j. fiat decoctio ad tres doſes. Infunde fol. ſen. mund. ℥.ij. garyophyll. ʒ. ij. agar. albi ℥. ß. zinziber ʒ. ß. Rhei ℥. ß. cinamom. ʒ. ß, in expreſſo diſſolu. ſyrup. de cichor. ſimpl.

ſimpl. ℥.ij. fiat Apozema clar. aromat. ʒ.j. ſantal. citrin. liceet autem tertiana ſoluta ſit, nihilominus tamen æger ſi non contigerit ſpontaneum alui profluuium, purgetur hoc Apozemate metu recidiuæ. Licet enim ſudore, aut inſenſibili tranſpiratione finita ſit hæc febris, craſſior tamen bilis in præcordiis remanens, niſi naturæ beneficio prorumpat, recidiuum morbum facit. Si ſeptima acceſſione febris non quieſcat, & nauſea fatiget, æger initio acceſſionis ad vomitum prouocetur, maximè ſi facilè vomat, nec habeat thoracem anguſtum, pulmonem imbecillum, collum gracile, nec vnquam ſanguinem vomuerit aut ſpuerit. Ad ciendum vomitum datur oleum cum vino albo, aut cum aqua tepida miſtum, ita vt ad ℥. vj. liquoris ſint ℥. iij. olei. Datur etiam butyrum colliquatum aut ʒ.j. rad. aſari pulueriſati diſſoluti cum ℥.vj vini albi aut ſerum lactis in quo decem aſari folia fuerint infuſa. Vulgus oui crudi luteum in ℥.iij. omphacij diſſoluit, dátque initio acceſſionis. Sunt & qui butyri ſaliti muriam propinant, quæ tamen quia magno cruciatu vomitum ciet reiicienda eſt, & quia ſitim inducit, & calidam ſiccámque iecoris intemperiem exaſperat. Vt autem facilior conſequatur vomitus, dimidia hora ante vomitorij hauſtum ius pulli aut carnis vitulinæ hauriendum. Sunt qui lac iuri præferunt, quo noxiam vim vomitorij obtundi volunt. Quod ſi tardius vomitorium operetur, digitus gulæ immittatur, quàm altiſſimè fieri poterit, aut penna oleo illita fauces titillentur. Erit autem vtiliſſimum vomi-

torium, ſi ſine magno conatu ingentem bilis & pituitæ copiam detrahat. Quid ſi ſemel datum febrem non diſcuſſit, repeti poteſt interiectis præparantib. & purgantibus. Sunt tamen qui vel primis acceſſionibus vomitum propinant. Alij non niſi poſt quartam acceſſionem, quod ante id tempus humor adhuc crudus, & incenſus non facilè ſequatur medicamenti impetum. Hæc remedia Tertianam legitimam, & quæ ad eam proximè accedit, ſeptima aut octaua acceſſione profligant.

TERTIANAE NOTHAE.

QVæ verò diutius perſeuerat Notha exiſtit, non à bile ſimplici profecta, ſed à bilis permiſtione cum pituita, melancholia, & obſtructionib. natis ex his humoribus. Noſcuntur autem obſtructiones hypochondriorum tactu, colore faciei & aliis ſignis, tuncq; mutatis remediis, quę potentius aperiunt, & crudos humores concoquunt diligenter, qualia ſunt hæc. ℞. Radicis apij, petroſel. fœnicu. in aceto macerat. ana. ℥.j. rad. Enulæ campanæ ſiccæ ℥.ß. polypod. paſſul. liquirit. ana. ℥. vj. rad. cichor. ℥. ij fiat decoctio ad ℔. j. addēdo in fine capil. bugloſſ. borag. hyſſop. ana. M. j. flor. cordial. epithym. abſinth. vulg. ana. p. j. in colatura diſſol. ſyr. de ſcolopendr. ℥. iiij. capiat bis in die ante ſingulos pactus. Concoctus humor detrahatur Apozemate ex eadem materia parato, cum ℥. ij fol. ſen. & ℥. ß turpeth. Si tenſio ſit in pręcordiis, præſcribatur hic fotus emolliens,

liens, attenuans, & roborans. ℞. rad. altheæ, ſeminis lini, ana. ℥.ij. rad. cyperi, calam. aromat. rad. Enul. ſeminis fœnicul. ana. ℥.ß. fol. abſinth. agrimon. capill. ven. hyſſop. roſar. rubrar. chamemel. melilot. amenth. ana. M.j. fiant duo ſacculi, qui coquantur in aqua, addendo vini rubri quartam partẽ, & aceti roſat. ℥.ij. ne fotu iecur incaleſcat, & vt altius remediorum vim deducat. A fotu rurſus purgatio decernenda, quæ præparatum humorem eximat, atq; bis ſaltem in hebdomade repetenda, donec omnino ſit profligata febris, exhauſtáq; morbi ſentina. Victus interim attenuet, incidat, & in calore & frigore ſit temperatus. Cum iuſculis incoquatur petroſelinum, hyſſopus. Vinum detur album aut flauum cũ aqua temperatum. Iam verò ſi vltra 14. acceſſionem extendatur febris, cõſiderandus eſt faciei color, & totius corporis habitus, vt cognoſcamus num humor melancholicus aut pituitoſus ſit cum bile miſtus. Si melancholicus humor, color faciei fuſcus eſt, & nigricans & mores ad mærorem & mœſtitiam inclinant, & tactu percipitur in hypochondrio ſiniſtro tenſio & renixus. Hic præmiſſa curatione ſuprapoſita, miſſo ſcilicet ſanguine tanta copia, quantum venarum plenitudo poſtulat: repetitis ſæpius catharticis accommodatis: fouendum eſt, vtrumque hypochondrium, maximè ſiniſtrum, aqua & vino albo, in quo decoctæ ſint radic. petro. fœnic. cyper. enul. altheæ, ſeminis fœnic. aniſi, lini, fol. ſcolopend. agrimon. hyſſop. abſinth. origan. capil. ven. melilot. ment. camomil. Poſt fotum illinetur hypochondrium d. abſinth. cappar. camomil.

& ſimilibus tuncq; bibet ℥.iiij. apozematis com-
parati ex rad. Enul. foliis abſinth. & ſimilibus in
cuius ℔. j. diſſolu. ſyrup. biſantin. ℥. iiij. hic e-
nim ictero nigro, febrium diuturnarum reli-
quiis proprius eſt. Hæc dum fiunt tertio quo-
que die intermiſſionis, præparatus humor du-
cendus eſt purgatione comparata ex radicibus
& herbis hepaticis & ſpleneticis, cum quibus
decoquatur rad. Ellebori noſtratis nigri præ-
parati ℥.ß. pro quaque doſi. Sic autem præpara-
tur helleborus. Contunditur primum, dein
maceratur ſuper calidos cineres in aqua bu-
gloſſ. & roſarum cum quarta aceti parte, & nu-
cis moſchatæ momento, tandem igne lento fer-
uent dum liquor omnis ſit abſumptus. Laudat
hic Rondeletius Clyſteres, quibus tertio quoq;
die repetitis ſe non paucos curaſſe teſtatur. Vi-
ctus ratio in Tertiana notha, à bile & melancho-
lico ſucco miſtis, ab ea variat, quæ ob bilem re-
torridam inueteraſcit. Illic enim attenuantibus
mediocriter calfacientibus & humectantibus
alimentis vtendum, niſi quod ſæpè fit vt crudi-
tas, vel natiui caloris infirmitas, humectantia re-
jicienda hortetur. Hic verò vbi cauſſa eſt atrabi-
larius humor, humectantibus ſemper refrige-
rantia & mirificantia miſcenda ſunt. Niſi his
remediis intra 15. dies febris profligetur. Balnea
ex vſu ſunt, nihil enim æquè craſſum & contu-
macem concoquere humorem, emollire & at-
tenuare poteſt, atque Balnei vſus, diebus inter-
miſſionis repetitus, manè & ante cœnam. In in-
greſſu Balnei æger hauriat ℥. iiij. apozematis ex
abſinthio

abſinthio & rad. Enulæ, & quarto quoque intermiſſionis die purgans medicamentum repetetur, intermiſſo ea die Balneo. Quod ſi humor melancholicus ſit frigidus & terrenus, Balneum ſit tempore paulò calidius, in quo etiam leuiuſculus ſudor ſinetur effluere. At ſi atrabilarius eſt, tepidum duntaxat erit nullique ſudores promoueantur. Melancholicum enim humorem ad concoctionem calfacere, attenuare, & incidere oportet. Atrabilarium autem, à flaua bile gentium, humectare, temperare, mitificare, quod ſumma obſeruatione dignum eſt in morborum curatione. Si pituita, crudúſque humor cum bile redundans diuturnitatis febris tertianæ cauſa ſit, immoderatus præceſſit potus aquæ aut ptiſanæ, facies ſubpallida & ſubtumida, pedes quibuſdam veſperi tument, aliaque adſunt cruditatis & imbecillitatis natiui caloris argumenta. Victus ſit calfaciens & exſiccans parciſſimè bibendum. Pro potu vtendum vino tenui & oligophoro, quod per vrinas promptè ſecedit. Rondeletius hanc ptiſanam commendat. ℞. hordei mundati. quar. j. iuiub. paſſular. mundat. cicerum rub. ana. ℥. j. glycyrrhizæ mund. ℥. ß. fiat decoctio in aqua ad ℔. ij. Colatura transfundatur per manicam Hippoc. cum ℥. iiij. ſaccari, & ℥. ij. cinamomi. Abſtinendum à ſorbitionibus & liquidis omnibus, & ab elixis, ſi aſſis æger vti non poteſt. Hoc enim tenui ſiccante & calfaciente victu crudus humor concoquitur, attenuatur, & obſtructiones ſoluuntur, occultáque vel inſenſibili tranſpiratione affluunt, vel natiui caloris beneficio concocta in alimoniam cedunt. Intermiſſionum dieb. exer-

ceatur corpus, vt crudi ſucci concoquantur & attenuentur. Interim foueantur hypochondria hoc fotu. ℞. Calami odorati rad. Ireos florent. ſem. aniſ. fœnicul. cyper. enulæ, ana. ℥. j. fol. ſtœchad. beton. rutę, hyſſop. origani, anethi, chamamel. melilot. abſinth. vtriuſq; ana. M. j. fiant duo ſacculi, bulliant in vino albo pro fotu hypochõdrij, à fotu pars reſiccata illinatur ol. abſint. Fit etiam apozema ex rad. aperientib. rad. Enul. foliis abſinth. hyſſop. praſſij, meliſſ. arthemiſ. verben. agrimon. diſſoluitur ſyr. capill. ven. & de hyſſop. clarificatur & aromatiſatur cinamomo. Interim tertio, aut quarto quoque die intermiſſionis catharticum aliquod quod pituitam & bilem detrahat præſcribendum, ſolida potius quã liquida forma, ne nimius humor imbeciliori calori vim inferat. Non prius hic Balneum vſurpãdum, quàm tumores œdematoſi diſparuerint, redundánśq; cruda pituita cocta ſit. Tum enim ſi quid forte altius obduruit, quod nulla ratione emolliri, attenuari, & concoqui poteſt, Balneum ſuprapoſitum conducet tepido paulò calidius, citra tamen inſignem ſudorũ profuſionem. Prædicta curatio continuata (factis tamen interuallis, ne natura nimium fatigetur) omnem tertianam febrem, quæ à vitioſo humore orta eſt, exſtirpat. At quæ à praua quadam affectione viſceris alicuius, maximè verò iecoris aut meſenterij fouetur, communia plerumq; ſpernit remedia. Praua enim qualitas quæ in viſcere remanet humorem nouum quotidie accumulat, qui acceſſiones fouet. Sic ſæpè obſeruatum in multis, qui ſicco & ſquallido eſſent corporis habitu, & omnino

mino bilioſi, citra tenſionẽ viſcerum, & citra humoris copiam, tres, quatuórve mẽſes, calido prę-ſertim anni tẽpore, Tertianã afflixiſſe. Hic valida purgãria, valdè aperientia & calfacientia nocent, ſatiúq; refrigerãte & humectãte victu, & iulepis, apozematib. aut ſyrupis ſimili facultate prędit is, ſeruato tamen iecoris robore, affectionem prauã demulcere, & quem colligit humorẽ mollientib. Clyſterib. & Caſſia, cathol. ac ſimilib. lenientib. detrahere. Fotus tamẽ emollientes & roborantes iecori & meſenterio adhiberi poſſunt. Balnea etiã aquæ dulcis mirificè proſunt, quæ calidam & ſiccã viſcerũ affectionẽ delent & extinguunt, ſi in ea æger ſemel ipſius intermiſſionis die cõſiderat citra ſudorũ profuſionẽ. Quòd ſi his remediis per vnum aut alterum menſem cõtinuatis febris nõ cedat, cœli aut loci mutatio, ruſticatio, animi oblectatio & voluptas vndecumque capta ſæpè melius opitulãtur, videndúmq; ne diuturno remediorũ vſu partiũ naturaliũ robur diſſoluatur. Itaq; inſtituto idoneo victu maiora remedia intermittito, ſyrupo hepatico aluum bis térve in mẽſe ſoluere cõtentus, dũ recreatis naturę virib. morbũ repetita ſupra curatione funditus tollas.
Tertianas lõgas facit; tum pluuioſus aëris ſtatus diu perſeuerans, quia corpus excremẽtis frigidis replet, vnde conduplicantur obſtructiones; tum calida & ſicca viſcerum conſtitutio, quæ bilem efferat, & prauam quandam affectionem relinquit bili generandæ aptam, quæ materiam nouam quotidie ſuppeditat, donec praua illa qualitas fuerit extincta, quod in calidis & ſiccis ſqualloribus diu perſeuerantib. ſæpè animaduertitur.

Non prætermittenda ſunt remedia vulgaria, quę mulieres in primis acceſſionibus Tertianarum adhibere ſolent carpis. hæc enim ſi non proſunt, non nocent, modo non ſint cauſtica. Huc accedit quod vulgi opinionem explemus, quòd pleroſque his remediis ſanatos exiſtiment, qualia ſunt hæc. Sonchus, plantago, ſambucus. Teruntur cum ſale & aceto, & carpis alligantur. Sunt qui puluerem fuliginis ex furno & ſaluiam conquſam miſcent cum oui albo, & apponunt carpis. Alij eandem fuliginem cum alliis, cæpis, albo oui miſcent, acetum affundunt, admouent carpis. Radix ranunculi teritur & alligatur carpis, creditúrque ſua caliditate humorem morbificum foras trahere. vel accipitur folior. plantag. & chelidon. ana. M.j. tela aranear. ſem. vrticæ fuligo camini, & ſal commune cum aceto forti reducuntur ad formam Cataplaſmatis. Aliqui ſuccum plantaginis depuratum & epotum ad ℥.iiij. tertianam febrem ſanare volunt, ſi per horam ante acceſſionem ſumatur. Inter omnia vt ſcripſit Manardus, maximè excellit chamomilla vel intro ſumpta, vel extra admota, bibito eius decocto per vnam horam ante acceſſionem ad ℥.iiij. aut eius vice aqua ex ipſa herba cum flore per B.M. elicita. miſto ſi placet ſaccaro. Dioſcoridis etiam vnguento, quod ex araneis potiùs, quàm ex earum tela, cum oleo paratur, non inutiliter arteriæ manus iunguntur.

III. *Duplicis Tertianæ curatio.*

FEbris duplex Tertiana, quod ab eodem humore oritur, à quo Tertiana ſimplex, eadem ratio-

ratione victus, iiſdemque remediis quibus ſimplex tollitur. Exhibendorum remediorum ſi acceſſiones longæ ſint, & vna acceſſio occupet, priuſquam altera deſierit, quæ tunc dicitur per ſubintrantiam Continua, occaſio præceps eſt, ideóque cum ſeſe offert arripienda. Si qua ratione fieri poſſit catharticum, niſi ſubingrediantur acceſſiones, in fine acceſſionis porrigatur, vt antequam altera inuadat medicamenti actio ſit completa. Exempli cauſſa, ſi acceſſio quotidie inuadat hora ſeptima matutina, nec deſinat ante mediam noctem, ne recurrens ſequentis diei acceſſio inchoatam vacuationem, ſi ſerius exhibitum, ſupprimat. Cibo autem reficiendus æger inclinante acceſſione, 4. ſcilicet horis ante hauſtum medicamentum, ſed eo leui, qui facilè coqui & diſtribui queat. Præbendum eſt iuſculum tribus horis ab hauſto medicamento ante paroxyſmum. Quòd ſi antequam vna deſinat acceſſio alterius horror inuadat, vt ſæpe fit, ſtatim à vigore, acceſſionis cibo aut medicamento locus eſt. Pręſtat enim inclinante quàm incipiente morbo aut vigente, alterutrum moliri, ne obrepens frigus aut horror inchoatam medicamenti actionem intercipiat. Solent enim initio acceſſionum factæ vacuationes arte ſupprimi, & omnia foris intro confluere.

Cvratio Qvotidianæ.

Omnium febrium rariſſima, aut nulla eſt, quæ Quotidiana vocatur ex largiore pituita facta, quod pituita vix eam vſtione qualitatem conſequatur, quæ febris Eſſentiam com-

pleat. Sed cùm æger quotidie febricitat, duplex eſt Tertiana, id eſt, ſubeſt materia ſimilis ei, quæ tertio quoq; die acceſſiones facit, ſed adeo multa vt ſufficiat quotidianis exacerbationibus. Ideoq; iiſdem remediis ſimiliter vſurpatis atq; Tertiana curatur. Quod ſi quædam occurrat verè quotidiana, id eſt, genita ex pituita putreſcente, præſcribatur victus incidens, aperiens, attenuans, vt craſſus humor incidatur, & obſtructiones aperiantur, accõmodatus potius ad febris cauſſam, quàm ad febrẽ, quia ab ipſa cauſſa grauius periculum imminet. Conuenit vſus vini tenuis albi, rubri. Præparanda pituita decocto quinque rad. aperient. macerat. in vino albo, foliorũ maioran. hyſſop. ſalu. origan. calament. puleg. abſinth. ſyr. acetoſ. hyſſop. melle deſpumato. Præparata purgetur phlegmagogis. Quod ſi vrinæ rubeant, aliiſq; adſint mittẽdi ſanguinis ſcopi, vena ſecanda eſt. Interim roborandus eſt ventriculus, qui in hac febre grauiter affligitur, tũ intrò ſumptis, tum extra admotis. Admoueatur oleum maſtich. menthæ, de ſpica, abſynth. roſar. cydonior. myrtill. quibus miſceri poterunt pulueres cyperi, nucis moſchatæ, macis, garyophyl. cinamom. Admoueantur etiam ſacculi pleni herbis, radicibus & ſeminib. calfacientibus & diſcutientib. decocti in aqua & vino albo. Et ceratum ex cerat. ſtomachici Galeni, emplaſtri maſtich. ana. ℥. j. galangæ, cinamom. piperis ℥ j. ſubigantur omnia cum ol. abſinth. fiat Emplaſtrum ad formam ſcuti pro ſtomacho. Intro ſumuntur puluis aromatic. roſat. vel diambre, conſerua flor. ſtœchad. roriſmar. ſalu. cortex citri ſicci conditus, & ſimilia. In

lia. In diuturna quotidiana vacuato corpore datur horis duabus ante acceſſionem ʒ j. Theriacæ, vel mithridatij cum vino albo, vel cum decocto apij.

CVRATIO FEBRIVM ERRATICARVM.

FEbres erraticæ, ſeu vt Celſus conuertit, incertæ, aliis vagæ, nullum ſtatum tēpus, nec vllū acceſſionis & remiſſionis ordinē ſeruant. Cauſſa earum eſt humor diuerſi generis in variis infimi ventris partib. putreſcens, iſque magna ex parte melancholicus & pituitoſus. Ideò eos maximè corripiunt, qui crapulæ indulgent, ſalſis & aromatis cōditis humores torrent, aut frigidę potu, & fructuum vſu crudorū humorū copiam cōgerunt. Eadem remedia his conueniunt, quæ febri Quartanæ, aut Tertianæ nothæ, alterātia ſcilicet & purgātia viciſſim repetita, vt primarū venarum obſtructiones tollantur, adeóque morbi ſentina prorſus exhauriatur. Earum autē ideo maturāda curatio, quia degenerant in Quartanam, ſi Autumnus proximus ſit, in Tertianā verò, ſi Ver aut Aeſtas immineat. Interdum & in cōtinuam, humore è primis corporis ſedib. in venas maiores tranſlato. Quod ſi præparantibus purgantib. & venæſectione (ſi plethora inerat) opportunè adhibitis, nō cedant, Balneum vſurpandum, quod dumtaxat erit tepidum, ſi humor ad bilis retorridæ naturā accedat, paulò verò calidius & cum madoris perfuſione, ſi pituitæ & fœculentæ melancholiæ particeps eſt. Si quæ fortè febris duos,

tres, quatuórve dies exercet; ac poſtea totidem & plures dies intermittens nullis certis circuitibus eodem modo repetat, primæ ſentinæ ſedes è viſceribus eſt, è quibus tamen portio in venas maiores irrepens ac putreſcens febrem fouet dum diſcuſſa ſit ac tandem ſimilis è foco in venas rurſum effuſa recidiuum affectum proferat: Eadémque poſtulat remedia, quę illa Erratica, cuius acceſſio vnum duntaxat diem durat, niſi quod venæ ſectionem magis requirat, vt detrahatur humor, qui è prima regione in maiores venas irrepſit.

CVRATIO FEBRIS QVARTANÆ.

FEbris Quartana fit ab humore melancholico in Liene, meſenterio, & hypochondriis contento putrente. Cum autem duplex ſit melancholicus humor: alius veluti ſanguinis limus, fæci vinorum craſſorum proportione reſpondens, temperamento frigidus, qui propriè melancholicus humor dicitur. Alter verò multò tenuior, temperamento calidus, genitus vel ex ſanguinis fæce, vel ex flaua bile, vel ex pituita ſalſa, multam bilem flauam admixtam habente, qui propriè atrabilis dicitur. Ideóque duplex Quartana ſtatuenda eſt; vna genita ab humore melancholico frigido, vi ignei caloris torrefacto, quæ vera ſeu legitima, ſeu exquiſita Quartana vocatur. Altera ab humore atrabilario, quæ notha ſeu illegitima ſeu ſpuria Quartana appellatur. In magno igitur errore verſantur, qui vnam tantum Quartanæ cauſſam agnoſcunt, nempe melancholicum humorem frigidum & ſiccum,

ſiccum, adeoq; quamlibet Quartanam, non niſi calidiſſimis medicamentis curant. Quæ vt fortè conueniunt ei Quartanæ, quę fit ab humore melancholico frigido, ſic plurimum nocent ei, quæ fit ab humore calido & atrabilario. His enim calidis Quartana ab humore atrabilario genita ex ſimplici duplex, triplex, & interdum continua reddita. Vna verò ſic dignoſcitur ab altera, quod exquiſita primò & per ſe, nulla alia febre antegreſſa, corripit, eóſq; potiſſimum, in quibus melancholicus humor redundat. Notha verò nunquam ab initio, ſeu ex ſe ipſa, prehendit, ſed aliis febrib. ſolet ſuccedere, continuis vel intermittẽtibus non integrè ſolutis, quarum cauſſa intus remanens aduſtione atræ bilis naturam ſubit & putrens ſubiecta fit quartanæ materia: ſequitur etiam ſæpè febres erraticas. Habet præterea multa ſigna cum Tertiana febre coniuncta, quia fiat à flaua bile admiſta cum humore melancholico, adeóque ſymptomata profert vehementiora, quàm exquiſita, ſitim maiorem, flauiores vrinas, caloris æſtum acriorem, & inquietem vehementiorem. Adde quod in ea poſtridie acceſſionis æger ſe malè habet, nec bene appetit, nec ſine inſomniis dormit, ſentitque laſſitudinem ob reliqua veſtigia caloris quod in exquiſita nõ fit, quia quicquid in eius acceſſione melancholici humoris accenſum prorſus vacuatur ac diſcutitur. Notha Quartana minus diuturna eſt, ſed moleſtior quàm exquiſita, & multò facilius in duplicem, triplicem, & continuam degenerat, cùm imprudenter tractatur humor, id eſt, cum immodicè calfacientibus irritatur. Cum ergo duo ſint

Quartanæ à diuerſo humore genitæ, eæ quoque diuerſa remedia poſtulāt. diuerſitas enim cauſſæ diuerſitatem curationis indicat. Agemus autem primùm de cura Quartanæ illegitimę, quæ à bile flaua, & retorrida originē habet, Illa cum à bile flaua retorrida generationē ſuam habet eandem curationē recipit per initia, atq; Tertiana notha à bile in melancholiam inclinante. Itaque victus non vt in exquiſita Tertiana valdè humidus, & multū refrigerans, nec vt in Quartana à melancholico ſucco valdè ſiccās & calfaciens, ſed temperatus eſto, qui tēperato calore calorem inſitū foueat, & bilem vſtione torrefactam nō reſiccet. Humidior enim melancholiæ concretionem ob nimium humorē præpedit. Calidior bilem retorridam addito nouo calore magis accendit. Sorbitiones igitur & iuſcula conceduntur, ex decocto carnium euchymarum, ſed parua quantitate, quib. ſuccus citrij aut arātij miſceri poterit, & his etiam ſuccis carnes conditi quib. æger nutriatur. Vinū etiam conuenit, ſed bene dilutum, vt & pomaceum non quidē dulce, ſed bene defœcatum. Tale enim bilem retorridā apprimè humectat. Bibat tamen æger mediocriter. Nam potus copia calorē opprimeret. Acetū conuenit ad præſentis incendij extinctionē, & appetentiam excitādam. Vitentur omnia ſalſamenta, calida & acria ob cauſſam prædictā. Sommus extra paroxyſmum diuturnior omni ex parte iuuat. Interim præparetur & conquatur humor, iis quæ bilis flauæ ardorem contēperant, & atram bilis perniciem domant, & obſtructiones viſcerum auferunt, quæ dabuntur vel Iulepi vel Apozematis forma, cuius hoc ſit paradeigma.

℞. aqua

℞. aquarum ſtillatitiarum viol. bugloſſ. borag. ana. ℥.ij. ſucci malorum curtipendulorum. ℥.iij. ſyrup. capill. ven. ℥.iiij. fiat Iulep.

℞. rad. bugloſſ. polypod. cort. rad. cappar. & Tamariſ. ana. ℥.ß. rad. cichor. oxalid. oxylapath. ana ℥.j. rad. enul. cãpan. glycyrrhiz. paſſul. mund. iuiubar. ana. ℥.ß. fol. meliſſ. ſcolopendr. agrimon. beton. capillarium, ana. M.j. abſynth. M.ß. ſem. 4. frigidor. maior. ℥.ß florum trium cordial. ana. p.j. fiat decoctio ad ℔.j. in colatura diſſolu. ſyrup. violat. & capill. vener. ana. ℥.ij. fiat Apozema clarificat. & aromatizat. ℥.j.ß. tria ſantal. Conuenit etiam ſyr. Saporis aut Byſantinus in cuius vicem hic ſubſtituetur. ℞. Succorum depuratorum borag. bugloſſ. pomorum curtipendulorum, ana. ℔.ß. ſucci acetoſ. ℥.vj. ſaccari albi ℔.j. fiat ſyrup. arom. ℥.j. ſantal. citrin. ligni aloës. ℥.ij. addi poterunt aceti roſacei ℥.iij. capiat ℥.ij. cum ℥.vj. decocti capillarium, bugloſſ. boraginis. Corpore ita præparato detur purgatio pridie potius purgationis quam poſtridie bis ſaltem in hebdomade. Poſtridie verò acceſſionis humor præparetur. Sanguis interim detrahatur, è baſilica dextra, ſi iecur originem dederit, ſiniſtra verò, ſi manifeſta tenſio occurrat in hypochondrio ſiniſtro, vel etiam vtraque ſi ſanguinis corruptela & plenitudo poſtulent, vbi feruor humoris remiſerit (remittit autem cum bilis atra à flaua genita in melancholici humoris naturam faceſſit) niſi deſcripta remedia ſatis ſint. Magno profectu admouebuntur vomitoria, quæ propria febris Quartanæ ſunt remedia, maximè in iis naturis, quibus iecur & lien ſe in

ventriculum exonerant, & nauſeam aut vomitionem acceſſionum initiis incitant. In id dabitur puluis Aſari ad ʒ.j. diſſolutus cum vino albo, ea tamen cautio adhibenda eſt, vt ſi ſemel datum vomitorium febrem non ademit, ſemel in hebdomade repetatur interiecta præparatione & purgatione. Si ne ſic quidem febris contumax conquieſcat, vel in foco prauam quandam qualitatem impreſſam eſſe veriſimile eſt, quæ acceſſioni materiam ſuppeditet, vel humorem quempiam valdè impactum, quem citra diligentem præparationem reuellere non liceat: hic conferet fotus emolliens, attenuans, roborans, vtrique viſceri adhibitus ex rad. altheæ, liliorum, ſemin. lini, rad. Enulæ, cyperi, fol. malu. biſmalu. parietar. chamomel. melilot. aneth. bugloſſ. borrag. pimpinell. abſinth. origan. ſem. aniſ. fœnicul. & ſimilibus decoctis in aq. & vino albo. Dein litus ex oleo liliorum, chamomel. roſarum, irini, abſinthini, cum cottone aut lana ſuccida; multóque magis Balneum aquæ dulcis, in quo emollientia, & leniter digerentia fuerint incocta, præſertim in ſiccis & calidis naturis. Hoc enim viſcerum & bilis atræ ſiccitatem temperat, feruorem obtundit, malignitatem domat, dura emollit, purgationis vias reſerat & relaxat, & crudos humores concoquit. Purgato igitur corpore, diebus intermiſſionis manè & ante cœnam, æger in Balneum deſcendet, in eóque deſidebit horam vnam, nulla aut quàm minima ſudorum profuſione, ne detracto ſudoribus ſero atræ bilis craſſamentum in viſceribus reſtitet. In ingreſſu Balnei præparantia

rantia haurienda, inter quæ primas tenet decoctum è rad. enulæ & fol. abſinth. Hoc enim omnibus contumacibus humoribus præparandis aptiſſimum & accommodatiſſimum. Accedat deinde eorum humorum vacuatio ex interuallis repetita, aliâs ſupra, aliâs infra. Qui à retorrida bile in Quartanam incidunt ſi calido & ſicco victu vtantur, vt vino generoſo, muſcatellino, hyppocratico, piperatis aut etiam calidis remediis, vt Mithridatio, Theriaca, hi viſcera interdum ita torrent & exſiccant, vt non rarò elephantici euadant.

CVRATIO FEBRIS QVARTANAE *ſucco Melancholico.*

At verò Quartana febris à ſucco Melancholico, qui veluti ſanguinis fæx eſt, & limus, genita, curationem planè diuerſam poſtulat. Nam cum frigidus ſit humor, vt concoquatur, calefieri deſiderat. Itaque hic calida & ſicca victus ratione opus eſt. Maior enim indicationis vis ab humore, quàm à febre, quæ refrigerari & humectari vult, ſumitur, quia ſcilicet in hac febre mediocris calor viget, & longa adeſt, duorum ſcilicet dierum, intermiſſio. Humor autem, febris cauſſa, craſſitie & frigiditate vires premit, viſcerúmque temperiem lædit. Præcipuum ergo Medici conſilium ad cauſſam morbi dirigitur. Ea igitur in primis proba victus ratione oppugnetur, in qua maxima curationis

quartanæ pars conſiſtit, contra quam vulgus pu-
tat, cui perſuaſum eſt nullo cibo aut potu quar-
tanariis abſtinendum. Abſtineat ergo quarta-
narius ab omnibus humectantibus, vt à copio-
ſiore aquæ, ptiſanæ, pomacei, aut alterius cuiuſli-
bet potus vſu, à multis ſorbitionibus, à fructibus
crudis, cucumeribus, melonibus, ab aceto, om-
phacio, aliiſque omnibus acidis, quia facillimè
in humorem melancholicum vertuntur; quam-
uis quidam ea commendant, quòd craſſum hu-
morem incidant & attenuent. Ab omnibus cibis
craſſis & flatulentis, vt pane azymo, cruſta pa-
nis toſta, carnibus veterum leporum, ceruorum,
aprorum, anatum, auium lacuſtrium, paluſtrium,
marinarum, carne bubula, ſuilla, braſſicis, caſeo
quolibet, nucibus, caſtaneis, leguminibus, &
multo ſale conditis, aut fumo induratis. Vtatur
verò carnibus euchymis, aſſis potius, quàm elixis,
quas ſi voles intingat condimentis ex pipere,
zingibere, cinamomo, caryophyll. nuce moſcata.
Vtatur etiam iuſculis medicatis, quibus ſcilicet
adiectæ ſint radices, herbæ, concoquentes, inci-
dẽtes, aperientes, petroſelini, fœniculi, apij, aſpa-
ragi, bugloſſi, borrag. hyſſopi, thimi. In his etiam
incoquentur cappares vtiliter. Pro potu vtatur
vino albo, vel rubro, non craſſo nec turbido, &
bene maturo. Si verò ſit abſtemius, nec adſit po-
macei bene defæcati copia, hydromelite facto
ex vna parte mellis, & decem aquæ, vel aqua
decocta cũ aniſo, fœniculo, cinamomo, vel aqua
in qua piper fuerit infuſum. In vno autem paſtu
abſtineat à variis cibis, vna tantum aut altera ci-
bi ſpe-

bi ſpecie contentus. Nihil enim magis cruditates auget, quàm ciborum varietas, & potus copia. Cruditas autem eſt perpetuo huius febris comes, & diuturnitatis cauſſa. Itaque tantum cibi capiat, quantum naturæ ſatis. Maximè verò parcè bibat, cum nihil hanc febrem æquè contumacem reddat, atque nimia potus, & humidorum copia. ſecunda menſa conueniunt poma perfectè cocta, aniſo aut fœniculo conſperſa, pruna cocta, paſſulæ. Modis omnibus concilietur hilaritas, iocis, confabulationibus, deambulationibus, quæ non parum proſunt ad crudorum humorum concoctionem. Vitetur ſolitudo, mœſtitia, torpor, & ignauia. Sunt qui concedunt cæpe, allia, porrum, ſinapi, verùm eorum vt & ſalſorum parciſſimis ſit vſus. Quo autem die febris affligit, nihil ſumendum cibi eſt, niſi vbi febris declinauerit, aut ſi quid dari corporis neceſſitas cogit, id ſit perexiguum & liquidum, & acceſſionem quatuor aut ſex horas præcedat. Neque verò ſufficit idonea victus ratio ad huius febris curationem, ſed humor eius cauſſa neceſſariò educendus; educi autem nequit imparatus, & incoctus. Præparabitur & concoquetur, ſi calfacientibus eius frigus temperetur, & ſi aperientibus, incidentibus, attenuantibus, eius craſſities incidatur, & attenuetur. Sine qua præparatione inanis & noxia erit humoris crudi & pertinacis purgantibus irritatio. Præparant autem oxymel ſimplex, quod fit ex aqua, melle, & aceto: quo potentius eſt oxymel ſcylliticum: idem præſtant

AA

ſyr. de fumaria, de ſcolopendrio, de ſtæchade, de artemiſia. Ad idem fiunt apozemata ex radicibus enulæ, apij, petroſelini, aniſi & fœnicul. aſpargi, cortice cappar. fraxini, rad. aſari, rubiæ maioris, infuſis in vino albo, ex foliis ſaluiæ, maioranæ, origani, calamenti, pulegij, ſcolopendriæ, chamædrios, camepythios, arthemiſiæ, tanaceti, thimi, abſynthij, ſemine aniſi, dauci, ameos, carui, ſeſeleos. diſſoluitur ſyrupus aliquis conueniens, additur etiam vinum album, vel vinum fit abſinthites & enulatum, hoc modo. ℞. vini albi ℔.j. rad. enulæ per taleol. ſectæ ℥.iiij. cort. rad. cappar. ʒ.j. rad. angelicæ ʒ.ij. ſummitatum abſinthij vulgar. ſicci. p.ij. pone in phiala, quæ quatriduo in loco tepido ſeruetur, dein frigido loco reponatur, nec in vſum veniat ante octo dies, hauriat diebus intermiſſionis ℥.iij. huius vini mane, & ante cœnam, horis duabus ante paſtum, ſumptis prius quatuor pilulis ex hac maſſa, vt vtroque remedio in cauſſæ morbificæ concoctione conſpirante breui magnus accedat profectus. ℞. rad. gentianæ ʒ.ij. ariſtolochiæ rotundæ, ʒ.j.ß. artemiſiæ ʒ.j. brioniæ ſiccæ ʒ iij. myrrh. croci, ana. ʒ j. rad. aſari pulueriſati ʒ. ij. aloës ℥.j. mithridat. ʒ.iij. fiat maſſa cum ſyrupo de artemiſia. addi etiam poteſt puluis chalybis arte noua præparati, & puluis lumbricorum. Præſtabuntur etiam opiatæ ex conſeruis ſaluiæ, florum borrag. violar. betonicæ, florum anthos, cum puluere diamargar. frigidi, & cum ſyrup. capill. veneris. Quod ſi in viſceribus ſentiatur quędam retinentia obſtru-

ctionis

ctionis index, fiat fotus per ſacculos ex radicibus, herbis, ſeminibus prædictis in apozemate additis radicibus & herbis remollientibus. A fotu pars reſiccata illinatur oleo capparum abſinthij, liliorum, chamomeli, addito ammoniaco, quod diſſolutum fuerit in aceto & colatum. A litu ſuperponatur hoc Emplaſtrum. ℞ Ammoniaci liquati in aqua ſcolopendr. & colati ℥.j. gummi pini ℥.j.ß. ſtyracis calam. benioini, ana. ʒ.ij. rad. ireos pulueriſatæ ʒ j. malaxentur ſimul, addita ceræ, q.ſ. fiat Emplaſtrum. Præparatus ſuperioribus remediis & victus ratione humor ſemel aut bis in hebdomade, maximè ſi adſit durities in alterutro hypochondrio medicamento purgante detrahendus. Purgans autem medicamentum per initia non debet eſſe validum, nam cum Quartana clementer agendum eſt initio morbi vniuerſali, quod humor illius cauſſa cum ſit contumax, & expulſione rebellis, niſi abundè præparatus fuerit, à validis purgantibus irritatur, & irritatus ferocius exſultat, & pro ſimplici duplicem Quartanam profert. In initiis ergo Antimonio locus eſſe non debet, nec ſimilibus, in quorum loco dabitur ſenna, rhabarb. caſſia, catholicum. vbi tamen concoctus fuerit morbus, validiora purgantia conueniunt, turbith. radix ellebor. nigri, confect. hamech. &c. Sunt qui in Quartanis in ipſo paroxyſmi die, quatuor videlicet aut quinque horis ante horrorem, catharticum dant, quod eo tempore humor turgens & agitatus facilius expellatur. Cuius ſententiæ Authorem Hippocra-

tem eſſe volunt, qui in lib. de affectionibus, in ipſa apprehenſione acceſſionis purgans medicamentum dari vult. verum eorum ſententiam probare non poſſum, quòd ſuperueniens horror inchoatam vacuationem magno ægri incommodo intercipit. commotus quidem eo tempore humor è foco forſan facilius euellitur, non tamen catharſi ſed vomitorio, cum ad ventriculum non ad aluum viam affectet. Nunquam ergo in ipſo acceſſionis die, niſi fortè tardior fuerit acceſſio, aut 10. horis ante horrorem porrigatur, vt duabus horis à medicamento cibo locus ſit, & antequam acceſſio inuadat, actio medicamenti ſit completa. multo minus in ipſa acceſſione. Id autem tutiſſimè aſſumitur pridie acceſſionis. Quod ſi per initia febris quartanæ ſanguinis copia venæ turgent, prægreſſa purgatione vena ſecatur. Repetitur autem venæ ſectio, cùm incaleſcentibus humoribus metus eſt, ne ob cachochymiam è prima corporis regione in venas maiores fiat humorum metaſtaſis, ac quartanæ ſuccedat continua aut pleuritis; aut alius grauis morbus, vel ne iidem in venis & arteriis lienis incaleſcentes & putreſcentes inflammationem lienis accerſant, túncque maiori profectu mittitur ſanguis, quàm per initia morbi.

Sunt autem qui pridie acceſſionis venam ſecant, quia eo tempore vires ſunt vegetiores, alij die acceſſionis, 4 aut 6 horis antequam inuadat, quod mihi in more eſt. Alij verò ipſa acceſſionis hora, quod à quibuſdam factitari video. Sunt qui ad humoris melancholici euacuationem hęmorrhoidas prouocent, quod tamen non conſuluerim,

rim. Nam neque facile vi euocari poſſunt, neque ſemper id tuto fit, quod immodica plerumque ſuccedat hæmorrhagia, quam virium langor, & tandem dydrops conſequitur. hæc continuata remediorum viciſſitudo febris Quartanæ cauſſam quantumuis contumacem concoquet, & expurgabit, ſi diligens adſit perſeuerantia. Quæ tamen ſi ita contumax, & rebellis fuerit, vt his non miteſcat, vomitoriis oppugnanda eſt, vt aqua communi cum oleo miſta, ſucco raphani, trimediano iuglandis arboris cortice arefacto, tritóque ad ʒ.j. cum iure pingui ſumpto, aut ʒ.j. catulorum iuglandis furno ſiccatorum, & puluerisatorum cum vino albo ſumptorum. Sunt & qui ex aqua butyri ſaliti violentam vomitionem cieant. vulgus decem aſari folia in ſero lactis macerat, & contundit, expreſſumque ſerum hauriendum præbet, aut ʒ.j. rad. aſari diſſolutam in vino albo. Debet autem aſarum eſſe odorum, vt aliquem effectum præſtet, inodorum enim efficax eſt. Sunt qui vomitoria pilularum potius, quam potionis forma præbēt, hac ratione impulſi, quod Quartanæ cauſſa non in ventriculo reſideat, ſed in venis lienis aut meſenterij, aut in cyſti fellis deliteſcat, vnde vomitoria potio, quæ ſæpè reiicitur priuſquā vim ſuam exerat, vix quidquam eliciat, niſi violentis medicamentis cōſtet, quibus non niſi coacti vtimur. Pillul. verò duab. horis antè horrorem ſumptæ non ante ſeſqui horam aut horas duas vomitum cient, tantóque interuallo in altiores partes vim ſuam transmittunt, vnde humorem potentius eliciunt, miſcent ergo ʒ.j. aſari, cū ʒ.ß. mithridatij, & cum ſyr.

violatum formant pillulas. Repeti autem poteſt ſemel in hebdomade vomitorium, meatibus è iecore & liene pertinentibus prius per præparantia reſeratis.

Veteres autem in febre Quartana, melancholia hypochondriaca, & omnibus morbis diuturnis vomitum à cibo mouerunt, quod & neoterici imitandum cenſent, quia morbificus humor miſtus facilius expellitur, adde quod tranſuerſæ ventriculi fibrę cibo & potu humectante ruptioni minus ſunt opportunæ. Quia verò eo tempore ſumpta vomitoria nihil morbificæ materiæ, quæ non in ventriculo, ſed alibi, vt nuper dictum eſt, ſtabulatur, detrahunt, ſed tantum pituitam, & quidquid in ventriculo fluitat, danda potius ea duabus horis ante acceſſionem, aut in ipſo acceſſionis initio, quia tunc humor commotus facilè ſequitur, quod non ſolum in initio, ſed etiam in remiſſione acceſſionis contingit. Quod ſi ante hauſtum vomitorij æger ſumat pingue aliquod iuſculum, minori cum perturbatione & violentia ſuccedet vomitio. Si verò morbus ſit adeo contumax, vt nec catharticis, nec vomitoriis cedat, vſus eſſe debet huius aquæ ſtillatitiæ, quæ ſit ex rad. gentiana, cort. capparis, fraxini, rad. ariſtolochiæ rotundæ, mithridatio, theriaca, aſaro, vino albo, concluſis in alembico vitreo in Balneo Mariæ aqua elicitur, cuius ℥.ij. dantur in acceſſionis horrore, cum ℥.ß. ſyrupi de epithymo, ſeu de ſcolopendria, hæc aqua melancholicum ſuccum frigidum & craſſum cõcoquit, attenuat, & ad purgationem & vomitionem præparat. videndum tamen ne huius aquæ vſu calida iecoris intem-

intēperies, ſi ineſſe certis ſignis videatur, exaſperetur, aut ſanguis exuratur. In quod diſcrimen ne incidat, his remediis in his ſolum vtere qui frigido totius corporis ſunt habitu. In calidis enim & ſiccis naturis, in quib. bilis retorrida morbo cauſſam dedit, nocuus eſſet huius aquę vſus. Quod ſi forte cum febre quartana à melancholico humore profecta adſit intemperies iecoris calidior & ſiccior, ita remediorum illorum quæ dicta ſunt in febre quartana ab aduſta bile, & horum quæ nuper diximus vis temperanda, vt cum vni proſis, alteri non noceas.

Sunt qui duab. horis ante acceſſionem dant ℥. j. theriacę, aut caſtorei, aut myrrhæ, ana. ʒ. ß. cū ℥. iiij, vini albi, aut quid ſimile attenuans, incidens, calfaciens, & concoquens, quorum in frigidis & melancholicis naturis probatur ſententia. Nam his obſunt, quibus à retorrida bile febris orta eſt.

Sunt qui folia roriſmarini in vino albo decoquunt & horroris initio propinant pondere ℥. ij. ad concoquendū crudum humorem venis & arteriis lienis contentū, ſed repetito vſu viſcera vrit, & humores nimis extorret; & calida intemperie hepatis præditis phlogoſim aut febrē continuam interdum accerſit, vt ideo his ſolis, qui pituita & melācholico ſucco crudiore ſcatent, & ſenib. cōducat, ſc. neq; decoquere neceſſe ſit, ſatis. n. fuerit ſicca roriſm. folia horis 24. in vino macerare.

Alij ex ſaluiæ foliis per noctem in vino infuſis idem remedium continuant, ſed magis attenuat roriſmarinus. Alij frigoris tempore grana 5. piperis integra deglutiunt, dein hauriunt ℥. iij. vini generoſi. Galenus, eúmque ſecuti recentiores, his

calfacientibus & attenuantib. vti metuunt ante concoctionis ſigna & declinationem febris, quorum ſententiæ nõ poſſum accedere, nam præterquã quod eorum vſu adiectis & repetitis catharticis & vomitoriis, incidentes, aut etiam iam diu graſſantes Quartanę nullis ſignis coctionis comparentibus profligari viſæ ſunt. Ratio etiam edocet eorum vſum tunc eſſe tutiorem, cum adhuc humores crudi ſunt, quam cum his incaleſcentibus concoctionis ſigna elucent. Data enim, concoctionis ſignis iam comparentibus, niſi ſtatim ſuccedat vacuatio conueniens, hæmorrhagias, febres continuas, alióſque prauos affectus in perniciem ægrorum concitant. In frigidis & humidis naturis, in quibus nec renum inflammatio nec calida iecoris intemperies metuitur, paulò antè horrorem, ceruix ſcapula, & ſpina dorſi ad lumbos vſque ad ignem rectè inungitur, oleis calfacientibus, attenuantibus, abrotani, rutæ, nucum, de piperibus, iuniperi, ſaluiæ, roriſmarini, cum aqua vitæ, horrorem enim diſcutiunt aut prohibent humorem frigidum concoquunt, & ſudores mouent, impediuntque paralyſin, quæ interdum accidit Quartanæ ob craſſos humores neruis impactos. ℞. Succi rutæ, olei ſcorpionum, & de caſtoreo, ana. ℥.j. vini maluatici ℥.iij. bulliant ad vini & ſucci conſumptionem, & cum partes his oleis inunctæ fuerunt, aſpergantur puluere cinamomi, piperis, cumini, vel diſſoluatur mithridatium, & theriaca in aqua vitæ ad dictarum partium illitionem, vel foueantur eæ partes vino rubro, in quo decocta fuerint folia pulegij calamenti, origani,

gani, menthæ, hyſſopi, lauri, rutæ, abſinthij, ſalgiæ, roriſmar. Ea tamen cautione adhibita, vt ſemel vel bis in hebdomade humor melancholicus his remediis præparatus euacuetur, ad prohibendum etiam horrorem æger ſe valdè exerceat, cum inſtabit paroxyſmus, ſic enim remiſſior multo horror futurus eſt, vel lectum petat duabus horis antequam inuadat acceſſio. In horrore verò ſacculi pleni herbis, ſeminibus calfacientibus, attenuantibus coctis in vino rubro, hepati & lieni admoueantur, plantis autem pedum, volis manuum, & genibus, lateres calidi perfuſi vino tenui, & linteolis conuoluti, ita tamen vt ſuccenſo calore tollatur, nec omittenda ſunt balnea aquæ dulcis, quæ paulò calidiora eſſe debent. iis, quæ Quartanis ab atra bile imperantur, ita tamē vt copioſum ſudorem non eliciant. Nec approbo eorũ ſententiam, qui ab initio, dum humor adhuc crudus eſt, balneũ tepidũ cõmendant, cum verò cõcoctus, vt in ſtatu & declinatione, imponunt quę calfaciunt, incidunt, & attenuãt. Contraria enim curatio ineũda eſt. Nam quo frigidior, craſſior, & crudior eſt humor, eo magis attenuari & calefieri debet. Quo verò calidior & ſiccior, eo magis humectari. Adde quod Quartana, quo ſtatui propior eſt eo materiam calidiorem, tenuiorem, & acriorē habet. vehementia tunc apparent ſymptomata rigorem pro horrore ſortita. Ideo niſi calfacientia & attenuantia diminuas, facilè eo tēpore duplex aut triplex Quartana fiet. Ideoq; optimè fecerit qui Quartanã legitimam in ſtatu eo modo curat, quo Tertianam ſpuriã in principio tractamus. Sunt qui vrgēte febre vrinas & ſudores mo-

uent, & ad id decoctum Guaiaci dilutius imperant, cuius ℔.ß. macerant, in ℔.xij. aquæ, decoquantur ad tertias. verùm ſuſpectus eſt Guaiaci vſus in omni febre à quacunque cauſſa præceſſerit, vtiliter tamen ſudores in fine acceſſionis excipiuntur, imò quo ſudor copioſior effluet, eò tardius recurrit ſequens paroxyſmus, & tempore intermedio æger melius ſe habet. Contra ſi non liberè prodeant, ſeu ex contuſione grauitas in membris ſupereſt, neque exacta adeſt infebricitatio. Quidam à Quartana liberati vſi ſunt vſu copioſiore piſcium ſalitorium, nucum, alliorum, ficuum, aliarúmque rerum mali nutrimenti, ex quorum vſu alij Quartanarij obeunt. Curari dein Quartanam quandocunque errore contingit, ſed qui vni bene cedit, alteri exitialis eſt. Sic refert Amatus Luſitanus ſe vidiſſe duos Quartanarios, quorum vnus praua victus ratione euaſit, alter vitam cum morte commutauit. Cuius diuerſi euentus hæc cauſſa redditur ab Amato & Beniuenio, quod natura torpens excitatur à ſua pigritia per vſum prædictarum rerum excitata humorem longo temporis tractu coctum & obedientem, per ſudorem, vomitum, ſeceſſum, aut inſenſibilem tranſpirationem euacuat. Si verò contingat humorem nondum eſſe coctum & expulſui paratum, inde mors ſubſequi ſolet, Valeriola li. 2. obſeru. 4. teſtatur, ſe ſanatum vidiſſe quendam Quartana affectum, quæ nullis antea remediis ceſſerat dum in vehementem iram à ſuis eſſet accenſus. Quod ſi vna cum Quartana, febris lenta continua, aut altera febris erratica ex impuritate viſcerum, & ſanguinis corruptela nata

la nata affligit, non prius remediis ſupradictis Quartanæ tentanda curatio, quam pura & ſimplex ſit. Primum enim & ſanguinis miſſione, & frequenti purgatione & præparatione idonea, quidquid Quartanæ curationem remorari poteſt eſt circumcidendum.

Nunc de prognoſi & criſi febrium quartanarum dicendum. Quartana omnis, quæ ſine ſcirro iecoris & lienis vrget, remediis ſupradictis ante Veris aduentum ſoluitur, ſed quæ cacochymos, & obſtructione viſcerum laborantes inuadit, diutius perſeuerare ſolet; praua enim ea viſcerum affectio, non niſi tempore & pedetentim emendari poteſt. Quartana à ſucco melancholico longior eſt ea, quæ fit ab aduſta bile, hæc enim ſi iuſta vitæ lex obſeruetur & accomodata remedia adhibeantur, non multò magis continua eſſe ſolet, quàm Tertiana notha à bile retorrida, vt ideo & ad finem æſtatis & medium Autumni, aut etiam incipiente Hyeme ſaneſcere viſa ſit. Quartana æſtate magna ex parte breuior eſt, quia eo tempore humores vi caloris attenuantur, & per meatus patefactos diſcutiuntur. Adde quod veriſimile eſt genitam eſſe Quartanam ex humore eo tempore genito, ſed æſtate, gignitur bilis, igitur & ex ea aduſta Quartanam factam veriſimile eſt, quæ vt breuiſſima eſt, ſic longiſſima quæ ex melancholia ſimplici: nam quo ſincerior Quartana eo longior, Autumnalis etiam longior eſt, ob craſſiorem humorem, & cutem duriorem, & ob frigus quod humorem intrò repellit. Nec ſemper æſtate breuis eſt, ſed cum humor tenuior eſt, cumq; iuſta vitæ lex obſeruatur,

Breuiſſima ferè in tertium menſem producitur, aliâs in ſextum, aliquando in annum, aut vlterius, ſi praua victus ratio acceſſerit. Quæ diuturna eſt, ſæpè perducit ad hydropem, maximè ſi æger ſcirrho hepatis, aut lienis laboret, & copioſiore aquæ potu in acceſſionibus ſitim expleuerit. Ætius Hippocratis teſtimonio aſſerit eundem hominem bis in Quartanam non incidere; quod tamen falſum eſſe docet experientia. Si acceſſio Quartanæ eadem hora repetat, quacunque deſinat, difficilior eſt febris, vt eſt in aph. 30. ſect. 4. Ob id vulgo etiam dicitur bene ſperandum vbi febris variè inuadit. Qui 60. ætatis annum ſuperant, ſi Quartana occupentur, rarò euadunt, & magna ex parte hydropici moriuntur. Juniores minus periclitantur, niſi natura ſint ad talem propenſi, hinc natum prouerbium, Quartanam Juuenes quidem ſanare, Senes autem necare. Quartanæ febres niſi medicamentis ſenſim vincantur, ad Veris finem ſponte ſaneſcunt, alias Criſi manifeſta cùm iuſtæ vacuationes neglectæ ſunt, ſuperéſtque multus humor, aliâs paulatim humore per inſenſibilem tranſpiratum digeſto, vel intùs à calore abſorpto, & concocto. Manifeſtæ autem Quartanarum ſunt Criſes, vrinarum craſſarum, aliâs albarum, aliâs nigrarum excretio aliquot hebdomadas perſeuerans, nigrorum excrementorum vomitio, vel initiis acceſſionum repetens, vel inordinatè etiam extra acceſſiones prodiens, copioſa ſudorum profuſio, & in ſingulis acceſſionibus, & extra acceſſionem nigrarum humorum deiectio per aluum aliquandiu perſeuerans,

rans, quæ omnium optima & facillima cenſenda eſt, ſi manifeſtum alleuamentum afferat. Peſſima verò criſis in Quartana eſt ea, quæ fit per hæmorrhagiam è naribus, hæc enim vix vnquam Quartana ſoluit, vt habetur aph.6. ſect.7. & 6. epidem.part.2. Symptomatica enim eſt, ac diu perſeuerans hydropem accerſit, Qui humor Quartanæ cauſſa nequit per nares euacuari, quia craſſus eſt & frigidus. Talis autem nec aſcendit facilè, nec in venas narium retruditur. Cum ergo accidit ſanguinem fluere è narib. in Quartanis, ſecta baſilica ſemper cohiberi debet, è qua putris emanat, vt purus è narib. nullo tamen profectu. Interdum Quartana degenerat in Continuam, túncque lethalis vt plurimum eſt. Quartanæ autem in Continuam tranſitus his contingit, qui generoſi vini, aliorúmque calidorum vſu humorem melancholicum aduſſerunt, & conuenientes purgationes neglexerunt. Obſtructis enim venis meſeraicis humor incaleſcens & attenuatus ſurſum in venas maiores viam affectat. Interdum mutatur Quartana in Epilepſiam, Conuulſionem, Hydropem, Cancrum, Scirrhum, quod contingit iis, qui conuenientem victus rationem, & vacuationes neceſſarias prætermittunt humore exuſto, vel in cutem, vel in cerebrum excuſſo. Interdum Quartanæ ſuccedit Pleuritis ſiniſtri lateris, materia è venis & arteriis lienis in thoracem tranſlata. Finitur & interdum Quartana per abſceſſus factos ad articulos, quæ omnium peſſima, & maximè diuturna Quartanæ criſis.

His remediis ſimplices intermittentes profi-

gãtur, ſed quæ aëreæ malignitatis ſunt participes cardiacis oppugnantur malignę conſtitutioni reſiſtentib. vna cum idonea victus lege. Adduntur ergo apozematib. prædictis rad. tormẽtilla, raſuræ Cornucerui, pimpinella, ſcabioſa, ſemẽ cardui benedicti, bugloſæ ſcabioſæ, ana. ℥. iiij. ſyr. de endiuia & limonum, ana. ℥. ij. aromatiſetur ʒ. ß. cinnamomi, fit opiata cardiaca ex conſeruis. florum cichorij, violarum, bugloſſ. borrag. ana. ℥. ß. raſur. cornu cerui, margaritarum electarũ ana. ʒ. ß. ſyr. violacei q. ſ. vſus erit hora ſomni, vel ante epulas. His ac ſimilibus medicamentis aperientib. refrigerantibus, humectantibus, & cardiacis intermittentes febres à praua aëris qualitate humoribus impreſſa perfectè profligantur. Si aluus reſtiterit quotidie fluida, reddatur clyſterum vſu, & repetita quaque hebdomade purgatione.

OBSERVATIONES QVAEDAM ANImaduertendæ in cura Febrium intermittentium.

CVm alui profluuium intermitẽtem febrem comitatur, multi à purgatione abhorrẽt, ſed tantum abeſt vt illud purgationem dehortari debeat, vt etiam illam accelerãdam inſinuet, nã vel crudum & lientericũ eſt, vel bilioſum, vel cruentum. Crudũ verò parcè bibendum eſſe hortatur, ac Rhabarb. poſtulat, à quo deterſis crudis humoribus, & roborato ventriculo facile ille fluxus cõquieſcet. Cruentũ etiam eiuſdẽ Rhei vſum poſtulat, vt expurgetur acris & mordax bilis inteſtina rodens. Bilioſum verò, ſeu ſymptomaticè fiat, ob multitudinẽ humorum & agitationem, ſeu naturæ pel-

ræ pellentis robore, vacuationem arte factam requirit, vt detracta oneris qua natura premebatur portione, reliquum facilius concoquat, morbúmque profliget. Sed ne vomitio acceſſionum initiis fatigans, ac bilem fortè multam & pituitam detrahens, purganti medicamento non auoces, cum vt veſica fellis vomitione, ſic meſenterium purganti medicamento ſit exonerandum, vt perfecta ſuccedat curatio. Hippocrates aph. 43. ſect. 4 ſcribit febres omnes intermittentes, id eſt, quæ ad integritatem & quietem febre vacantem perueniunt, non eſſe periculoſas, cui aſſentiens Galen. hanc rationem huius aphoriſmi reddit, quod omnis morbus periculo non carens, vel eſt cum phlegmone, vel cum humorum prauitate, ſed in his ambobus neceſſe eſt febres eſſe continuas, igitur quæ vacant continuitate febres, periculo etiam vacant. Sed experientia interdum huius aphoriſmi veritatem peruertit, quod quidam febre intermittente laborantes mortui ſunt. Præterea quartana cum ſcirrho Lienis mortalis eſt, maximè in ſenibus, adde quod in conſtitutione peſtilenti febris pura intermittens in continuam peſtilentem ſtatim degenerat, vel etiã iugulat, venenata pernicie cordi impreſſa, illius vim, & robur perimente, ita ergo Hippocratis ſententiam accipimus. Quod febres intermittentes ex ſua natura vacant periculo, tamen ob aliud, vt ætatem ſenilem, ſcirrhum lienis, venenatam aëris qualitatem, ægrorum aut aſſidentium errorem, aut aliud quid ſimile adiunctum, aliquando perimunt. Eſt autem Tertiana omnium leuiſſima legitima tamen breuior ac

ſecurior, quàm illegitima. Omnium febrium lõgiſſimam facillimam, & quantum in ſe eſt, ſecuriſſimam eſſe quartanam, neq; ſolum talem per ſe eſſe, ſed etiam ab aliis magnis morbis vindicare aſſerit Hippocrat. 1. Epidem. comm. 3. part. 3. text. 4. Idem affirmat 6. Epidem. ſectione 6. text. 7. his verbis. Quartana laborantes magno morbo non capiuntur, aut ſi capiuntur, & quartana ſuperueniat, liberantur. Idem ferè dixerat aph. 70. ſect. 5. Qui ſic habet: quicũque quartana corripiuntur, rarò admodũ conuulſionibus tentantur. Si verò prius tentati fuerint ſuperueniente Quartana liberantur. Quam ſentẽtiam confirmat Gale. comment. quos edidit in prædictos Hipp. libros, & primò ad Glauconẽ, & paſſim. Id etiam ſępe vulgus in ore habet, quòd quartana non facit ſonare campanam. Verumtamẽ nullus eſt morbus, quẽ tanta turba ſymptomatũ cõſequatur, quorũ pars ad multos annos durare conſueuit, nam & lienis hepatíſq; ſcirrhũ, & icterũ, & melancholiam hypochondriacã, & ventris tormina colicis ſimilia, & his ſuccedentẽ Paralyſin, brachiorũ, interdum & pedum qua (ſenſu ſuperſtite) motus tollitur, & ſputationes frequẽtes & diſtillationes pernicioſas, tabes, vlcera curatu difficilia, Cachexiam, Epilepſiam, Hydropem, Cancrum, & interdum Elephantiaſim in iis præſertim qui huic vitio ſunt obnoxii, & alios pleroſque morbos inuehit. Pręterea cum à frigido & ſicco humore oriatur, qui natiuo calori bellum indixit, coctionem lædit non modo eam quæ fit in ventriculo, ſed eã etiã quæ fit in ſingulis partibus, vnde magnus frigidorũ excrementorũ prouẽtus, & diſſolutio robo-

tis membranarũ, neruorum, & cerebri, huc accedit quod in ſenib. ſemper lethalis eſt. Diximus tamen verã eſſe Hippocratis ſentẽtiam. Quartanã eſſe toto genere & per ſe tutã & ſecuram: at verò interdum ob errorem admiſſum in victu, ob copioſiorẽ potum, & neglecta remedia huic cõſentanea, periculoſã eſſe: ſed hoc non ex ipſius quartanæ natura cõtingere, verùm ex accidenti. Qui enim parciſſimè bibũt in paſtu, nullo verò prorſus modo in acceſſionibus, & quo die inuadit acceſſio cibo prorſus abſtinent, donec præterierit acceſſio, vel ante 12. horas eius nõnihil aſſumunt, & dieb. ab acceſſione liberis, blandè purgantur, non modo ſunt à febre tuti ſed etiã à multis aliis morbis, non quidem frigidis, ſed calidis. Cũ enim totius corporis habitum in melancholicam cõſtitutionẽ trãſmutet, dum ſc. terreno ac frigido humore omnes partes alit. corpus in poſterum non inflãmatione, cui fortè ante febrẽ, vel pulmo vel iecur opportunum erat, aut febre Tertiana, aut cõtinua vix tentabitur. Vt ergo hanc diſputationẽ cõcludamus, dicimus quartanam nulli vnquã præ ſe lethalem fuiſſe, cauſſam tamen præbuiſſe grauiſſimis morbis, qui poſtea homines interimunt. Sed quodcumq; periculũ cõſequatur, non in quartanam referri debet, ſed in aliquid eorum quę extrinſecus cõtingunt, & in prauos viſcerum affectus ſuperueniẽtes. Sunt qui Galen. cõſilio vſi propriam tertianæ curationẽ potu aquæ frigidæ compleri exiſtimant, quia bilis feruorem optimè reſtinguit, verũ eius vſum nõ permittit antequã cõcoctionis ſigna ex vrinis petẽda cõpareant, nã ſi ante morbi ſtatũ & cõcoctionem, aqua detur,

lentos humores attenuari & digeri prohibet, imbecillas corporis partes concutit, & nonnullis illicò ſpirandi difficultatem, conuulſionem, & tremorem conciliat. Quid ergo de aquæ potu ſtatuendum ſit exponamus. Cenſemus aquę potum febribus Tertianis maximè conuenire, quia bilis incendium aqua apprimè reſtinguit. Conuenit inquam ſi hæ conditiones adſint, quarum meminit idem Galenus 9. & 11. method. & aliis plerisque in locis. Si æger iuuenis ſit & robuſtus, ſi viſcera non habeat imbecilla nec infirma, ob quorum imbecillitatem multi à frigidæ potu in graues affectus lapſi ſunt. Si etiam idem viſcera non habeat obſtructa, ſi ſit potui aquę aſſuetus: nec ab eius potu vnquam lædatur. Si calido ſit hepate, & ſiti intentiſſima affligatur. Si denique æſtus ſit, & aër calidus ſit & ſiccus, quæ ſi adſint, aqua ad ſatietatem vſque in acceſſionis vigore ebibita admodũ prodeſt. Verũ non expectanda eſſe concoctionis ſigna cum Auerrhoë cenſemus, quia æger intereà periclitatur, & ſerius futurũ ſit auxilium, vbi febrilis calor natiuum calorem extinxerit, & quod longè minus periculum immineat ex aquæ oblatione, quàm ex incendio, nam ex frigidę potu ſola morbi longitudo expectatur, ex caloris vehementia mors. Præterea coctio nota eſt naturæ potentis ſupra morbum, cum verò natura ſuperior eſt: quid prodeſt potus aquæ frigidæ? Nos igitur quamdiu feruet bilis, vrgétque Tertiana, frigidam tutò dari aſſerimus. Cũ verò feruor humoris & morbi vigor præterierint, quod ſeptima ſaltem acceſſione contingit, nõ amplius aqua conuenit. Obſtructiones enim ingeminat, & febris

bris curationẽ differt in melancholicis præſertim & frigidiorib. naturis, quæ obſtructionib. viſcerum ſunt obnoxiæ. Præterea certum eſt Tertianã non vltra ſeptimã acceſſionẽ procedi, niſi obſtructio viſcerum & craſſities humorum ſit in cauſſa. Intermittentib. febrib. non conducunt diuretica, niſi cũ immodicus præceſſit potus: humor enim cõtinens intermittentium febrium cauſſa, in prima corporis regione collectus commodiſſimam viã in aluum, nõ in venas maiores, renes, aut veſicã habet per quam expurgetur. At cũ nõ in ſola prima corporis regione, ſed etiam in maioribus venis, magna adeſt ſeroſorum & crudorũ humorum copia, vt prima Regio per aluum catharticis, ſic ſecunda diureticis per renes & veſicã commodè exoneratur: Adde quod diuretica viſcerũ obſtructiones ſoluunt, & craſſos humores attenuãt, vt vel hoc ſolo nomine, ſi modò acriora non fuerint, valdè ſint profutura, ſed non ante quartã acceſſionem, in legitima Tertiana, ante ſeptimã in notha ſunt vſurpãda. Idq; prius antegreſſis multis purgationibus. Quibus neglectis ſi diureticis æger vtatur, excremẽtitij humores è prima corporis regione, in ſecũdam, id eſt venas maiores, transferuntur, & pro Tertiana intermittente, fiet Tertiana cõtinua. Practici qui de cura febriũ libros ediderunt, in Tertianis, aliiſq; febrib. intermittentib. diuturnis, iulepos humectantes & refrigerantes præſcribunt, quaſi febrib. omni tempore refrigerantia ex vſu ſint, contra enim ſæpè diuturnitatis & cõtumaciẹ febriũ cauſſa ſunt, cũ videlicet poſt ſeptimã acceſſionem humoris feruore repreſſo eorum vſus eſt, hi enim humorem

magis impingunt, & caloris natiui, qui ſolus concoctionis humorum auctor eſt, robur atterunt. Cũ igitur febris in vetuſtatẽ degenerat, viſcerum conſtitutio ex facie totiuſq; corporis habitu noſcenda. Qui firmo eſt corporis habitu, vegetumq́; habet calorem, refrigerantium & humectantium vſum diu ſuſtinet innoxiè, ac inde iuuatur, ſi calidior eſt & ſiccior iecoris intemperies, acreſq; & ferini humores. Contra verò ſi languidior eſt calor inſitus, & humores pituitoſi & melancholici, refrigerantibus ac nimium humectantibus in lõgum protrahetur febris. Diſtinguere ergo conuenit, quibus in febribus calor & ſitis refrigerantibus ac humectantibus reſtingui poſtulant, quib. verò attenuante victu, & potus abſtinentia abſumi. Crudi & craſſi humores victu tenui, potus abſtinentia, & concoquentium vſu à calore natiuo euicti facilè difflantur, & euaneſcunt, vel in corporis alimoniam cedunt. At humores calidi & acres refrigerantibus & humectantibus leniri poſtulant, ita tamen vt neque viſceribus, neque calori innato vis inferatur. Medici omnes ex vrinis cruditatis & concoctionis notas in intermittentibus febribus ſumunt, ſed certè fallax prorſus eſt, quæ inde ſumitur cõiectura: quia febrium intermittentium cauſſa non eſt in venis maioribus vt eſt opinio omnium ferè Medicorum, in quibus vt & in renibus & veſica vrinæ, concoctionem nanciſcuntur: ſed in prima corporis regione. Enimuerò vrinæ malæ in febribus intermittentib. ſignificant multa excrementa è prima corporis regione per acceſſionem in venas maiores irrepere, quę ſanguinẽ corrumpunt, vnde metuendus

tuendus eſt tranſitus intermittentis in cōtinuam ex raptu humoris è prima corporis regione in venas maiores. At minimè oſtendūt quàm crudus aut coctus ſit humor, febrium intermittentium cauſſa, qui in meſenterio, veſica fellis, hepate & liene deliteſcit. Sæpè autem ſecunda & tertia acceſſione tinctæ admodū videntur vrinæ, cùm bilioſa ſanies è primis ſedib. in venas irrepit, vnde multi venę ſectionem per quam neceſſariam eſſe contendunt, quaſi incenſus ſanguis eo remedio reſtingui poſtulet, cū tamen bilis detractionē per aluum & obſtructionum reſerationem potius demonſtret: neq; enim detracto ſanguine morbi focus expurgatur, nec bilis in eo ferocientis feruor extinguitur. Contra enim, niſi adſit plethora quā ſoluere expediat exinanitis venis maioribus, maior humoris excremētitij bilioſi è prima corporis regione in eas fit attractio, vnde contingit intermittentis in cōtinuam tranſitus. Ergo vrinæ croceæ & rubræ, aut crudæ aut aliter vitioſæ in febrib. intermittentib. docent ineſſe in primis corporis ſedib. tam copioſum humorem excrementitium, vt multa eius portio per acceſſiones in venas & reliquum corpus trāſfundatur, qui humor niſi repetita purgatione euacuetur, metus eſt ne febris intermittēs aut diuturna ſit, aut in cōtinuā tranſeat. Confert tamen venæ ſectio, cum pręſertim pręter bilis permiſtionem multa cruditatis ſigna inſunt quæ naturā onere grauari oſtendunt.

CVRATIO FEBRIS EPHEMERAE.

FEbris Ephemera putrida eſt, quæ repentè, vi cauſſarum externarū, vt æſtus, frigoris, laſſitu-

dinis,irę,vigiliarũ,ebrietatis & ſimilium inuadit, nulla præcedente in appetentia,oſcitatione, aut pandiculatione, aut ſpontanea laſſitudine,nullo etiam ſubſequente horrore,aut certè minimo. Si calor non ſit acer nec mordax, ſed halituoſus, ſi vrinæ ſubſtantia colore ſedimento à naturali non euariant,hæc febris ſoluitur eodem die cum leui ſudore, quę perfecta excipit integritas, niſi fortè in putridam tranſeat. Tranſit autem vbi corpus vitioſis humoribus refertum eſt, qui à calore febris Ephemeræ calfacti facilè putreſcunt & corrumpuntur. Degenerationis Ephemeræ in putridam hoc certum ſignum eſt, quod iam vnus aut alter dies elapſus eſt,nec tamẽ febris deſinit,imò æger grauius laborat, calórq; pro miti acer euadit. Eius curatio pro cauſſæ externæ à qua ſit varietate euariat,ea autem mox ceſſet,atq; cõtraria ſemper offerentur,labori quies, vigilius ſomnus, iræ hilaritas,nimis attentæ cogitationi negotiorũ intermiſſio. Quæcumq; autem cauſſa fuerit imperetur quies tum animi,tum corporis, vt ſpiritus agitati refrenentur. Cibus non ſumendus,donec præterierit acceſſio,niſi fortè febris ex inedia lõgiore,vigiliis, coitu immodico,aut aliis reb. exinanientib. ſit profecta. Alioquin facilè tranſitus fiet in febrem hecticam, aut ardentem, maximè ſi æger temperamento ſit calidus & ſiccus & bilioſis humorib. abũdet; Cibus ſit hordei cremor, iuſculum ex herbis refrigerantib. decoctis cum carnib. boni ſucci, vitellis ouorum, & ſimilia. Potus ſit aqua fontana ſi æger ei ſit aſſuetus,vel ptiſana,vel pomaceum ſecundarium, vel vinum album tenue & dilutum:nam id vt parum calfacit,

ſic vrinas & ſudores promouet, vel in ſiti vtatur æger iulepo roſato, alexādrino, qui ſuccus limonū ſit affuſus, aut Julepo violato, ſyr. capill. vener. cū quadruplo aquæ decoctæ aut ptiſanæ. Si à Solis ęſtu ephemera fuerit orta rarò eſt ſine dolore capitis, qui leuatur oxyrhodino, cuius eſt hęc formula.

℞. Olei roſac. ℥. iij. aq. roſarum, violarum & plantag. ana. ℥. j. aceti. ℥. j. ß. agitētur ſimul, donec permiſta ſint, his tepidis frons, ſyncipu t, & tēpora irriganda. Si à frigore, cum corpus ab exercitio æſtuans, & repentè in frigidiorem aërem ſe confert, ſudor prouocandus eſt, maximè in fine acceſſionis. Si à laſſitudine mulceatur dolor artuum molli & leui frictione. Si ab ira bilis feruor refrigerantib. & humectantib. iulepis fænandus. Si à vigiliis, curis, męrore, inedia, reſarciendi ſunt ſpiritus ſomno & cibo euchymo. Si à ſuppreſſis hæmorrhoidibus aut menſibus, hæmorrhoides aut menſes cieri debent. Si ab vlcere, è quo ſuppreſſa ſanies nō emanet, illud aperiatur. Quod ſi Ephemera ab hac cauſſa orta diutius perſeueret, purgatione & venæ ſectione prohibendum, ne incaleſcens humor putreat, & febrem putridam acceſſat. Si à crapula, ebrietate, imperetur inedia proritetur vomitio, & alui deiectio, ſi eò repat humor, multo magis conuenit purgatio, ſi ex immodico fugacium fructuum, vt perſicorum, mororum, peponum, melonum, cucumerum, lactis, aliorumq; cito putreſcibilium eſu orta ſit, ex hac enim corruptione ſanguis inquinatur, vnde putrida febris. Poſtea corroboretur ventriculus aromatico roſato, puluere ducis, cortice citri cōditi, nuce moſcata cōdita, & ſimilibus, & liniatur ex-

trinſecus oleo nardino, abſinth. mēthæ. Ephemera quę ab his poſteriorib. cauſſis procedit, facilè in putridā trāſit. Cuius trāſitus ſigna ſunt inclinatio lōga, & difficilis, quā nec ſudor nec malor excipit, aut ſi à ſudore frequēs ſit pulſus, & inæqualis aut capitis dolor, aut ſitis, aut inappetētia reſiſtat nec poſt dies tres exactos pura ſequatur integritas.

CVRATIO SYNOCHI IMPVTRIS.

SYnochus imputris fit ab incaleſcente ſanguine, & ebulliente in venis maioribus. Huius duo traduntur à Galeno præſtantiſſima remedia, ſanguinis miſsio, & aquæ liberalior potio. Quia enim hæc febris fit à redundante ſanguine, nullum autem eſt medicamentum, quod ſanguinem trahat, nec alia eſt via, quia redundans ſanguis extrahi poſſit, quam per venę ſectionem, neceſſarium eſt venam ſecare, ídque ſubitò, quacunque hora fuerit accerſitus medicus, vt febris cauſſa tollatur & extinguatur, internum incendium, & ſanguis ebulliens à putredine vindicetur. Iubet autem Galenus ſanguinem euacuari vſque ad animi deliquium, ſi modo vires validæ ſint, & ætas permittat, qua copioſa ſanguinis euacuatione ſe pleraſque Synochos ſolutas vidiſſe teſtatur; ſubſecutis eam vacuationem alui profluuio, vomitu bilioſo, & ſudore copioſo. Nos tamen non vſque ad animi deliquium ſanguinem mittimus affatim, ſed infra illud ſubſiſtimus, & primo tantum ſanguinis detrahimus quantum ſatis videtur. Poſt verò, ſex aut octo, aut duodecim horis interiectis, repetitur venæ ſectio, magis enim cōducit ſanguinis miſſionē repetere, quam

ſemel

ſemel tantam quantitatem detrahere. Quę etiam ſententia eſt Auerrois, quam probat his tribus rationibus. 1. Natura nunquam educit ſanguinem vſque ad ſyncopen, niſi ſymptomaticè: At medicus imitatur naturam, ergo neque id Medicus moliri debet. 2. Euacuatio fit tantum ratione ſuperflui, ergo ſuperfluus tantum ſanguis debet euacuari. At in euacuatione vſque ad animi deliquium, naturalis ſanguis euacuatur: ſatius autem eſt, vt caloris præter naturam aliqua portio relinquatur, quam calorem innatum prorſus diſſipari. 3. In corporibus Synocho laborantibus aliqua eſt præparatio ſanguinis ad putredinem. At ſi tanta Quantitas ſanguinis mittatur, diminuto calore naturali reliquus ſanguis corrumpetur. Quod ſi primis diebus omiſſa fuerit venæ ſectio, ea etiam die 4. præſcribi poterit, niſi fortè adſint Criſis ſigna. Parcior autem ſanguis eo tempore mittendus, quàm miſſus fuiſſet in primis diebus ob vires imbecilliores. Secabitur autem Baſilica dextra, ſi nulla alia pars magis ſit affecta, idque ſtatim etiam noctu, cùm metus eſt ne ſanguinis copia ægrum ſuffocet, aut in partem aliquam irruens, in ea phlegmonem excitet. Sed cùm optio datur, matutinum tempus præfertur, & ante venæ ſectionem ſi aluus fuerit tarda, iniicitur Clyſter refrigerans, emolliens, & humectans. Secundum remedium commendatum à Galeno, eſt aquæ frigidæ potio in tanta copia, donec æger in colore mutetur, donec tremat & palleſcat, frigida liberaliter pota, inquit Gale. 9. meth. Reliquias caloris febrilis diſſipat, ipſum calorem igneum extinguit, ſolidas

partes roborat, quæ ſic roboratæ inutiles humores per vrinas, per aluum, per ſudores excernunt. Sic quotidie videmus poſt largum frigidæ potũ, ſudores è toto corpore erumpere, & aluum fluere. Quod ait Hippocrates 3. de victus ratione frigidã tardè meare, ideoq; nec aluum, nec ſudores mouere, ſed potius adſtringere. Reſpond. eam nõ vacuare niſi per accidens, ſolidis ſcilicet partib. roboratis, partes enim ſolidæ humectatæ, & refrigeratæ vaporem emittunt, è quo fit ſudor. Exhibendi tempus eſt ſi Galeno credimus, cum declinat Synochus, manifeſtis ſignis in vrinis & pulſu apparentibus, quod non ante diem morbi quartum contingit, ante quę coctionis ſigna non concedit Galenus eius vſum, ne humorem qui febrem facit refrigeret, incraſſet, & coctu difficiliorem reddat. At verò nos experientia docti nõ expectamus ſigna coctionis, quia interea æger periclitatur, & ſerius futurũ ſit auxiliũ, ſed in primis dieb. largum eius vſum concedimus. In eius autẽ exhibitione hæ cautiones obſeruandæ. Nõ dãda iis qui craſſis humorib. abundant & viſcera habẽt obſtructa. Nec in febribus genitis à phlegmone viſcerum, nam eos tumores attenuari, digeri, vacuari, ſuo frigore & incraſſatione prohibet, nã anguſtos venarum & aliarum partiũ poros, per quos viſcerum phlegmone reſudat, adſtringit, adeoq; humoris qui phlegmonẽ committit, excretionẽ & coctionẽ prohibet, adde quòd dẽſando & refrigerãdo febrẽ inde genitã magis accendit. Nec danda iis quib. partes ſunt imbecillæ frigidæ, vel ex naturali intemperie, vel ex vitio adſcitione ab eius frigore interdum œſophagus, ventriculus, os

ſtoma-

ſtomachi, inteſtina, iecur, pulmo, lien, renes, diaphragma, adeò afficiantur, vt poſt actiones ſuas integrè obire nequeant. Interdũ ab eius potu difficultas ſpirandi, aſthma, tremor, conuulſio, paralyſis. Nõ etiã iis danda, qui ſani ab eius potu lędebantur, lędũtur autẽ qui parũ habẽt carnis & ſanguinis, nam citò ad ſolidas eorũ partes perueniẽs aqua frigida eorũ temperiẽ vitiat, cũ ab ipſis partibus imbecillis vis ipſius aquæ non infringatur: tutò verò datur aſſuetis, & ab eius potu lædi non ſolitis, iuuenibus, robuſtis, obſtructione viſcerum non laborantibus. Protinus autem æger vbi hauſit aquam operiatur multis ſtragulis vt ad ſudorẽ recipiendum cogatur, aut ſtatim ab eius hauſtu digito in fauces altè immiſſo ad vomitum ſe prouocet, cohibita enim tanta frigidę quantitas ſummo periculo natiuum calorem cum febrili pariter extingueret, aut ſaltẽ hepatis functionẽ impediret, ſpirandi & deglutiẽdi difficultatem, tumorẽ, cõuulſionem, & alia id genus ſymptomata inferret. Quin meatus obſtruens, & morbi materiam impingens morbũ diuturniorẽ faceret. Neq; verò ſola venę ſectione & aquę frigidę potu, ſed etiã aliis remediis ſanguinis feruorem temperantibus oppugnari debet Synochus, vt Epithematis factis ex aqua Roſarum, plantaginis, cichorij, ſolani, aceto roſato, puluere elect. triaſantal, & camphoræ, illitu ſpinæ dorſi ex oxyrrhodino, iulepis & apozematibus refrigerantibus, & humectãtibus, frõtalibus, fronti & temporibus adhibitis. Nota tamen quod frontalia die critico quarto ſcilicet & ſeptimo & 14. tollẽda, ne hæmorrhagiam è naribus, quæ hãc febrẽ ſoluere conſueuit impediãt.

Si aluus ſit adſtricta detur clyſter remolliens, refrigerans, & humectans, bolus è caſſia, aut infuſio fol. ſennæ. & Rhabarb. in decocto rad. cichorij, oxalyd. oxylapath fol. portulacæ, lactucæ, capillarium, ſem. frigid. maiorum, prunorum tamarind. hordei, his accedat victus refrigerans, & humectans, tenuis tamen, quia magna ſanguinis copia febrem excitat. Abſtineat ergo æger vſu vini, carnis, vitellorum ouorum, & ſimilium, quæ multum ſanguinem generãt, & calfaciunt, vtatur iuſculis ex herbis refrigerantibus, & butyro cum omphacio, prunis acidis coctis, pomo cocto, hordeo mundato, tempus exhibendi cibi eſt, quo æger dum ſanus eſſet cibari conſueuerat, quod vt & in Synochis, ſic & in aliis omnibus febribus continuis, quæ eodem tenore citra vllam exacerbationem feruntur eſt obſeruandum. Aliis etiam interiectis horis, cibus leuior, vt galatina exhiberi debet, ſi adſit viriũ infirmitas. Potus ſit aqua ſimplex cruda vel cocta, vel quæ attenuata agitatione, aut crebra transfuſione ab vno vaſe in aliud vas, aut in quam immerſus ſit panis cibarius, vel ptiſana, vel pomaceum, ſecundarium, vel Iulep. Roſat. alexandr. oxyſaccharum, cuius hæc eſt formula. ℞. aq. præbullitæ. ℔. iiij. ſacchari. ℔. j. aceti. ℥. iiij. vel ℔. ß. vtatur in ſiti, minus tamen aceti ponatur ſi æger ſit gracilis, & attenuatus, & quo maior eſt calor eò minus ſacchari adjiciendum eſt, ne in bilem vertatur. In ſiti etiam vti poterit, ſyrup. violaceo, capill. ven. roſac. de ſucco granat. acidorũ. Conuenit etiã in hac febre emulſio, cuius hoc ſit Paradeigma. ℞. 4. ſem. frigid. maiorum recent. & mundat. ana ℥. ij. ſeminis lactucæ,

ctucæ & papaueris albi, ana ℥ j. amygd. dulc. expurgatorum, & macerat. in aq. roſ. ℥. ij. tũduntur omnia piſtillo ligneo in mortario marmoreo, affuſas ſenſim ℔ j. aquæ decocti hordei, fiat emulſio, quæ dulcorabitur ſyr. violati. ℥. iiij. hæc porrò febris magna ex parte tuto terminatur, non quidẽ vomitibus, aut alui profluuiis bilioſis, aut copioſa ſudorũ profuſione, vti aliæ febres putridæ, ſed ſolo ſanguinis fluxu interdũ per nares, & per venas hæmorrhoidales facto idque intra 3. 4. 5. 6. & 7. diẽ, niſi mutetur in Synochum putrem, tuta enim & cõmoda criſis eſt ea quæ morbi materiam detrahit, aut materialis huius febris cauſſa eſt ſanguis. Ergo ſolum ſanguinis profluuiũ hanc febrẽ perfectè iudicat: fluxurũ autẽ à narib. ſanguinẽ hæc ſigna oſtendũt: viſa rubicũda & ſplendentia inſtar candelarũ accẽſarũ ante oculos obuerſantur, ſcintillant oculi, eorũq; acies hebes & obtuſa eſt, tota facies rubet, in præcordiis ſentitur tenſio repentina, ſpiritus difficultas ægrum corripit veluti compreſſo thorace, dolor capitis adeſt grauis, diſtẽdens, pulſans, qui ab initio non inuaſerat, pulſus magnus eſt, altus, arteriæ in tẽporib. valdè pulſant & tenſę admodum apparẽt, lachrymæ ab oculis inuolũtariæ prodeunt, nares prurigine tẽtãtur, hæc enim omnia ſigna ſanguinem moueri ad ſupernas partes demonſtrãt, quæ ſigna cum aderunt certo prædicere poſſumus, quod ſanguis per nares fluxurus eſt, túmq; refrigerans nihil capiti aut fronti, nec ob vigilias, nec ob capitis dolorem apponendũ, aut ſi appoſitum tollatur, ne ſanguinem intrò reuocet, & naturæ motũ impediat. Quod ſi videamus naturã velle

criſin moliri per hæmorrhagiam è naribus, eam tamẽ eſſe imbecilliorẽ, quã vt id facere poſſit, his remediis iuuanda eſt. Incipiat æger pannos rubeos attentè, fricet nares, vngue ſcalpat vel in eas immittat ſetã porci aut equi, aut lignum in cuius extremo ſeta fuerit alligata, eáq; intra nares circũvoluatur, ſic enim dehiſcent venarũ quæ ſunt in naribus orificia. Id autẽ manè potius fiat quã alia hora, quia tunc mouetur ſanguis, fluens autem criticè è naribus ſanguis non eſt ſiſtendus, niſi ſit immodicus. Interdũ enim natura ſanguinẽ fluentẽ cohibere nequit, idémq; naturæ accidit, quod homini, qui è ſublimi in locũ decliuẽ rapitur, qui quidem motũ illũ incipit, ſed poſtea nequit ſiſtere, donec ad vallem peruenerit. Interdum autẽ accidit Synochum maculis purpureis, aut alio calore præditis ſtipati: verùm ille nunquam ſimplex, ſed venenati aëris & malignitatis particeps: cum igitur tales maculæ ſe produnt, ſi die critico coctionis ſignis concurrentibus apparent rubicundæ aut purpuræ maculæ, nec intrò remeantes cito diſparent, ſed perſiſtunt, res ægri bene ſe habet, ſi cardiacis natura corroboretur, ſudórque poſtea erumpat. Cardiacorum remediorum hæ ſunt formulæ. ℞. Aquar. ſcabioſæ, pimpinell. vlmariæ, card. benedicti. ana ℥.iij. aquæ theriacalis. ℥. iiij. ſucci citriorum, q. ſ. fiat Iulep. vtatur ſæpius. Aquam autem theriacalem ſic componimus. ℞. Scabioſæ, pimpinellæ, morſus diaboli, bugloſſi, borraginis, ana. m. ß. oxalid. m. vj. ſeminis cardui benedicti, raſuræ cornu cerui ana ℥. j. ß. fiat decoctio cum carne capi ad ℔. j. deinde pone in alembico vi-

treo,

treo, addendo mithridatij ℔ j. theriac. vener. ℥. ij. conſeruæ bugloſſ. borrag. Veronicæ, ana. ℥. iij. aquarum bugloſſi, borrag. ſcabioſæ, morſus diaboli. card. benedict. ana. ℥. iiij. fiat diſtillatio lento igne. ℞. diſtillati prædicti ℥. vj. ſyrup. violac. ℥. iij. fiat Iulep. Item cordi, hepati, carpis manuum & fronti admouebitur opiata facta ex conſeruis roſarum, violarum, ocellorum, mithridatio, theriaca, & ſimilibus extenſa ſuper linteum; at ſi illæ maculæ liuidæ ſunt, aut violaceæ, aut nigræ, aut ſubitò diſparent, introque recurrunt, & antè coctionis ſigna ferè erumpant die non critico, ſic perniciem minantur, his præcipuum curationis caput fuerit alexiteriis tum intro ſumptis, tum extra admotis venenatæ perniciei obſiſtere, vt in curatione febris peſtilentis exponetur.

SYNOCHVS IMPVTRIS.

Biliosa.

FErnelius meminit febris cuiuſdam imputris huic Synocho Imputri finitimæ, quam ſcribit ſe ſæpiùs obſeruaſſe in calidis & ſiccis naturis ex ſimplici bilis aut permiſtorum bili humorum citra putredinem efferueſcentia contractam, quam ideò vocat Synochum bilioſam, cuius hæc ſunt ſigna, Aeger poſt iram, aut famem, aut vigilias, aut dolorem vehementiſſimum, aut laborem immodicum, aut ſimilem cauſſam repète correptus eſt. conqueritur de calore acri & mordace, oris amatore, ſiti, inappetentia, capitis dolore, vigiliis,

hæc interdum ſponte, & ſolius naturæ beneficio, non hæmorrhagia, vt Synochus ſanguinea, aut alui profluuio, aut vomitib. bilioſis, aut ſudore, aut vrinarum profuſione, 2.3. aut 4. die iudicatur. tollatur externa cauſſa néue ad putridã tranſeat, detur expreſſio Rhabarb. infuſ. in aq. roſ. aut cichorij, aut in decocto rad. cichorij, oxalydis, oxylapath. graminis, aſparagi, tamarindorum, vel detur ſyrupus de cichor. compoſ. cum rheo. vel bolus ex Caſſia recent. extracta, refrigerat enim, humectat, & purgando lenit, loco caſſiæ pauperibus detur catholicum, vtatur æger iuſculis factis ex carne boni ſucci, decocta cum lactuca, pimpinella, oxalide, portulaca, & ſimilibus, vitel. ouorum ſorbilium, quibus omphacij tantillum addìtur, abſtineat à calidioribus alimentis, quorum loco vtatur refrigerantibus, & humectantibus. Pro potu detur Ptiſana, pomaceum ſecundarium, vinum oligophorum aqua dilutum, noctu ſub horam 12. dabitur cremor hordei mundati, hic enim inſigniter refrigerat, humectat, bilis acrimoniam lenit, & præterea ſomnum conciliat, amygdalatum minus conuenit quia facilè bileſcit. Si vehemens ſitis vrgeat, tutò poterit bibere aquam, prius tamẽ valdè de vaſe in vas agitatam, vt eius cruditas emendetur, maximè ſi adſint hæ conditiones, quas obſeruãdas eſſe ante eius vſum ſuperiùs diximus, nihil enim æquè ſitim, quæ per febrium ardores vehementer excruciat, compeſcit, atque aqua, vt tamen humor bilioſus refrenetur, in ea pulpa citrij pomi incoquatur, vel cum aqua miſceatur ſuccus limonum, granat. acid. ſic enim

enim ſeruabitur aquæ refrigerandi facultas, & eius mollities quæ viſcera debilitat, emendatur, & præterea bilis ardor refrenatur, vel fit iulep. ex aq. roſ. ℔. j. ſacchar. clarificati ℥. iiij. quibus interdum additur ſuccus limonum, granat. acidorum, bulliant ſimul lento igne, ſub finem additur acetum roſaceum hyeme, ſi adſit ſuccorum & aquarum penuria, ſyrup. viol. limonum, citriorum, granat. acidorum, acetoſus, oxyſacharum ſimplex dilutum cum quadruplo aquæ coctæ; niſi autem citò curetur, Synochus imputris facilè tranſit in putridam, de cuius curatione locus poſtulat, vt agamus.

CVRATIO SYNOCHI.

PVTRIDAE.

SYnochus putris cauſſas habet eaſdem, quas Imputris, ſed validiores, quæ non ſolum ſanguinem calfacere, ſed prçterea corrũpere poſſunt, inter quas præcipuè ſunt obſtructio & putridorũ occurſus. Dignoſcitur autem ab imputri magnitudine & ſymptomatum vehementia, vrinis craſſis, rubris, turbidis, & caloris acrimonia, huic obnoxij ſunt quib. ſanguis multus ſed billioſus, quod ſi diu perſeueret facillimè tranſit in Continuam Tertianam, & in febrem ardentem, quæ Cauſus dicitur. Omnium deterrima eſt, quç perpetuo increſcit, ab hac verò quç æqualiter affligit, minimè verò omnium periculoſa, quæ ab initio decreſcit:

Synocho putri idem victus conuenit qui Imputri. Idem etiam refrigerantium & humectantium remediorum vſus, tam intro aſſumptorum quã extrinſecus admotorum. Miſſio etiam ſanguinis, cuius maior aut minor quantitas detrahetur pro plenitudinis & virium ratione. Præterea purgatio blanda & lenis ex fol. ſennæ, & Rhabarb. infuſis in decocto refrigerante. Clyſteres etiam remollientes, refrigerantes, humectantes, quibus non adduntur olea, quia citò putredinem & calorem concipiunt. Ardor etiam ſanguinis temperabitur ſyrupis refrigerantibus, humectantibus, & bilis acrimoniam obtundentibus iam dictis in cura Synochi imputris. Sic enim humorum coctio & maturatio accelerabitur, quam temperatior calor facere aſſuetus eſt, vt febrilis, deprauatè. Secundo ergo morbi die ſanguis mittetur, præmiſſo tamen clyſtere & tertio ſi ita videbitur, dabitur expreſſum Rhei. Quartus dies diligenter obſeruandus, nam ſi in eo criſis adſint indicia, ſperandum eſt die ſeptimo morbum iudicatum iri, vel hæmorrhagia, vel alui profluuio, vel ſudoribus A. 4. ad 7. ſi prius ſanguinis miſſio plenitudini non ſatis fecerit, rurſus mittetur è baſilica ſiniſtra, ſi prius dextra ſecta eſt. Interim Iecori adhibebuntur Epithemata refrigerantia, fronti & temporibus frontalia hora ſomni, & hora 12. nocturna dabitur hordeum mundatum. Interim in refrigeratione, & humectatione omni ſtudio incumbendum, & naturæ conatus expectandus diebus contemplatoriis & criticis. Quod ſi his diebus ingens compareat ſudor, aut

ſanguis copioſè profluat à venis narium, aut ſuccedat alui profluuium, ægerque ſe poſtea bene habeat ſignum eſt criſim fuiſſe perfectam, tuncque nihil moliri debemus, iuxta 20. aph. ſect. 1. qui ſic habet: Quæ iudicantur & iudicata ſunt nec mouere nec aliud quidquam facere ſiue medicamentis ſiue aliis irritamentis fiat, ſed ſinere oportet. Tantum victu euchymo, & quiete vires collapſæ reparandæ. Quod ſi criſis fuerit imperfecta, & aliqua ſit recidiuæ ſuſpicio, præſcribenda eſt purgatio humori, qui febrem facit, euacuando conueniens; Nam vt habetur aph. 12. lib. 1. Quæ relinquuntur in morbis, poſt criſes imperfectas, recidiuas facere conſueuerunt.

CVRATIO FEBRIVM CONTINVARVM.

FEbres omnes quæ continenter fatigant aut concluſæ ſunt, quarum cauſſa in maioribus venis continetur, aut ſymptomaticæ, quę viſceris alicuius inflammationem, aut aliam prauam affectionem ſequuntur. De concluſis primùm, dein de ſymptomaticis agemus. Cum ſanguis contentus maioribus venis corrumpitur & putreſcit, aut quod ob obſtructionem non euentiletur, aut quòd vitio aliunde influente deprauetur ſpontaneæ laſſitudini febris ſuccedit nullo horroris aut rigoris ſenſu, niſi fortè è capite defluat deſtillatio, aut bilis à venis in primam corporis regionem decumbat, tunc enim horror aut fri-

gus corripit, tanquam intermittens febris inuaderet, nec tamen hic horror aut frigus aliis diebus recurrit niſi fortè criticis, & tunc eum rigorem vehementiſſimum corripit ſudor, qui febrem ſoluit. Siue autem ab horrore, ſiue ſine horrore, prægreſſa laſſitudine, aut etiam citra laſſitudinem, repentè poſt admiſſum errorem, vt iram aut crapulam, aut motum corporis vehementiorem, febris oritur, niſi continua ſit, primo aut ſaltem ſecundo die finitur acceſſio, & ideo quoties extra ſecundum diem porrigitur mœror, ſuſpecta futura ſit continuitas. Cuius certa erit coniectura ſi æger ſit obnoxius continuis febribus, nam in familiares morbos facilis eſt relapſus; Et ſi impuram habeat ſecundam corporis regionem, & præterea ſi eo tempore febres continuæ populariter graſſentur. Cum enim continuarum febrium magnus eſt prouentus etiam ſi prima morbi inuaſio intermittentem febrem fore polliceatur, metuenda tamen ob commune aëris vitium continuatas. Cum igitur continua febris putatur, ſub primi diei finem, quo videlicet tempore acceſſio intermittentis deſineret, Clyſter remolliens & detergens rectè iniicitur, vt poſtridie perſeuerante febre venæ ſectioni locus ſit. Primo tamen morbi die ſi plenitudo vaſorum & ſymptomatum ſæuitia poſtulet vena ſecanda. Poſtridie venæ ſectionis purgatio datur, ſed blanda, quæ duntaxat è prima corporis regione vitioſos humores eliciat. Nam qui in principio augmento & vigore continuarum febrium catharticis validioribus acribus & malignis,

lignis, vt Scammonio, Colocynthide, & ſimili-
bus impuritatem venarum maiorum exhaurire
nititur maximo ægrorum damno id facit, Nam
præterquam quod de crudo adhuc humore ſan-
guini miſto minimum magnis ferè tormini-
bus detrahit, naturæ etiam concoquentis co-
ctionem, adeóque criſim interturbat, om-
nia confundit, calorem febrilem incendit, & vi-
res debilitat, de quarum cuſtodia medicus de-
bet valdè eſſe ſollicitus. Præterea motu violento
humores exagitat, eóſque in maiorem putre-
dinem adducit. Caſſia ergo catholicum, ſenna,
Rhabarb. & quæ ex his comparantur, non verò
diaphænicum, diaprunum laxat. elect. diacar-
thami, aut de ſucco roſarum & his ſimilia vſur-
panda ſunt. Non enim conandum eſt primis
diebus continentem febris cauſſam radicitùs
tollere per cathartica, ſed tantum anteceden-
tem, quæ è iecore & cyſti fellis & prima corpo-
ris regione in venas maiores effertur, & obſtru-
ctiones venarum meſaraicarum, per quas po-
ſtea natura concoctum humorem expurget, ſol-
uere. Prima corporis regione blandiore cathar-
ſi deterſa, niſi venarum plenitudini, ſecta ve-
na, ſatisfactum eſt, repetitur ſanguinis miſſio
quarto 5. die, habita tamen criticorum dierum
ratione quæ poſtea tradetur. Sanguis enim bis
térve in plethoricis ad continuæ febris curatio-
nem tutò mittetur, hocque remedio vnà cum re-
frigerantibus & putredinem inhibentibus pluſ-
quam catharticis in primis morbi temporibus, vſ-
que ad declinationem, profici experiẽtia docuit.

Nam declinante febre concocto ſcilicet humore cathartica neceſſaria, quæ morbi reliquias demant. Secatur autem baſilica dextra ſæpius, Interdum etiam, cum lien laborat, ſiniſtra, & in validis corporibus ſemel 10. aut 12. ℥. detrahere poſſumus, in imbecillioribus minorem ſanguinis copiam demimus, ne vires in eis proſternantur, quarum robore opus eſt ad concoquendam morbi cauſſam. Cúmque paucæ febres eodem tenore fatigent, oportunius mittendi ſanguinis & exhibendi cathartici tempus in iis quæ exacerbationes habent deligendum id, in quo æger ſe melius habet, ſcil. in continuis quotidianis, quæ à meridie reduplicantur, matutino tempore; In tertianis continuis, quæ tertio quoque die exaſperantur, aut in quartanis continuis, quæ quarto quotidie die atrocius fatigant, vena ſecabitur, aut purgatio exhibebitur eo die qui liber eſt ab exaſperatione, quia ſcilicet eo die æger ſe minùs malè habet. Victus ſit refrigerans & humectans. Concedimus iuſcula carnium boni ſucci alteratarum herbis refrigerantibus, oua tremula, aqua liquidior, carnis vaporatio elicita gelatina, ius feruore conſumptum, caro intincta omphacio, ſucco citriorum, aurantiorum, expreſſus aſſorum ſuccus, quem tamen quidam alere magis & calefacere volunt quàm vt acriter febricitantibus concedi debeat, ſed eius calor retundi poteſt ſucco citrij, aut omphacio. Potus ſit aqua ferueſacta, ptiſana, pomaceum ſecundarium, aqua vini albi aut ſacchari momento conſperſa, hydromel quod minùs quidem quàm

ptiſana

ptiſana refrigerat, ſed magis abſtergit & aperit. Quod ſi ſummus adſit ardor, & ingens ſitis, metúſque ne æger nimis exareſcat, danda frigida, qua nihil ad extinguendum calorem validius, cuius quantitatem ex tempore, regione, ætate, conſuetudine & natura metimur. De idonea cibi quantitate ita ſtatuendum. Veteres quidem, primis totius morbi diebus, vſque ad quartum, à cibo & potu abſtinendum prorſus putarunt, & alij humorem noxium minui & digeri ſi nullus nouus cibus accederet, ſicque tenuiſſimo victu, qui pura eſt inedia, vtebantur, quarto verò die cibum dare incipiebant, & ſequentibus diebus contra Hippoc. doctrinam, vberius alebant dum febris prorſus eſſet ſublata. At verò non tam exquiſitè tenuis victus imperandus, nec vires inedia conuellendæ, ſed tenui cibo ſuſtinendæ, vt facilè & venæ ſectionem & purgationem ferre poſſint, adeóque vix vllo die æger cibo abſtinere poteſt. Quod ſi febris ſit peracuta, quæ vltra 4. diem non producatur, ſtatim dum incipit, vigorem attingens, ſtatim quoque victu tenuiſſimo vtendum. Quod ſi peracuta ſit, quæ excurrat vſque ad 7. diem ſimpliciter tenui. Si verò ſit acuta quæ in diem 14. produci poſſe videatur paulo pleniore; ſemper autem cibus initio ſit plenior ſenſimque minuatur dum febris ſuum vigorem attingat, in quo tenuiſſimus dandus, ſic vt in ſummo vigore ſummè tenuis ſit, incremento tenuis, initio aliquanto plenior quo tamen vires corpus non acquirat, ſed ſolum paulò infirmiores confirmet, vt morbum coquere, &

purgationes tum artificioſas, tum ſpontaneas ferre poſſint, & ne ante vigorem deficiant, nec tamen nutrire, & naturam à morbi concoctione ad cibi concoctionem reuocare cogamur. Quæ incommoda vt fugias, victus potius paulò plenior quàm tenuior initio conuenit, quia nimis tenuis pleniore periculoſior eſt, & error ex tenui quàm ex pleno grauior, quem & difficilius ægri ferunt, vt eſt in aph. 4. ſect. 1. hora nutriendi conuenientiſſima eſt in qua æger ſe meliùs habet. Ergo in ipſis exacerbationibus cibo abſtinendum, niſi fortè aut ætas, aut virium imbecillitas prohibeat. Interim iulepis & apozematibus refrigerantibus, humectantibus, bilis acrimoniam contemperantibus, putredinem inhibentibus, & obſtructiones ſoluentibus locus erit. Occurrendum etiam ſiti, dolori capitis, inquieti, & aliis febrilibus ſymptomatis iis remediis, quæ poſtea in particulari tractatu exponemus. Inclinante verò febre, niſi fortè cauſa illius criſi perfecta, quod rariſſimè contingit, fuerit euacuata, purgatione identidem repetita, eaq; validiore quàm fuerat initio morbi, quia humor erat adhuc crudus præſcripta, detrahitur, aucta etiam cibi quantitate, & ſi ante febrem obſtructio lienis aut hepatis inerat, & tum purgantibus & alterantibus introſumptis, tum aperientibus fotibus litibus & emplaſtris extra admotis profligabitur, vt poſtea particulatim docebitur, cùm agemus de viſcerũ affectib. Quòd ſi maligna aëris qualitas populariter graſſetur, cardiaca interiicienda, quæ cordis robur tuentur, & tum aliquantò reuerētiùs vena ſecanda,

ſecanda, & purgandum, ne profuſis ſpiritibus & exagitatis humoribus vitalis facultas concidat. Sed de ſingulis febribus contiuis earúmque criſibus acuratiùs & minutiùs diſſerendum.

Febres ergo continuæ interdum ab horrore vt intermittentes inuadunt, qui tamen vt ſolet in intermittentib. non repetit, niſi fortè die critico, & tunc febrem continuam ſoluit, vt eſt in aph. 58. ſect. 4. interdum ſine horrore à ſpontanea laſſitudine antegreſſa corripit. Quæ ab horrore inuadunt, vel à fluxione oriuntur, quæ è capite delabens, non ſolùm externas partes & ſubcutaneas irrigat, ſed etiam venas & arterias, omniaq; conturbans putredinem & inflammationem acceršit. Quæ malignitatis eſt particeps: vel à multis & vitioſis & acrib. humorib. è venis meſenterij in primam corporis regionem delapſis, quod voluit Gal. 1. ad Glauconem. Cùm diceret, continuas interdum cum leui horrore aut rigore corripere ob humoris vel quantitatem, vel inęqualitatem, vel malignitatem. Quæ verò à laſſitudine ſponte nata ſenſim inuadunt, eæ oriuntur citra fluxionem à cacochymia in venis maioribus concluſa & putreſcente. Cùm igitur ad ægrũ continua febre non multò ante laborantem Medicus accedit, ſi ab eo intelligat, febrem ſenſim citra horrorem inuaſiſſe, & ſpontaneam laſſitudinem præceſſiſſe, non dubitet eam febrem eſſe cõtinuam. Quo cognito ſic eius curationem aggredietur; ſi leue adeo principium eſt, vt nulla ſint peracutæ febris argumenta, quæ ex ſymptomatum primo & ſecundo die valde augeſcentium vehementia

cognoſcitur; Si ſit tamen acuta, quæ intra 14. dies iudicari poſſe videatur remedia non ita acceleranda ſunt. Primo igitur die ſatis ſit aluum Clyſtere ſubducere refrigerante, emolliente, & leuiter detergente. Poſtridie verò dare bolum ex caſſiæ recenter extractę ℥. j. vel expreſſione Rhei, & fol. ſennæ maceratorum in decocto oxalydis, graminis, oxylapathi, fol. capillarium, & ſimiliū. Nulla ad eiuſmodi purgationem præparatione opus eſt, ſi cui tamen ita videtur, præparabitur æger pridie purgationis Iulepo facto ex ℔. j. decocti radicum herbarum & ſeminum refrigerantium, aperientium, & hepar roborantium, in qua diſſoluentur ℥. iiij. ſyrup. capill. ven. de cichorio ſimpl. aut alterius ſimilis. Expurgatis ſimilis viis venæſectioni quæ proprium eſt continuarum febrium remedium locus eſt, quia cauſſa earum in venis maioribus contenta eſt, ſecundo quidem die, ſi primo adhibita eſt purgatio, tertio verò ſi ad ſecundam fuerit dilata. Semper enim niſi neceſſitas vrgeat purgatio debet præcedere venæſectionem, ne ſi poſtponatur, vitioſa excrementa in inteſtinis, & primis venis contenta refluant in venas maiores. Sanguinis autem detrahendi quantitatem, virium robur, magnitudo morbi & ſanguinis qualitas præfiuient. Si enim vires validæ ſint, ſi febris vehementiſſimis ſymptomatibus ſit comitata & ſanguis valdè corruptus maior quantitas ſanguinis detrahetur, ferè autem ℥. viij. aut ℥. ix. ex alterutra baſilica detrahuntur habita ratione conſtitutionis hypochondriorum; nam ſi maior ſit tenſio in liene, ſiniſtra baſilica, ſi hepar

ſi hepar magis affectum, dextra tunditur. Sequentibus verò diebus accurata animaduerſione opus eſt, vt intelligas num repetenda ſit venæſectio, aut danda rurſus purgatio, aut cunctandum dum natura ſe per criſim exoneret, quod ſic cognoſces. Si ſanguis primo detractus valdè putris fuerit, eiúſque in venis magna copia ſupereſſe videatur, repetita venæſectio magis conferet, vt etiam ſi ſola ſit plethora ſeu cacochymia, magis tamen ſi cum plethora adſit cacochymia. Sin adſit ſanguinis penuria & cacochymia purgatio tutius repetitur, ſed ea blanda ſit, nec primam regionem eius vis tranſcendat.

At ſi peracuta febris futura eſt, quæ intra 7. dies iudicari poſſe videatur, ſic acceleranda remedia ſunt, vt primo & ſecundo die ſanguis mittatur & ante 4. ſi opus ſit ſectio repetatur. Quarto verò qui criticus eſt ab vtraque euacuatione ſuperſedendum, clyſteribus tamen aluus molliendā, & iulepis apparandus, concoquendus, & refrigerandus humor, ne ſi criſis eo die futura eſſet, naturæ motus interturbetur, vt quinto repetita vacuatione locus ſit, Sexto enim die, qui in morbis tyrannidem exercet, & 7. qui peracutarum febrium iudicatorius eſt, melius eſt alterationi ſolum & concoctioni incumbere, aluo quotidie emollita híſque criticis diebus ſi grauia vrgeant ſymptomata nihil ea demulcere prohibet, vt ingentem feruorem epithematis cordi & iecori adhibitis, oxyrhodino lumbis illito, nauſeam inanem cardiacis introſumptis, & topicis ventriculo admotis, refrigerando, corroboran-

tib.& conſerua roſarum, carne cydoniorum, maſtyches, ſyrup.abſinthij & ſimilib. ex quib. fit opiata, quæ extenſa ſuper alutam regioni ventriculi admouetur, dolorem capitis, vt & vigilias oxyrrodino & frontalibus fronti applicatis; cauendo tamen ne ſoporem aut diſtillationem proritent, gallinis pullis, calentibus felibus, ac ac pulmone veruecis recens extracto capiti raſo adhibitis. Sitim gargarſmis acidulis & refrigerantibus, ptiſana & ſimilib. quę poſtea dicentur, cùm agemus particulariter de cura ſymptomatum febrium. Si criſis die 7. febrem perfectè iudicauerit, aut ſudore aut hæmorrhagia, aut alui profluuio, niſi reliquus humor intrò remanens artificioſa purgatione dematur, recidiua in propinquo eſt, ideóque octauo die medicamentum paulò quàm per initia validius, quia tunc humor magis concoctus eſt, tutò porrigitur, vt craſſior humoris pars, quæ in præcordiis fortè propter obſtructas vias ſubſiſtit, ducatur.

Si aluus per ſe mollis magnam bilis & pituitæ copiam profundat æger in tuto eſt, nec minus tamen tertio quoq; die purgatio decernenda eſt facta ex his quę viſcerum obſtructiones tollunt, & bilem vtramq; in craſſam pituitam ducant. At ſi morbũ leuauerat ſudor aliquis, aut hęmorrhagia cum alui adſtrictione, quia tota morbi cauſa in venis reſtitit, non ita ſecuta eſt leuatio. Imminet enim recidiua acceſo rurſus humore, hic ergo victu tenui & idoneis remediis concoquendus & attenuandus humor eſt. Obſtructæ viæ reſerãdę vt tertio quoq; die repetita purgatio morbi cauſam

ſam demat, eiúſq; recurſum impediat, nec priùs pręparandi ac purgandi finis fiat, quàm expeditis obſtructionibus, detractóque humore qui morbi cauſa eſt, æger prorſus ſit liberatus. Iam verò cum die critico ſudor copioſus emerſit, qui & febri & omnib. ſymptomatib. finem impoſuit, ſpes eſt criſin perfectam fuiſſe, nec tamen ei ita fidẽdum, vt ab omni medicamento purgante abſtineas: ſæpè enim magnam ſudoris euacuationem cõſequitur febris ſolutio, quæ tamen poſtea recurrit: nã profunditur tantum per ſudores ſerum, quo veluti fræno bilis intus coërcebatur, craſſior autem humor intus remanet, qui per habitum corporis nequit euacuari, idemq́; accidit quod in alembicis, in quib. vi caloris tenuiores tãtum partes ſurſum in capitellum efferuntur: in fundo autem vaſis remanent craſſiores partes eorum quæ fuerant in alembico, vt diſtillarẽtur, poſita, ſiue ſint carnes, ſiue herbæ, ſiue quid aliud. At hic humor craſſus qui intus remanet, interdum rurſus accenditur, eoq́; reaccenſo febris repetit, multò quam antè acrior & ferocior. Nunquam ergo criſi quæ fit per ſudores, multò minùs criſi quę fit per hęmorrhagiam, confidendum in febrib. continuis putridis; ſed poſtridie potiùs quod reliquum eſt craſſi humoris, idoneis medicamentis purgandum eadem methodo quæ nuper dicta eſt in imperfecta criſi. Sola igitur alui perturbatio multos vitioſos, putres, & corruptos humores excernens febrem putridam perfectè iudicat, cui tamen non ita fidendũ, vt ab omni cathartico prorſus abſtineamus. Sordent enim etiamnum præcordia & affluens alimentum corrumpunt, vnde

aut ricidiua oritur, aut alterius morbi cauſſa in corpore ſuccreſcit. Itaque multò ſit ſatius ſemel atque iterum repetito blando cathartico quod ignorauit vetuſtas, ita reliquias omnes purgare, & morbi focum abſtergere, vt omnis morbi occaſio omníſque reuerſionis metus tollatur.

Iam verò ſi acuta febris eſt quæ ad diem decimum quartum, aut 17. aut 20. protrahi poſſe videatur, haud ita acceleranda remedia ſunt ne vis naturæ inferatur. Initio quidem vtraq; vacuatione opus eſt, eáque repetita, ſi ita opus ſit. Verum cum Plethoræ quæ in venis erat per ſanguinis miſſionem erit ſatisfactum, & cacochymiæ quæ primam corporis regionem obſidebat per purgationem: nam purgatio cacochymię, vt venęſectio plethorę proprium remedium eſt. Reliquo tempore ad criſin vſque in virium cuſtodiam interponi incendij refrigerium, humoris morbifici concoctionem, & viarum apertionem incumbendum, quod victu euchymo, & Iulepis ante dictis præſtabitur, & ſi malignitas ſubeſt, quæ dignoſcetur ex nauſea, inquiete maxima, frequentibus animi deliquiis, pulſu minimo, & intermittente, & ſumma virium imbecillitate, his cardiaca erunt adiungenda: & inter 7. & 14. diem ſi coctionis ſigna in vrinis appareant medicamentum purgans repetendum, & niſi febris 14. die ſoluta eſt, rurſum inter 14. & 17. diem aliud dandum, hac arte minuta morbi materia minor fiet perturbatio in die critico. Quandiu verò in febribus putridis cruda apparent in vrinis omnia, medicamentum validius multo profectus naturæ

turæ vires atterit. Nihil enim eius humoris qui in venis contentus eſt febrem facit, educit, ſed ſolum quid crudum & inutile, magnis cruciatibus, è venis primis & inteſtinis reuellit. At cum & coctionis ſigna adſunt & vitioſorum humorum optata ſuccedet vacuatio, nihil tunc metuendum eſt. Si vigeſimo die, febris diſparuit, antegreſſa manifeſta euacuatione, ad tollendas reliquias, adeóque ad reuerſionem impediendam, purgationes conferunt. At ſi reſtincto feruore leuatiſque ſymptomatis perſeuerat, fiatque continua quam vocant ex decidentia, paulò validioribus catharticis humor contumax trahendus, & præparatione maiore attenuandus, & concoquendus eſt. hic ergo conuenit ſyrup. byſantinus, de 5. radicibus, & ſimiles in hepaticorum & ſpleneticorum decocto, quod hyſſop. abſynt. & radicem Enulæ camp. recipiat ſoluti, huius decocti tale ſit paradeigma.

℞. radicum petroſel. fœniculi, apij, in aceto maceratarum, rad. enul. camp. ana. ℥. ß. rad. graminis, & aſparagi, omnium capillarium, bugloſſ. borrag. pimpinell. ſcolopendr. agrimon. hiſſopi, abſynthij, ana. M. j. ſeminum 4. frigidorum maiorum, ℥. ß. florum trium cordial. ana. p. j. fiat decoctio ad ℔. j. in colatura diſſolue ſyr. byſantin. ℥. iiij. fiat apozema clarificatum, aromatiſatum triaſantalo, capiat ℥. iiij. bis in die ante paſtum. Præparato humore, viiſque reſeratis huius apozematis vſu locus erit purgationi comparatæ ex ſenna, rhabarb. diapruno laxat. & ſimilibus. Interim ſi in hypochondriis ſit tenſio, aut durities

ſine inflammationis ſuſpicione, commodè illinuntur olea roborantia, attenuanti, flatus diſcutientia, qualia ſunt olea roſarum, abſynthij, capparum, amygdal. amararum, rutaceum, & à fotu admouebuntur ſacculi comparati, ex rad. herb. ſeminibus aperientibus, incidentibus, & attenuantibus. hic remediorum viciſſim repetitorum continuatus vſus febrem continuam extirpat. Quod ſi concoctionis ſigna adſunt, & facilis ſit tollerantia febris, non verendum eſt bis in hebdomade catharſin repetere, ſin verò abſunt, ſemel dare ſatis erit, talis verò dieb. dabuntur pręparantia. Præterea poſt 20. diem ſanguis mitti ſepoteſt, etiam ſi ante 14. diem ſemel biſve vena ſecta eſt. Si tamen adſint, ſigna cacochymiæ ſecundæ corporis regionis, detrahendus ſanguis, ſed minore copia quàm initio, quia tunc vires debiliores. Tempus autem purgandi & cibum ſumendi in febribus continuis hoc eſt. Obſeruandum qua diei hora febris ſolet exaſperari tutius enim vel media nocte propinatur purgatio, quàm manè, ſi manè febris increſcat. Sin remiſſio exacerbationis longa eſt non ante ſolutionem exacerbationis danda eſt purgatio, ſin breuis, ſtatim declinationis principio, vt antequam altera repetat exacerbatio, abſoluatur purgationis opus. Sin febris eodem tenore perpetuo fertur, matutinum tempus veſpertino aptius Quæ autem cautio in propinandis catharticis, eadem in cibis neceſſaria eſt.

CVRA-

Curatio Febrium Continuarum Symptomaticarum.

FEbris continua acuta primaria, cuius cauſſa nullis partibus impacta, nec humore abundè affluente renouata, venis maioribus concluditur, tertia ad ſummum hebdomada finitur, niſi errore commiſſo, naturæ conatus interturbetur. Solet enim hoc temporis ſpatio natura putredinem, quæ febrem committit, venis maioribus coërcitam mitificare, concoquere, & humores morbificos putridos per aluum aut vomitum, aut ſudorem, aut inſenſibilem tranſpirationem excernere. At verò quæ febris vel à viſceris alicuius inflammatione, vel alui praua affectione fouetur, in valdè longum tempus ſæpè producitur. Sic febres continuas admodum vehementes, quarum materiam venis maioribus ſuppeditarit contumax iecoris obſtructio, ad diem 20. 27. aut vltra crudeliter exercere vidimus, quæ poſtea miteſcentes ad 40. aut 60. diem durarunt. Idem de his ſtatuendum, quæ originem ab obſtructione lienis habent primariam. Sed & aliæ ſymptomaticæ, quæ inflammationem iecoris, lienis, renum, & aliarum partium internarum conſequuntur, non prius integrè deſinunt, quàm inflammatio conquieuerit, de quibus ſuo loco dicemus, hic enim tantũ de iis a-

gimus, quæ cum, citra alicuius partis inflammationem in venis maioribus cauſſam habeant, humorem putrem, viſcerum impuritate in eas ſeſe quotidie exonerante, foueantur, nec prius integræ euaneſcunt, quàm frequenti catharſi impuritas viſcerum ſublata ſit. Cùm igitur febris continua & acuta diem 20. ſuperans, ex vrinis, faciei colore, aliiſque ſignis in longum tempus protrahi poſſe videtur, diligenter obſeruandum quæ diuturnitatis futuræ cauſſa eſſe poſſit. Si Icterus præceſſit, aut etiamnum viget, ſi in dextro hypochondrio tenſio, aut durities tangenti occurrit, aut oris amaror fatigat, ineſtque carnium inappetentia, Iecur obſtructum, fortè etiam calidum & ſiccum, morbi fomes eſt, præceſſeruntque vel tertianæ intermittentes, vel continuæ, ſin vel Quartana, vel ſine hac ſiniſtrum hypochondrium tenſum ac durum eſt, lienis impuritas in venas, irrumpit, morbúmque fouet, inſtituatur victus viſcerum affectioni quæ febrem protrahit accommodatus. Si ergo iecoris imbecillitas ſit in cauſſa potus minuendus, circumcidendáque vel prorſus, vel magna ex parte ſorbitio. Potus ſit vinum aquoſum & tenue. Sin iecur ſit calidum & ſiccius citra imbecillitatem, victus ſit frigidus & humidus, ea tamen moderatione, quæ cruditatem & obſtructiones non ingeminet. Refrigerantibus ergo & humectantibus iuſculis aperientia inſeгantur. In locum vini detur pomaceum ſecundarium, aut primarium aqua temperatum, aut priſana, aut oxyſaccharum. Cibi erunt elixi,

caro

caro pulli, gelatina. Reliquam curationem pete ex capite de cura imbecillitatis & calidi hepatis, quam trademus cum de his affectibus ex profeſſo agemus. Si Lienis obſtructio certis ſignis conſpicua eſt, nempe tumore ſiniſtri hypochondrij, dolore graui ad ſiniſtram clauiculam, protenſo, anhelitus difficultate decubitu in ſiniſtrum latus moleſto, ſputatione, frequenti rugitu & murmure totius infimi ventris, palpitatione arteriarum, tum earum quæ ſunt in corde, tum earum quæ ſunt in temporibus, & in toto corpore, & colore faciei pallido ad nigredinem vergente, Idem ferè victus qui Quartanæ conuenit. Nam & vinum, ſed tenue & dilutum, & in ſorbitionibus quæ validius aperiant & incoquant, vt rad. fœniculi, aſparagi, graminis incoquantur, tantum ab iis abſtinendum, quæ nimio calore, nimiáque ſiccitate, humorem qui in venis maioribus ſupereſt torrefaciunt, & feruorem ferè extinctum reaccendunt. Ergo miſcenda ſunt cum calfacientibus & aperientibus refrigerantia, ne dum crudos humores volumus concoquere, noui feruoris & exacerbationis febrilis occaſionem ſuppeditemus. Præterea ita reliquum incendium refrigerantibus reſtinguendum ne magis ac magis impingatur humor, geminetur obſtructio, & augeatur cruditas, vnde diuturnitas febris. Præter victum diligenter præparatio adhibenda per ea quæ aperiunt, attenuant, concoquunt, & quantum opus eſſe videbitur refrigerant, quæ dabuntur forma aut apozematis, aut Electuarij, aut puluerum.

Semel etiam aut bis in hebdomada purgatio repetenda, donec viſcerum & vaſorum impuritati ita proſpectum ſit, vt æger febris omnis prorſus ſit expers.

Febris Continua lenta, quæ obſtructiones viſcerum conſequitur, ex quibus materia ad eius continuationem in dies ſuppeditatur, aliàs per ſe aut ſenſim oritur, aliàs aliis acutis febribus ſuccedit, cum humor repreſſo ardore crudorum vſu aut immodico frigidæ potu, ita retunditur, vt nec cito concoqui, nec exardeſcere poſſit. Sed ea quæ lenta per initia fuerat, accenſo humore ferociam aliquando maiorem adipiſcitur. Quæ per ſe oritur à viſcerum obſtructione, vtraque vacuatione, nempe venæ ſectione & purgatione, primis diebus gaudet; dein vbi venarum plethoræ ſanguinis miſſione, & cacochymiæ purgatione ſatisfactum erit, reliquum curationis conſiſtit in idonea victus ratione, in humorum concoctione, & viarum præparatione catharſi ſemel aut bis in hebdomada repetita: hac tamen cautione adhibita, ne vel calidorum remediorum vſu humor accenſus febrem exaſperet, vel victu nimis refrigerante ita incraſſetur & impingatur, vt curatio ſit longior. Quod ſi fortè poſt diuturnum & methodicum remediorum deſcriptorum vſum febris nihilominus perſeueret, ægrúmq; ſenſim exſiccat & tabefacit, ſola conuenienti victus ratione oppugnanda, remediorum intermiſſione facta. Sępè enim quandiu medicamentum exhibetur (vbi præſertim praua quædam eſt viſcerum affectio diuturnitatis

tatis febris cauſſa) tandiu morbus perſiſtit, ſub quibus fatigatur natura, quæ deinde intermiſſis remediis vires reſumens morbi cauſſam concoquit, & concoctam expellit. Quæ verò febris lenta continuæ acutæ ſuccedit, aut Ægri errore, aut Medici imperitia ferè fit. Errore quidem cum nimio frigidæ potu, vel crudorum eſu æger humorem febris cauſſam nimis refrigerat & impingit. Medici verò inſcitia, cum concoquendi & purgandi noxios humores occaſionem non arripit, ſiue quod ab imperfecta criſi reliquias non detrahit, ſiue quod febrem quæ ſine Criſi manifeſta ſola coctione finitur, poſt vnam aut alteram vacuationem, naturæ committit. Quæ in viſcere aliquo focum habet ſi eius cauſſa ſit ſquallor, & ſiccitas, viſceris præcipuum remedium eſt balneum aquæ dulcis ex decocto remollientium, vt rad. altheæ, liliorum, ſeminis lini, fol. maluæ, parietariæ & ſimilium, idque citra ſudorum profuſionem. Alteratio per refrigerantia, & humectantia, tam intro ſumpta quam extrinſecus adhibita, in id ſyr. violaceus, qui lenit, humectat, & refrigerat, ex hordeacea aqua ſingulis matutinis datur, dorſum & pectus violaceo inungitur, nutritur æger cremore hordei iuſculis ex carne decocta cum herbis refrigerantibus. Tandem verò imperatur lactis aſinini vſus. Quæ autem in eius lactis vſu cautiones ſint obſeruandæ, dicemus in cura febris Hecticæ. Et ſi aluns ſit adſtricta purgabitur æger per Clyſteres communes, per Caſſiam, Catholicum, & alia cathartica lenientia.

In fœdis virginum coloribus, in leucophlegmatia, & omni prauo corporis habitu ſeu cachexia, frequens eſt febris lentæ ſpecies, non à ſiccitate viſcerum, ſed à nimio humore calorem obterente proficiſcens. Huius febris curatio perficitur ſicco victu tenuique, & remediis eiuſdem facultatis ac catharticis benignis. Eſt & alia febris lentæ ſpecies, quæ aut ex pulmonum ſubſtantia vitioſa putrique procedit, nullis remediis cedens, aut ex eadem viſcerum vt pulmonum ſubſtantia, ſeu carne obſeſſa à calida & ſicca temperie, quæ propriè eſt Hectica, μαρασμώδης Græcis dicta, de qua poſtea.

Melancholici hypochondriaci plerumque febre lenta tentantur, ad eam accedente, quæ virgines fœdis coloribus laborantes occupat, quæ tamen leui quaque de cauſſa acceſſiones maiores habet, quoties vel humor melancholicus calidis alimentis aut exercitiis vehementioribus irritatur, vel cruditas ex cibo aut potu contrahitur, vel aliquod animi pathema grauius vrget. Ad cuius febris lentæ curationem interdum calida & attenuantia remedia imperantur, cum humor melancholicus frigidus eſt craſſus & terrenus, interdum refrigerantia & contemperantia, aut ſaltem temperata, cum humor melancholicus vi caloris non naturalis torrefactus eſt, vt docebimus in cura Melancholiæ hypochondriacæ.

DE CV-

DE CVRA CAVSI SEV FEBRIS ARDENTIS.

**
*

CAuſus febris eſt continua, eaque ardentiſſima ab ardore ſeu incendio quod excitat, Ignis ab Hippocrate appellata, & bis ſymptomatis comitata, calore deurente, ſiti inexplebili, acri capitis dolore, perpetuis vigiliis, deliriis, linguæ nigredine & ſcabritie, iactatione totius corporis, ſeu in quiete ſumma ſpirandi difficultate, vrinis flammeis quæ omnia effectus bilis porraceæ aut æruginoſæ ventriculi tunitas torrefacientis, membranas cerebri ferientis, eiúſque vt & cordis ſubſtantiam incendentis, & naturales ſpiritus conturbantis. Eius enim cauſſa eſt bilis craſſa retorrida, qualis eſt vitellina, porracea, æruginoſa, exæſtuans, & putrefacta in venas & arterias effuſa. Eſt autem hæc febris morbus acutiſſimus, citò enim iudicatur vel ad ſalutem vel ad mortem, & niſi promptè occurratur quarto, aut ad ſummum ſexto die iugulat. Natura enim tantam vehementiam, quantam adfert hæc febris diu perferre nequit. Signa autem eius ad mortem hæc ſunt: Æſtus maximus cui tamen ſitis non reſpondet, Id enim indicat vel læſam eſſe mentem, vel appetitricem ventriculi facultatem extinctam, niſi fortè tuſſis adſit, quæ ſitim temperet, vt eſt in aph. quin-

quageſimo quarto ſect. quarta. Extremorum frigus, quod calorificis tolli non facilè poteſt, vt eſt aph. 1. ſect. 7. Id enim demonſtrat igneum & malignum in viſceribus calorem conceptum eſſe, qui inſtar cucurbitulæ calorem ad externas partes diffuſum ad ſe trahit. Vox clangoſa & rauca index aſperæ arteriæ corrugatæ & exſiccatæ à calore igneo. Spontaneæ lachrymæ ex oculis defluentes, id eſt citra mærorem, affectum oculi, aut vllam externam cauſſam. Tales enim fiunt à calore igneo humores in cerebro contentos colliquante, & vi retentrice exoluta. Frequens & cum colore reſpiratio & gemina intrò ſpiritus reuocatio, quæ cum fit tali ſono, qualis in flentibus auditur vt eſt in aph. quinquageſimooctauo ſect. ſexta quæ reſpiratio fit interrupto ſpiritu, ſubſiſtente ſcilicet inter reſpirandum pectore, & rurſus quod ad integram reſpirationem deeſt, adiiciente. Contingit autem ea reſpiratio in febribus ardentibus à ſumma virium imbecillitate. Cum bibendo quaſi ex alto potus cadere videtur, id indicat iam corrugari œſophagum. Sudor leuis in fronte temporibus, clauiculis, iſque frigidus & viſcoſus, hic enim proſtratam naturam indicat, aut ſi à ſudore copioſo febris augeatur, & vires minuantur, Si carpantur flocci, & feſtucæ colligantur. Horum verò ſignorum ſi nullum adeſt, aut leuia omnia ſint, vel pauca quidem & ea minus lethalia, deſperandum non eſt, vt & ſpes eſt ſalutis, ſi omninò contraria adfuerint, ſi vires valeant &

æger

ægei mente conſtet. Ad curationem huius febris idonea victus ratio præſcribenda refrigerans & humectans, bilis feruor temperandus remediis eadem facultate pollentibus, tam intra quàm extra adhibitis. Sanguis mittendus, blandis catharticis bilis euacuanda, & ſymptomatis blandiendum. Aër ergo cubiculi ſit frigidus, & ſi æſtas adſit, refrigeretur aqua è vaſe in vas ſæpius transfuſa & in pauimentum effuſa. Solum cubiculi inſternatur roſis, capreolis vitium, foliis lactucæ, nymphææ, portulacæ, ramis ſalicum, qui ſubinde debent commutari, nam ſiccati calfaciunt, neque tantum corpus extrinſecus refrigerari debet, nam, refrigeratur minùs liberè tranſpirat, vnde augetur putredo, & febris, turba etiam hominum prohibeatur, quia aërem calfacit. Mollis ſit culcitra, non tamen plumea, lintea lecti non ſint ſordida nec aſpera, & contra errorem vulgi ſubinde mutentur, niſi tamen tempus criſeos inſtet, in quo nihil mouendum, ne naturæ motus interturbetur. Lectus ſit ſpatioſus, ſi luce oſtendatur, collocetur in tenebris, aut in luce mediocri, maximè ſi vires eius ſint infirmæ. Nutriatur iuſculis pulli Gallinæ & carnis euchymæ alteratæ cum herbis refrigerantibus, lactuca, oxalide. portulaca. Vtatur gelatina ſine Cinnamomo facta, cui parum aceti additur expreſſis carnis & deſtillatis reſtauratiuis, à quibus tamen vt pote calidioribus quidam abſtinendum cenſent. Vtatur pro potu Ptiſana, aqua cocta ſaccharo condita, pomaceo ſecundario,

Immò verò & aqua fontana. Nihil enim æquè incendium bilis reſtinguit atque aqua, ſi liberalius hauriatur, his tamen cautionibus obſeruatis, quas ſuperius diximus. Opportunum autem alendi tempus eſt hora matutina, quia tunc ob aëris frigiditatem calor febrilis tepeſcere videtur. Aletur etiam bis aut ter in die & nocte cùm opus fuerit, inedia enim nocet, quia humores facit acriores. Sub horam decimam nocturnam hauriet hordeum mundatum, cui ad ſomnum ciendum addetur ℥. j. papaueris albi. Extra paſtum ſyrupi acidi humectantes, refrigerentes, bilis incendium extinguentes, vt limonum violarum, capill. ven. acetoſæ, & ſimiles conueniunt, cum octupla aqua cocti, aut aqua hordei, quibus addetur ſuccus limonum, granatorum. Prohibebitur vinum, & alius quilibet potus calfaciens. Commendantur ceraſa condita acidula, oxyachanta condita, vua immatura condita, & ſimilia, vt & mala aurantia, citria, orbiculatim ſecta, & condita aqua roſarum, & ſaccharo. Somnus quoad fieri poteſt concilietur, & imperetur quies tum animi, tum corporis, Nam per agitationem corporis bilis magis incandeſcit & irritatur. Temperabitur bilis feruor tam aſſumptis, quàm admotis. Aſſumuntur Iulepi refrigerantes & humectantes, & aqu. roſar. ℔. j. ſacchari clarificati ℥. iiij. bullitis igne lento dum exquiſitè fuerint permiſta ex duplo aquæ coctæ refrigeratæ. Si aqua Chicorij ſimul miſceatur, Iulep ingratior erit guſtui, ſed efficacior, vt autem

tem bilis feruor & putredo coërceantur, addetur ſuccus limonum, granatarum, acetum, omphacium. Sic.

℞. aquæ puriſſimæ ℔ j. aqu. roſarum ℔. ß. ſacchari albi ℥.iiij. ſucci limonum, ℥ vj. aceti ſub finem iniecti ℥.ij. vel omphacij ℥.iij. coque in Iulepum. Hyeme verò cum horum ſuccorum penuria eſt, diſſoluitur in Iulepo, ſyrup. limonum, granat. acidorum, omphacio, & ſimilib. Fiunt & Iulepi ex decocto radicum herbarum & ſeminum refrigerantium, rad. cichorij, oxalidis, oxilapathi, graminis, aſparagi, in aceto maceratarum, & fol. lactucæ, portulacæ, ſcariolæ, agrimoniæ, pimpinellæ, capill. ven. ſeminum 4. frigidor. maior, & minorum diſſoluitur ſyrup. aliquis cõueniens ſuccus limonum, acetum roſarum. Admouebuntur autem hepati & lumbis, in quibus feruor ſentitur Epithemata ex aquis roſarum, plantaginis, ſolani, cichorij, aceti roſac. addita camphora, & puluere tria ſantali, vel Ceratum refrigerans Galen. comparatum ex olei roſati quater loti in aq. roſar. ℥.iiij. ceræ candidiſſimæ ℥. ij. colliquantur ſimul, & vbi refrixerint in aquam frigidiſſimam demergantur, mox ſubiguntur ſucco ſemperuiui, aut plantaginis, aut alterius ſimilis herbæ; additur camphor. ℥.ß. fiet litus pro thorace, ex oleo roſato loto in aqu. roſarum aut viol. & hæc ſubinde commutari debent, quia ſtatim incaleſcunt. Contrectantur manibus pilæ marmoreæ, eburneæ, æneæ, aut plumbeæ. Manus etiam macerantur in aqua frigida, cui vini & aceti tantillum miſtum ſit. Plantis pedum ad-

mouentur fol. lactucæ, nympheæ aqua & aceto immerſa. Sunt qui ad extinguendum febris ardorem pulmones recens mactatorum animalium, vel columbas, vel pullos, vel catellos per longitudinem dorſi inciſos, ablatis eorum capite, pedibus, & inteſtinis, raſo capiti, pectori, plantis pedum, & hypochondriis admouent, vt tepido calore igneum foras attrahant, & laxatis poris fuliginem ab accenſis humoribus excitatam foras educant, ideóq; per accidens refrigerant, & quæ per hæc tepida inducitur refrigeratio tutior eſt ea, quæ fit per impenſè refrigerantia, hæc enim interdum obſtructis ſua frigiditate poris calorem igneum intrò repercutiunt, qui ideo euadit acutior. Sunt qui in maximo febrium ardentium incendio genitalia linteolis inuoluant in oxycrato maceratis, aut in aquis roſarum, plantag. cichorij, quibus aceti octaua pars acceſſerit.

℞. Vini ℥.ij. aquarum nymph. plantag. roſar. cichorij, ana. ℥.iij. aceti ℥.j ß. miſce pro Epithemate teſtium: Id eſt, immergatur lintea in prædictis aquis tepidis, & hoc teſtes inuoluantur. Et certè huius partis refrigeratio magnam vim habet ad temperandum ardorem viſcerum totiuſq; corporis ob eum conſenſum qui eis intercedit cum partib. principib. Et quemadmodum huic parti adhibitis refrigerantibus, hæmorrhagia ſtatim vndecunq; prodeat conquieſcit, ſic internus ardor mirè reſtinguitur, de tempore vtendi his refrigerantibus non conuenit inter Medicos: Quidam enim contendunt non tutum eſſe eorum vſum initio & augmento febrium, quod

quod obſtructis poris fuliginum liberam diſſipationem prohibent, ideóque calorem febrilem acriorem reddunt, ſed ea conuenire volunt in vigore & declinatione, quo tempore calor per totius corporis ſuperficiem effuſus eſt, verum his initio, augmento, & vigore febrium ardentium vtendum cenſeo, ſumma tamen obſeruatione adhibita, vt ſi criſis imminere ſentiatur, ſtatim ea remoueantur, ne ſcilicet ea criſin impediant. Quantum attinet ad purgantia dentur Enemata tertio quolibet die refrigerantia humectantia, & emollientia, in quibus diſſoluitur looch de caſſia, Catholicum non additis oleis, hæc enim in febribus ardentibus ſuſpecta eſſe ſolent, quia promptè incenduntur. Potiones etiam purgatoriæ præſcribuntur inter dies contemplatorios & criticos, vt natura exonerata portione aliqua bilis maiore impetu inſurgat in die critico ad eius quæ remanet, euacuationem, hæc autem Cathartica dentur. Caſſia, catholicum, infuſio rhabarb. in aqu. cichorij, ſyrup. de cichorio compoſitus, & ſimilia quæ leniendo & refrigerando, & humectando bilem euacuant. Vitentur verò ſcammoneata, nam licet optimè corrigantur, tamen augent febrilem calorem, vires reddunt imbecilliores, & viſceribus maximè nocent. At verò de venæ ſectione in Cauſo, aliiſque morbis bilioſis variæ ſunt opiniones. Auicenna enim cuius ſententiam plerique ſequuntur, in febribus ardentibus phlebotomiam tanquam ſuſpectam refugit, bilis excandeſcentiam

& incenſionem veritus. Cum enim, ait, ille ſanguis ſit veluti frænum & refrigerium bilis, nam ſuâ humiditate eius ſiccitatem temperat, ſi ſanguis euacuetur, bilis magis efferueſcet, vnde febris reddetur ardentior. Galen. contra 11. meth. cap. 15. ait ſaluberrimum in febribus venam incidere, non continuis modò, verum etiam omnibus, quas putreſcens humor concitat, vbi præſertim nec ætas nec vires prohibent. Natura enim exonerata portione ea, qua veluti ſarcina premitur, non ægrè vincet quod reliquum eſt. Et comment. ad aph. 23. ſect. 1. ſcribit in febribus ardentibus nullum remedium præſtare ſanguinis miſſioni, quem euacuari iubet etiam vſque ad animi deliquium. Eiuſdem etiam opinionis videtur fuiſſe Hippocrates, qui lib. 4. de victus ratione ſcribit, in acutis morbis ſanguinem detrahendum, ſi morbus ſit vehemens, ſi floreat ægri ætas, & vires validæ ſint. Sunt qui Auicennam ita cum Galeno concilient, quòd Auicennas loquitur de febribus aliiſque morbis verè biliosis, id eſt, à ſincera bile ſanguini non miſta genitis in corporibus extenuatis calidis ſiccis, & in æſtuoſo cœli ſtatu. In his enim non conuenit venæ ſectio, quod ſanguine educto bilis magis efferueſceret. Galenus autem loquitur de febribus aliiſque morbis non à ſincera bile ſed ſanguini miſta genitis, talis enim bilis cum non ſit prorſus exacta, & parum à natura ſanguinis recedat, debet euacuari per venæ ſectionem; & hi ita ſentiunt, quod in Cauſo exquiſito nunquam vena ſecanda, ſed in non exquiſito ſecari

vena poteſt, & ſanguis parcè mitti. Nos autem in quolibet Cauſo ſanguinis miſſionem neceſſariam eſſe contendimus, quod citò ab ea corpus refrigeretur, adeoq; furor febrilis ardoris compeſcatur, tantum abeſt vt bilis inde excandeſcat, immò verò etiam ſi demus excandeſcere, plus tamen commodi ægro accedit refrigerato per ſanguinis miſſionem corpore, & difflatis humoribus quàm noxa accidere poſſit ex bilis incenſione. Verum enimuerò bilis incēſio ſanguinis miſſionem non conſequitur, nam in ea maſſa quæ ſupereſt in venis maioribus eadem manet ſanguinis ad bilem proportio, quæ prius inerat. Immò verò (vt quibuſdam placere video) cum vena ſecatur, ſi vegetæ ſint ægri vires, & ſanguis confertim erumpit, ſolus putris & naturæ moleſtus excernitur, remanente in venis puriore. Quin etiam ſi, vt vult Fernelius, ſecta vena, humores omnes æquabiliter vacuentur, non tamen ſanguinis miſſio fuerit in bilioſis febribus noxia. Vt enim eadem maneat humorum proportio, multa tamē & manifeſta ex ſanguinis miſſione, ventilatione, & refrigerio accedit commoditas omnib. quæ proponuntur incommodis præferenda. In morbis quidem bilioſis, quorum cauſſa extra venas maiores collecta eſt, neq; ſanguini permiſta, niſi plethora adſit noxia, nedum inutilis phlebotomia cenſenda eſt, detracto enim ſanguine benigniore, ſuperuacanea bilis in proprio foco ſupereſt feruidior multò quàm dudum, ſolis purgationib. educenda. At in febribus continuis, quarum cauſſa contenta eſt in venis maioribus eáque ſanguini miſta, longè

aliter res ſe habet. Vena ergo in Cauſo primis diebus ſecanda, & repetenda ſectio, ſi ita ex vſu eſſe videatur.

CVRATIO FEBRIS HECTICÆ.

FEbris, quæ Hectica dicitur; inde nomen ſuum habet, quod ſit ſtabilis & ſolutu difficilis, vt eſt ea Qualitatis ſpecies, quæ ab Ariſtot. ἕξις, latinis habitus appellatur; vel quia non eſt amplius in diſpoſitione, ſed habitu; vel quia occupat corporis habitum, quem Græci ἕξιν vocant, vnde habitudinalis Barbaris dicitur. Per habitum autem corporis intellige omnes animalis partes duras & craſſas, quæ ſimilares vocantur: In ſumma omnes quæ ſunt in corpore, præter humores & ſpiritus, quas Hippoc. vocat, Continentia.

Definitur Febris Hectica, calor præter naturam accenſus, non ſolum in ſpiritibus & humoribus, ſed etiam in ſolidis partibus, vna ab initio ad finem acceſſione conſtans, triplicem corporis ſubſtantiam depaſcens, inde incurabilem ſiccitatem ingenerans. Etſi autem Hectica ab initio ad finem vnam tantum acceſſionem habeat, tamen in tres ſpecies diuiditur, à varia materia in quam calor febrilis agit, ſumptas. Prima ſpecies eſt, cum calor accenſus in ſolidis partibus alimentarium humorem roris inſtar effuſum, depopulatur. Secunda, cum calor increſcens carnem quæ refercit inania ſpacia inter fibras ſimilarium partium abſumit. Tertia quum abſumpta carne, calor

calor ille auctior humidum radicale depaſcitur. Per hanc calor & ſpiritus inſitus, qui in eo humore radicali reſidet, omniſq; hinc prodiens facultas admodum læditur. hinc & vires corporis languent, omnéſque functiones intercidunt.

Febris Hectica aut ſimplex eſt, aut ſolitaria per ſe incipiens, aut compoſita, eaq; vel ardentes febres, vel alicuius partis affectum comitatur. Quæ per ſe incipit, corripit naturas calidas ſiccas pauci ſanguinis, curis, mœroribus, vigiliis, laboribus aſſuetas, maximè ſi præceſſerint externę cauſſę calfacientes & exſiccantes, quę ſi leuiores ſint Ephemeram, Si verò vehementiores, Hecticam gignũt ſimplicem, ſubſtantia cordis incenſa, cui ſtatim cæterę partes conſentiunt: hæcq; ſimplex hectica non eſt putredinis particeps. Quæ verò excipit alios affectus compoſita eſt, & putredinis particeps, vt eſt ea quæ conſequitur febres ardentes malè curatas, cum ſcilicet ægris igneo calore obſeſſis, & intolerabili ſiti cruciatis interdicitur potu aquæ frigidæ, aliiſque refrigerantib. & humectantib. remediis. Igneus enim calor, nullo humore refrigeratus, vehementior fit & auctior, & adipem primum, dein carnem, poſtremo ſolidarum partium ſubſtantiam depopulatur. Quæ verò alicuius partis affectum comitatur, ſymptomatica eſt, fitque ex affectione cordis calida & ſicca, vlcere pulmonis, empyemate, Thoracis plegmone, ventriculi inteſtinorum, hepatis, lienis, renum, vteri, veſicæ, & aliarum partium, quæ inflammationem paſſæ purulentæ & tabidæ euaſerunt. Cum enim in his partibus calor diutius

perſeueret,ipſas nimium calefieri & exſiccari ne-
ceſſe eſt. Calore verò & ſiccitate ab his cordi pri-
mum , & à corde toti corpori impreſſa fit febris
hectica. Incipiens hectica nõ facilè cognoſci po-
teſt,quia corpus in ea non eſt abſumptum, facilè
tamen curari poteſt,quia in habitum nondũ con-
uerſa eſt. In ea enim humores adhuc tantum fer-
uent, neque omninò calor ſolidis partib. infixus
adhuc eſt,ſed in eas tantũ affunditur,& ob id al-
terantibus,humectantibus,& refrigerantib.pro-
fligari poteſt. Confirmata verò quæ μαρασμώδης,
dicitur immedicabilis eſt prorſus cenſenda , quia
primigenium ſeu radicalem humorem funditus
abſumit,qui reſarciri nequit. Cognoſcitur autem
μαρασμώδης ex manifeſta corporis colliquatione,
vrinis oleoſis, in quib.ſubſidet hypoſtaſis furfu-
rea & laminea,immodica oculorũ cauitate veluti
quibuſdam foueis reconditorum,magna oſſium,
quæ oculos circumſtant,eminentia,colore faciei
plumbeo,ſiccitate,ſumma duritie ac tentione cu-
tis,temporum collapſione,ventris depreſſione &
prorſus contracto extrema macie totius corpo-
ris, in quo nihil præter cutem & oſſa ſupereſt,
vnguium denudatione & incuritate , pilorum
profluuio, & ædematoſo pedum tumore.

Quæ verò Hectica in medio incipientis &
confirmatæ collocata eſt , ab vtraque diſcedens
æqualiter,ambiguum habet in curatione momẽ-
tum. Quo enim confirmatæ propior eo periculo-
ſior. quò verò magis ad incipientem accedit eò
ſpem ſalutis maiorẽ oſtentat. Si febris Hectica ſit
ſymptomatica, vt eſt ea quę conſequitur affectus
viſcerum

viſcerum, præſente morbo cuius ſymptoma eſt, curari non poteſt. Si febri putridæ complicetur difficillima curatio. Indicationes enim inter ſe pugnant. Putrida enim requirit euacuantia, quæ in hectica noxia ſunt. Quanto pars à qua oritur Hectica ignobilior eſt, tanto tardius Hectica mortem infert, quanto verò nobilior, tanto citius iugulat.

In cura Hecticæ primum obſeruandum num ſimplex ſit, aut complicata cum putrida, aut ſymptomatica, i. ab aliqua viſcerum affectione, vt ſymptoma, dependens. Si enim conſequatur aliquem viſcerum affectum, vt vlcus pulmonum, empyema thoracis, dirigenda ſunt remedia ad eum affectum, à quo oritur. Quænam autem ea ſint alibi exponemus. Sin ſit complicata cum putrida, aperiendæ ſunt obſtructiones, putredo emendanda, & putridus humor purgatione & venæſectione vacuandus, non neglecta tamen febre hectica, cui ſimul eſt occurrendum ſuis propriis remediis. At verò ſi ſit ſimplex & ſolitaria, nulli alteri affectui copulata, vnicus erit curationis ſcopus, vt refrigerans & humectans. Nullus enim in illa locus eſſe poteſt venæſectioni & purgationi. Cum enim partes ſolidę in hac febre exſiccatæ ſint, non amplius exſiccari deſiderant per venæſectionem & purgationem, immò id quod abſumptum eſt, reſarciri volunt. Itaq; ſatis fuerit in febre hectica ſimplici, febris qualitatẽ alterare, quod completur refrigerantib. & humectantibus, tum intrò ſumptis, tum admotis, & corpus reſtaurare ac reficere, quod pręſtatur vſu alimen-

torum boni ſucci, & bene nutrientium. Aër ergo ſit temperatus aut modicè frigidus. Quod ſi fuerit calidus, qualis eſſe ſolet æſtate arte refrigeretur, ne ſcilicet ex calida inſpiratione cor magis accendatur. Vt autem aër cubiculi calidus refrigerandus ſit, ſupra eſt dictum. Somnus ſit nec longior, hic enim viſcerum calorem auget. Nam in ſomno calor externarum partium foris intro repit. Nec ſit breuior, hic enim corpus magis exſiccat, minus tamen incommodi ex paulò longiore, quàm ex plus iuſto breuiore oritur: quòd in hac febre ſumma ſit viſcerum, & partium ſolidarum ariditas, quàm humectat ſomnus. Vitetur omnis vehemens motus tum animi tum corporis, vt qui calorem febrilem & ſiccitatem augeat. Exhilaretur æger quantum fieri poterit. Nutriatur alimentis refrigerantibus & humectantibus & citò alentibus, vt iuſculis comparatis ex decocto Gallinæ, pulli, caponis, vituli, veruecis, &c. in quibus hordeum ſine cortice, lactuca, & portulaca coxerint, ex vitellis ouorum, carne vituli, porcelli, phaſiani, cuniculorum, lepuſculorum, & ſimilium. Præferantur in hac febre elixa aſſis. Aſſa enim facilius inflammantur, & in bilem vertuntur, elixa magis humectant. Si tamen æger aſſis delectetur ea minus coquenda ſunt, vt minus exſiccent, & temperanda ſucco limonum, citrij, arantiorum. Commendantur etiam piſces, quia refrigerent & humectent, ſed ſaxatiles & qui tenera carne præditi, in mari aut aquis puris viuunt. Aues item montanæ; vitandæ

verè

verò paluſtres & marinæ, omnia denique calida, ſicca, ſalſa, & glutinoſum, excrementitiumque ſanguinem generantia. Inter fructus poma conceduntur, quia frigidum ſanguinem gignunt, dulcia gratiora ſunt, acida magis refrigerant. Conuenient pyra cocta, paſſulæ, nocent ficus, quia prauum ſanguinem gignunt, vt & amygdalæ, nuces, & quæ facilè inflammantur, vt butyrum, mel, allium, piper, cæpe, & quæ ſalſa ſunt, piperata, & coctu difficilia. Hordeata conueniunt parata ſine amygdalis, aut paucis, iiſque recentibus, alioqui citò inflammantur. Sunt qui contendant infirmam eſſe hecticis attractricem facultatem, ſiccitatis ratione. Siccitas enim, inquiunt, partes reddit inualidas ad attrahendum: Eadem præterea alimenti diſtributionem impedit. Ob id hecticis liquidiora alimenta præſcribunt, quod facilius concoquantur, & diſtribuantur. Alij contra cenſent hecticis, ob infixum impreſſumque in ſolidis partibus calorem, attrahendi facultatem validam eſſe. Satis inquiunt calfacta corpora attrahunt, ſed quod attraxerunt ſtatim abſumunt & diſſipant, ob id præſcribunt Hecticis alimenta ſolidiora & viſcoſa, vt extremas animalium partes, videlicet pedes vituli, veruecis, porci, carnes limacum, ranarum, cancrorum, aſtacorum marinorum ſeu fluuiatilium, carnes ſquillarum. Has enim carnes, inquiunt illi, cum ſint viſcoſæ & humidæ, facilè agglutinantur partibus hectico calore obſeſſis, nec facilè diſſipantur ab ardore febrili. Præ-

terea ſiccitatem ſolidarum partium diutius remorantur. Sunt verò qui hæc alimenta reiiciant, quia validè etiam ventriculo negotium faceſſant, ægrè enim concoquuntur. Quam controuerſiam ita ſoluimus. Quòd in incipiente hectica, dum adhuc robuſta eſt facultas coctrix conueniunt hæc ſolidiora alimenta viſcida & humida: At verò in confirmata, quia partes naturales ſunt imbecilliores non ſunt exhibenda. Difficulter enim ea concoquuntur. Sunt qui Hecticos nutriunt pullis gallinaceis, nutritis carne teſtudinum nemoralium optimè lota, & cocta in caldario aqua fontana pleno, cum multo tritico, quod etiam triticum illis pullis edendum porrigunt. Cum verò in hac febri vires ſint prorſus deiectæ, æger nutriri debet gelatina, expreſſis carnium euchymarum, & deſtillatis reſtauratiuis ſic dictis, quia vires fractas reſtaurant. Deſtillati reſtauratiui hæc ſit formula.

℞. Decocti capi, alterati cum herbis refrigerantibus. ℔. j. micam panis vnius albi in lacte infuſi, limacum præparatorum, & in lacte infuſorum, ℔. ß. pone omnia in alembico vitreo, deſtillentur in B. M. ℞. Prædicti deſtillati. ℔. j. ſaccari. ℥. iiij. cinamomi. ℥. ß. Colentur per manicam Hippocratis. Fiunt & Clyſteres nutrientes è decocto carnis vituli, pulli, capitis veruecis, in quibus non conſulimus diſſoluendam aut mannam aut caſſiam, quia vim expultricem exſtimularet, ſed ſaccarum album, potius quàm rubrum, Rubrum enim minus alit, & minus deterget) & vitellos ouorum. Parua autem debet eſſe Clyſteris

ſteris nutrientis quantitas. Maior enim compreſſis inteſtinis vim expultricem prius ſtimulat, quam ad iecur facta ſit attractio, iniici autem debent horis paſtui dicatis, & iis immiſſis ſomnus imperandus, vt melius retineatur, & concoquatur. Clyſteris nutrientis talis ſit Formula.

℞. Decocti pulli vel capitis veruecis, quar. iij. in his diſſolue ſacchari albi ℥. iiij. vitellos ouorum. No. ij. fiat Clyſter. Cum autem Hecticis conueniat alimentum concoctu facile, euchymum, & multùm nutriens, idq; liquidum & tenue, vt meatus corporis ob ſiccitatem facilè contractos ſubeat, & ob febrem nonnihil refrigerans. Sic lac his omnibus dotibus prædirum ſit, certè hecticis inter omnia alimenta conuenientiſſimum erit, præſertim vbi febris hectica vlterius progreſſa eſt. Lac enim facilè coquitur, multúmque alimenti, & eius laudabilis præbet, humectat & reficit, ſero autem ſuo nonnihil refrigerat. Cum verò multa ſint lactis genera, eligendum prę cęteris muliebre, quia naturę noſtrę magis cognatum eſt & familiare, magis etiam & plenius nutrit, vtiliuſque erit ſi ex ipſo vbere ſugatur, & ita calens è mamillis in ventriculum deſcendat. At quia multi ab eo lacte abhorrent, in eius locum vtendum vaccino, aſinino, aut caprillo. Vaccinum quia craſſiſſimum eſt plenius nutrit, ideo ſi à butyro expurgetur non erit inutile. Nam id à quo butyrum extractum non eſt facilè ratione butyri inflammatur. Præfertur tamen aſininum, id enim cum ſit tenuiſſimum & liquidiſſimum, vtpote caſeo & butyro carens,

non ita facile coagulatur in ventriculo. & ratione ſuæ tenuitatis, facilè quoquouerſum diſtribuitur, ſeróq; ſuo calorem febrilem temperat. minus tamen nutrit quàm muliebre & vaccinum. Vt autem aſininum lac plenius nutriat. Aſina in ſtabulo retinetur, alitúrque hordeo excorticato & ſecali, ſic enim redditur craſſius & minus ſeroſum, minúſq; aluum turbans. Caprillum tamen minùs flatuum gignit. Capra enim adſtringentibus magna ex parte veſcitur, vt arborum extremitatibus. Lac autem, cuiuſcunque animalis ſit, debet eſſe optimum & laudabile. Optimi & laudabilis hæ ſunt notæ. Craſſities moderata, ita vt inſtillatum in vnguem nec tardius nec citius effluat, color albus, odor gratus, ſapor nec amarus, nec acidus, nec ſalſus, ſed dulcis. Animal à quo mulgetur floreat ætate. Iunioris enim animalis lac liquidius eſt, ſenioris ſiccius. Sanum etiam ſit non morboſum. Morboſum autem cognoſcitur ex pili raritate, ex tuberculis per cutem erumpentibus, ex impetigine, ex ſcabie, & cibi abſtinentia. Sunt qui lac nigri animalis præferant lacti albi, cuius tamen nulla ſatis probabilis ratio redditur, quod tamen quidam ſuperſtitioſè admodum obſeruant. Si animal aliquem pullum lactet, is abducatur; ſi ſit aſinus, ſingulis diebus exerceatur ſtriguli & aſperis pannis perfricetur. Pòrrò in lactis vſu hæ cautiones adhibendæ. Non debet exhiberi hecticis, qui valdè febricitant, Lac enim ab igneo febris calore facilè aſſatur & corrumpitur, adeóque febrem auget. His etiam hecticis non debet præſcribi, quibus hypocondria murmurant, & qui

capite

capite dolent. Vaporoſum enim cum ſit, caput facilè replet: Et his qui diarrhæa laborant. Quibus autem prodeſt, danda eſt opera, vt inducta in cubiculum aſina, illud quàm recentiſſimè mulctum & calens adhuc è mammillis hauriatur. Nam cum vtraque qualitate ſit temperatum & tenui ſubſtantia præditum, ſi in aëre vel minimum moretur facilè corrumpitur. Nihil facilius lacte corruptionem recipit antequam concoctũ ſit in ventriculo. Bene autem ſe habent res ægri, ſi ab eius hauſtu æger nullum dolorem in infimo ventre, aut in capite ſentiat, & ſi pulſum habeat magnum & validum. Malè verò agitur cum ęgro ſi corrumpitur. Corrumpitur autem dupliciter, aliâs aſſatum, aliâs aceſcens. Aſſatur ab adurente ventriculi calore: aceſcit verò & coquitur ab imbecillo eiuſdem calore, quod idem videmus accidere lacti igne cocto, quòd in nidorem ſtatim abit, & aëri ſeorſim extra ignem expoſitum, quod aceſcit aliâs citius aliâs tardius. Aſſari autem in ventriculo intelligitur ex ructu nidoroſo, ſimili ei qui ex ouis frixis malè in ventriculo coctis erumpit, & ex pulſus mutatione, qui languidior, tardior, & rarior euadit. Aceſcere verò & cogi cognoſces ex acido ructu, ex inflatione, & diſtenſione ventriculi & torminibus inteſtinorum. Vtrique autem vitio ita occurritur. Si vtitur in ventriculo, incoquenda aquæ portio cum lacte, ſin cogatur & aceſcat ſaccarum lacti admiſcendum, non verò mel aut ſal, licet vtrumq; lactis concretionem impediat, & vt citò lac in inteſtina deſcẽdat efficiat, quia & mel & ſal hecticis noxium eſt. Primis autem diebus periculum fiat

menſuræ lactis conuenientis, datis primum eius ℥.ij. iij. quatuor. quas ſi probè concoquat ſenſim augeatur ea quantitas ad ℥.viij.vel plures, & ſic deinceps vſque ad ℔.j. Offerri autem debet manè & vacuo ventriculo, quem purum requirit, non ſolum ab omni excremento, ſed etiam ab omni cibo. Nam cibis miſtum facilè corrumpitur, ob id in lactantibus pueris antequam cibo vti incipiant raro generantur vermes. Eo autem ſumpto æger ſuper indormiat. Sic enim magis humectat & nutrit, quamuis ſomnum obeſſe quidam velint, quod eo ſuperueniente lac in nidorem facilè vertitur & tardius per aluum deſcendit, capútque magis replet. Ergo potius lacte hauſto leuiter deambulet, vt lac citius ad fundum ventriculi deſcendat, totque horæ interſint inter lactis hauſtum & prandium, quot lactis aſſumpti quantitas, & ægri natura requirit ad eius concoctionem. Nam ab alio cibo & potu æger debet abſtinere, donec lac in inteſtina deſcenderit, alioquin lac corrumpitur & cibus ſuperingeſtus. Has igitur obſeruationes ſic breuiter complectantur. Lac quod dabitur hecticis mulgeatur in vas duplex, id eſt, contineatur cyathus in alio vaſe pleno aqua calida, ne lac tepidum ſuum calorem deponat, & in fundo cyathi ſaccari albi aut roſati conueniens portio colatur, dein lac per linteum coletur, & adhuc tepidum quàm ociſſimè hauriatur, tanta quantitate quantam coquere ventriculus poteſt, idq; manè ieiuno ventriculo, aluóve prius reddita. Dein poſt eius hauſtum decumbat in lecto ad duas aut

tres

tres horas, neque tamen dormiat. Poſt ſe exerceat leui deambulatione per cubiculum, nec prandeat donec lac fuerit probè coctum & à ventriculo ſe ceſſerit, & æger fame prouocetur ad cibum. Et quia lac dentes inficit (& ſi contrarium Dioſcorides de aſinino ſcripſerit) eo ebibito æger os debet vino abluere, vt viſcoſa lactis, quæ dentibus inhæſit portio detergeatur. Et hæc remedia intrò ſumuntur. Quæ verò extrinſecus admouentur Balnea ſunt, aut vnguenta, aut Epithemata.

Balnea fiunt ex aqua dulci tepida, in qua remollientia & refrigerantia concoxerint, In quibus remanebit æger pro ratione virium. A Balneo exiens ſuperiniecto toti corpori linteo in lecto collocandus. Dein molliter linteis calidis detergendus eſt, & poſt inungendus oleo violarum amygdal. dulcium cum butyro inſulſo. Dein ægro iuſculum propinandum, aut vitellus oui, quo ſumpto, ſi poſſit, quieti & ſomno indulgeat. Admouentur etiam thoraci, hepati, lumbis, & dorſo vnguenta, & Epithemata refrigerantia, & humectantia. Quorum tamen vſus mihi non probatur, quod nihil prorſus adiumenti adferre poſſint. Nam ſolam externarum partium ſuperficiem madefaciunt, in internas autem non penetrant. Neque præterea citra maximum ægri laborem & tædium adhiberi poſſunt. Si alui fluor febrem hecticam comitetur, ille adſtringendus vſu ſyrupi cydoniorum, roſarum ſiccarum, diacydoniato, vſu orizæ coctæ in lacte, & lactis præbulliti, in quo ferrum candens fuerit extinctum. Rariſſima autem eſt hæc febris hectica in frigidis

hiſce regionibus in quibus potu liberaliore, & copioſis alimentis replemur, Maximè verò quia pomaceo in potu vtimur. Huius enim vſu viſcerum & partium ſolidarum ſubſtantiam refrigerari & humectari certum eſt. At verò ſpecies Hecticæ ex labefacta ac ſemiputri pulmonum, iecoris aut alterius viſceris ſubſtantia frequenter occurrunt. Nonnulli duos tréſve annos febre lenta conflictantur, quæ non niſi cibo ſumpto ex pulſu innoteſcit. Hæc ob inualeſcentem in dies corporis extenuationem, & febris diuturnitatem hectica à quibuſdam putatur. Sed tamen victu humectante & refrigerante, purgatione bis terve menſe repetita, è ſyrup. de cichor. compoſ. cum Rheo, vel caſſ. vel cathol. & iis quæ impreſſam in viſceribus calidam & ſiccam intemperiem delent curatur. Sic affectos malè habet non hectica febris, ſed praua quædam iecoris affectio caloris & ſiccitatis particeps, obſtructionibus, tum ipſius, tum venarum miſeraicarum, implicita. Quæ obſtructio febrem lentam fouet, vnde fit vt alterata calida & ſicca hepatis intemperies, eiúſque obſtructionibus deterſis ſenſim febris euaneſcat. Occurrunt & lentę febres ex Phlogoſi aut Eryſipelate, aut ſubſtantia viſcerum corrupta, quæ vel tabefaciunt, vel hydropem acccerſunt incurabilem. Si fortè lenta quædam febris putrida implicita occurrit, primum putrida, dein lenta profliganda. Putridę remedia fuerint phlebotomia, purgatio, alteratio, & concoctio. Lentæ dein cauſa & locus inueſtigandus, vt accommodatis remediis oppugnetur. Qui diuturno decocti Guaiacini vſu, aut viciſſim

repe-

repetitis vnctionibus ex hydrargyro, ac ſudationibus per hydrotica in maraſmum inciderunt, Victu humectante, & lactis aſinini vſu, aut Nutricis lacte è mammis ſucto, reſtituuntur, deterſa prius viſcerum impuritate per purgationes idoneas.

DE SYMPTOMATIS FEBRIVM.

NVnc de cura ſymptomatum, quæ febres comitari ſolent, diſſerendum. Licet enim non ſymptomatibus, ſed morbis à quibus ſymptomata oriuntur debeatur curatio, & curatio ſit morborum ademptio, ſymptomata autem morbi non ſint, tamen interdum quędam ſymptomata tam grauiter ægros exercent, vt ad ſe ſollicitudinem medici conuertant, quibus ita occurrendum eſt, vt interim non negligatur febris à qua prodeunt: alioquin hoc non eſſet curare, ſed potius blandiri. Symptomata verò febrium, quæ interdum, ob ſui vehementiam, curationem ad ſe trahunt, hæc ſunt: Rigor, horror, Frigus, æſtus, inquies, & oppreſſio totius corporis, laſſitudo ſpontanea, dolor capitis, vigiliæ, deliria, ſopor, ſurditas, aurium dolor, guſtus deprauatus, linguæ ſcabrities, nigredo, fiſſuræ, deglutiendi difficultas, diſpnœa, tuſſis, Syncope, inappetentia, boulimus, ſitis, nauſea, vomitus, ſingultus, dolor lumborum, haimorrhagia, ſudorum profuſio, alui profluuium, conſtipatio, & icterus, de quibus ordine, qui propoſitus eſt, agemus.

DE RIGORE, HORRORE ET FRIGORE.

Rigor tam in continuis, quàm in intermittentibus febribus infeſtat, ſed in his non niſi initio acceſſionis, At in illis non niſi in declinatione totius morbi oritur, natura bilioſum humorem intra venas maiores concluſum in capillares, & ex his intra carnem & cutem deponente, quas partes exquiſito ſenſu præditos cum acriter pungit & vellicat, fit moleſtiſſimus doloris ſenſus: & ſtatim rigor vehemens conſequitur, neruoſis partibus ad id quod moleſtum eſt expellendum ſe contrahentibus, & ſimul calore & ſpiritu influentibus intro in cor raptis. Mirum autem eſt, quod per Rigorem & habitus externus dolore afficitur, & tam ſpiritus & ſanguis ad interiora relabitur: cùm contrà in aliis doloribus humores ad partem affectam confluant. Id autem ex dolorum diſcrimine contingit. Nam mediocres dolores humores ad ſeſe attrahunt, magni verò vſque ad cor perueniunt, quod dolens maximam partem ſanguinis & ſpiritus ad ſe reuocat. Neque id tantum magno dolori, ſed & ſubitaneo, & repentino contingit, & hunc Rigorem ſudor propriè ſequitur. Interdum vomitus, aut alui fluor bilioſus, & hanc euacuationem rigoris comitem ſequitur febris ardentis ſolutio, vt eſt in aphor. 58. ſect. 4. quem aphor. verum eſſe experientia quotidiana demonſtrat, ſi nempe ille rigor

rigor ſequitur ſigna coctionis, & ſi die critico, vt 7. accidit. Nam ſi die ſexto accidit pernicioſus eſt, quia difficile iudicium adfert, vt eſt in aphor. 29. ſect. 4. Quod ſi à ſudore repetat rigor & horror, id malum eſt, vt etiam eſt in aphor. 40. ſect. 7. Signa enim decretoria quæ non decernunt, mortem, aut longitudinem morbi ſignificant. Hic tamen notandum venit, quod rigor non eſt proprius continuarum febrium, vt eſt proprius febrium Tertianarum & Intermittentium. Nulla enim febris continua, quatenus continua eſt, aut rigore, aut horrore, aut frigore comitata eſt, quia ſcilicet bilis eius cauſſa initio in venis coërcetur, in quibus nullum rigorem creat. Non quod vt putauit Oribaſius venæ ſtupidæ ſint, id enim falſum eſt, ſed quod acrimonia bilis in venis contenta ſanguinis miſtione obtunditur. Quod ſi rigor in febre continua appareat, vel ſignificat febrem continuam proximè per Criſin ſolutum iri, vel cum continua complicari intermittentem. Frigus autem, horror & rigor cum ſint affectus, ſola magnitudine ad inuicem differentes, iiſdem remediis mitigari poſtulant, de iis loquimur qui febrium intermittentium acceſſiones præcedunt. Nam quibus febribus continuis & ardentibus ſuperueniunt, cum mali non ſint, ſi die Critico & antegreſſis concoctionis ſignis contingant, non ſunt cohibendi, quamuis diſcrutient ægrum: Cæteri verò his remediis & minui & ſedari debent; Primum ante acceſſionem, ſi vires ferant, æger corpus vehementer ad ſudorem vſque

exerceat, ſic enim multò remiſſior horror futu-
rus eſt, vel 2. aut 3. horis ante acceſſionem le-
ctum petat, & veſtibus multis cooperiatur, ca-
lentibus linteis inuolutius. Quod ſi ne ſic qui-
dem prohibeatur horror, admouentur plantis
pedum titiones aut lapides candentes vino ex-
tincti, aut lagenæ aqua calente plenæ, vt quàm
citiſſimè fieri poterit corpus incaleſcat, quod ci-
tius fiet ſi æger ſpiritum quamdiu poterit cohi-
beat. Sunt qui inter veſtes, dum riget corpus, ex-
tremas partes perfricent oleo rutaceo, irino, a-
nethino, laurino, moſcatellino, abrotani, de pi-
peribus. At quia grauis eſt vnctionis vſus, vti-
lius fuerit lintea in aqua vitæ tepida, macerare,
& expreſſa rigentibus partibus applicare, vel fo-
uere hepar, lienem, & infimum ventrem, vnde ri-
gores procedunt, fotus per ſacculos comparatos
ex rad. enulæ, cyperi, calami aromatici, ex foliis
menthæ, abſinth. ſaluiæ, rutæ, origani, pulegij,
calamenti, camemoli, meliloti, lauri, ſemine fœ-
niculi, aniſi, cumini, &c. coctis in vino albo qui-
bus concalfacta febris origine non ſolum hor-
ror diſcutitur ſed etiam viſcerum obſtructiones
aperiuntur, adeoque melior fit præcordiorum
conſtitutio. In febribus Quartanis ante horro-
ris appulſum, ceruix & ſpina dorſi aqua vitæ, vel
oleis calidis ſupradictis ad ignem, illinuntur, bi-
biturque vel aqua vitæ, vel mithridatium diſ-
ſolutum in vino albo, vel ſtillatitius aliquis li-
quor, qualem in quartanæ cura deſcripſimus,
qui calfaciat, attenuet & crudiorem melancho-
liam, quæ vaporem fundens horroris cauſſa eſt,
concoquat,

concoquat, tuncque ab eo potu æger linteo inuolutus lectum petat. Sed horum calidorum vſus in tertianarum rigore, quæ à flaua bile acri & calida oriuntur, ſuſpectus eſt, quamuis viderim quibuſdam tertianariis vinum hippocraticum ex aqua vitæ comparatum in ipſo rigore hauſtum profuiſſe, neque deeſt ratio: Tale enim vinum concoquit, attenuat, & diſſipat bilem tenuiorem: verum ſequi debet purgatio, quæ craſſiorem bilem detrahat. Si enim ea remaneat, geminantur obſtructiones viſcerum, febriſque diuturnior, & ſolutu difficilior euadit. Neq; tamen tale vinum hippocraticum continuandum eſt in prædictis febribus tertianis, eo enim ſæpè bilis ſic incandeſcit, vt ferina reddatur, adeoq; febris fit multò quàm antè vehementior. Cum valdè premit frigus ſomnus profundus & longus nocet, quia in ſomno reuocatur calor ab externis partibus ad internas, quo fit vt rigor diutius duret; Tunc etiam nocet potus. Ideoq; licet ægri in horrore ſiti vehementiſſima vexentur, à potu tamen ſunt prohibendi, quouſque accenſus fuerit calor, alioqui & rigor & acceſſio in plures horas protrahentur. Cum autem ex horrore iam æger incipit incaleſcere, ſi nauſeet, irritetur ad vomitum, vel data tepida in qua oleum commune ſit diſſolutum, vel alio fortiore vomitorio. Eductis enim per vomitum multis bilioſis humoribus, febris radicitùs extirpatur. Eodem tempore ſublatis cooperimentis æger detergendus, ne maximo intus ardore concepto ſæuior ſit acceſſio, & prout æger ſenſim incaleſcet, ſenſim quoque minuenda integumenta ſunt.

DE INQVIETE.

INquies ſeu iactatio totius corporis nunc in hanc, nunc in illam partem fit interdum ab inflammatione hepatis, aut Lienis; interdum à bile porracea & æruginoſa orificium ventriculi occupante, aut circum cor ebulliente; Interdum à multis vitioſis humoribus, qui in liene, hepate, & meſenterio cumulati, & per febrem impulſi comprimunt diaphragma, & compreſſo diaphragmate pulmones & cor, inde contingit oppreſſio ſuffocationis metum inferens, túncq; in tali cauſſa diſtentus eſt infimus venter & attrectatus indoleſcit. Interdum & idem in venis maioribus turgens huc & illuc corpus inquietum ſuo modo ferri cogit. Interdum verò in habitum corporis partéſque neruoſas effuſus, eas ſua acrimonia pungit & ſtimulat. hinc diuexatus ęger nullam ſeruat figuram decubitus, quia præſens ſemper ei grauis eſt & moleſta, vnde fit vt nunc in pedes, nunc in caput, nunc in latera lecti prouoluatur. Interdum fit ab æſtu, feruore, & incendio febris. Calor enim mobiles reddit, vt demonſtrant quibus ex phrenitide cerebrum æſtuat, vt contra frigus ſtupidos & immobiles. Interdum à ſenſu conluſionis & laſſitudinis, huius enim ratione locum ęger ſubinde mutat, quietem fruſtra quærens. Interdum & extrema corporis imbecillitas huius ſymptomatis cauſſa eſt, quæ nihil ſupra ſe tolerare poteſt. Ob id pars ſupra quam iacet ęger ſtatim fatigatur, nec amplius ferre corpus potens, ægrum ad locum in lecto mutandum

ſandum impellit. Et hæc inquies lethalis eſſe ſolet, & apparet in iamiam morituris qui etiam lectum ſubinde mutant. Si ab inflammatione hepatis aut lienis oriatur, petatur curatio in propriis eorum affectuum capitibus. Si à bilioſis humoribus porraceis & æruginoſis, vel ventriculi orificium occupantibus vel ebullientib. circum cor, vel in primam aut ſecundam regionem turgentibus, educendi ij ſunt tum vomitibus ſi eò natura repat, tum purgationibus blandis ex Caſſia, Catholico, infuſione Rhabarb. & fol. ſennę in decocto refrigeranti, tum clyſteribus refrigerantibus, & blandè humorem morbificum ad inteſtina deriuantibus. Si ab æſtu capitis aut lumborum, aut cordis oriatur, admouenda ſunt capiti animalia per medium diuiſa & exenterata, vt pulli gallinæ, felles aut pulmones veruecis, vel caput raſum illinatur oxyrrhodino. Admoueantur frõti frontalia refrigerantia & humectantia, & litus ex ℥.v. olei papauerini, in quo ſoluti ſint opij. ℈.ij. iiſdem denique remediis occurratur, quib. phrenitidi, & immodicis vigiliis. Sin ab æſtu thoracis hypochondriorum & lumborum, admoueantur his partib. epithemata refrigerantia, qualia ſupra ſunt deſcripta. Quæcunque autem fuerit inquietis cauſſa, æger quantum fieri poterit ſe in vno lecti loco contineat, & quàm minimè poterit diſiciat. Cum verò nequit amplius durare ſeſe placidè commoueat, nimia enim & frequens agitatio magis calfacit, ęſtum auget, corpus fatigat, debilitat vires, & humores longè lateq; ſpargens expulſionem illorum difficiliorem reddit.

DE DOLORE CAPITIS.

PAuci qui febricitant dolore capitis non vexantur, eſt enim hoc ſymptoma vt plurimum omnium febrium comes. Dolor autem capitis qui ratione febris accidit, vt annotauit Fernelius aut tempora, aut frontem, aut omninò anteriorem capitis partem prehendit. Qui ei vel in occipite, vel in vertice, vel circum aures figitur; aut profundior in oculorum radicibus ſentitur, etiam ſi cum febre ſuſcitetur, & incandeſcat, ſymproma febris non eſt, ſed peculiarem cauſſam habet in capite. Sæpè enim hiſce locis dolor vetus quaſi ſopitus & conquieſcens humore irritato exaſperatur cum febre. Porro capitis dolor, qui febris ratione accidit, fit à vaporibus ſurſum ad cerebrum per venas, per arterias, & per cæca quædam ſpiracula elatis. Prodeunt autem hi vapores ab humore (qui febrem facit) ebulliente vel in prima, vel in ſecunda corporis regione, interdum & ab excrementis contentis in inteſtinis, vti accidit his febricitantibus, quibus aluus aſtricta eſt. Eſt autem ille dolor vel acer, vel diſtendens, vel grauans, vel pulſatiuus. Acer fit à bile membranas cerebri exquiſito ſenſu præditas purgente, & feriente. Diſtendens à vaporis aut humoris copia membranas quibus cerebrum tum interius tum exterius contegitur, vel alias cerebri partes diuellente. Grauans verò ab humore pituitoſo. Grauantem verò capitis dolorem ſomnus comitatur, vt diſtendentem & acrem vigiliæ. Pulſatiuus fit à ſolis vaporibus in

arterias

arterias penetrantibus quas dum diſtendunt, & magis quam pro naturali conſuetudine dilatant, talem dolorem inducunt. In febribus autem intermittentibus, acceſſione ſedata, interdum poſt aliquot horas perſeuerat capitis dolor, quia ſcilicet vapor aut humor eius cauſſa tardius & difficilius reſoluitur & diſcutitur in capite, ob cranij denſitatem, quàm ille qui per habitum corporis effuſus eſt, ob cutis raritatem. Si capitis dolor non vrget vehementius, nec ſomnum impedit, nulla eget cura, nam ſublata febre ſtatim euaneſcit. At vehementior curationem ad ſe trahit, cum vel vires frangit, vel phrenitidem, tractis ad caput humoribus, acceſſit. Compeſcitur verò tum iis quæ vapores & humores ad cerebrum aſcendentes deriuant, tum iis quæ refrigerant & fluentem ad cerebrum humorem repellunt. Deriuatur & reuocatur humor, & vapor qui ad cerebrum aſcendit, purgationibus blandis, clyſteribus emollientibus, refrigerantibus, & leuiter detergentibus, venæ primum cephalicæ, dein earum quæ ſunt in temporibus ſectione, Cucurbitularum applicatione ceruici & ſcapulis, ligaturis extremarum partium, & blanda totius corporis infernè deſcendendo frictione. Repellitur verò humor & vapor ad cerebrum ruens, eiuſdem cerebri calor & ardor corrigitur refrigerantibus & repellentibus capiti admotis, quorum non aliud oxyrrhodino frequentius, id eſt aceto cui oleum roſatum miſtum eſt, cum quo etiam aquam roſarum miſcere ſolemus. Quãtitas aceti

alias maior, cum magis, alias minor, cum minus refrigerare volumus. In quo habetur ratio ætatis, temperiei, naturæ ægri, & anni temporis. Nam ſi æſtas ſit, ſi æger calidus & ſiccus, robuſtuſque, plus aceti, & minus olei ponitur. Sin hyems ſit, & æger ſit puer, aut delicatus & debilis, plus olei, minus aceti additur. In his etiam miſcetur ol. chamomel. ad aceti qualitatem infringendam, eſt enim acetum neruoſis partibus inimicum. Interdum cum aceto miſcentur aquæ roſarum, plantaginis, betonicæ ſolani. In his linteum immergitur, & expreſſum, pilis priùs per nouaculam aut forcipes detonſis, ſincipiti apponitur, renouaturque cum ſicceſcere incipit. Applicatur autem ſincipiti, quia ſincipiti oſſa cum ſint tenuiora & rariora, per eam partem tum calida tum frigida intro in cerebri interiora promptè diſtribuuntur. Admouentur autem non actu frigida ſed tepida: illa enim cerebro ſemper noxia ſunt. Quod ſi oxyrrhodino non ſedetur ille dolor, fit cataplaſma cum mica panis albi, croco, puluere betonicæ, & oleo roſarum, quod ſtupis exceptum capiti applicatur. Sed nec tantum ſinciput, ſed etiam tempora & frons illinuntur. Quod ſi his nondum ſedetur dolor, adduntur vehementius refrigerantia, vt oleum nympheæ, papaueris, mandragoræ, vnguentum populeon. ex quibus cum vel ſine cera fiat litus. Interdum & extrema neceſſitas cogit nos confugere ad Narcotica, vt ad Opium, cuius ℈.ij. diſſoluuntur in ℥.j. olei, Interdum & philoni romani. ℥.j. aut pillu. è cinogloſſo. ℈.ij. intrò ſumuntur.

Natur

Datur ad idem hordeatum mundatum in quo ſemen papaueris & opium decocta fuerint. Sed his non vtendum niſi in extrema neceſſitate, ne capite nimis refrigerato ſoporem quem mors conſequatur accerſat, & ægrum dementent. Satius enim fuerit, loco narcoticorum, blandioribus intrò ſumptis dolorem capitis demulcere, vt ſyrupo papauerino, nympheæ, diacodio ſine ſpeciebus, decoctis roſarum, lactucæ, ſeminis lactucæ, papaueris. Sic: ℞. ſeminis lactucæ, papaueris albi. ana. ʒ. ij. ſeminis hypoſcyami. ℈. ij. fiat decoctio in aqua lactucæ colata ad ℥. iiij. in quibus diſſolue ſyrupi papauerini ℥. j. ſyrup. nympheæ. ℥. ß. liniantur etiam frons & tempora oleo mandragoræ, papaueris, nympheæ, quæ in aceto lota fuerint, quibus miſcetur lac muliebre & populeum, fiunt & frontalia in hunc modum.

℞. florum roſarum, nympheæ, violarum, fol. lactucæ, ſemperviui, ana. p. j. ſeminum lactucę & papaueris, ana. ʒ. ß. tundantur cum aqua roſarum, & fiat frontale, quod applicetur poſt litum, Vel ex capitibus quatuor papaueris in puluerem redactis cum oui albo prius agitato ex aqua roſarum. Comprimatur autem caput fortiter, nam & compreſſio capitis dolorem lenit. his tamen refrigerantibus extrinſecus admouendis non vtendum, ſi adſit capitis grauitas aut diſtillatio, aut tuſſis. Vel ſi hæc ſymptomata non adſint, remouenda tamen in diebus criticis, maximè ſi criſis immineat per hæmorrhagiam è naribus, eam enim impedirent non ſine maximo ægri incommodo. Sunt qui loco refrigerantium capiti raſo pullos gallinaceos, feles, aut colum-

bas diſſectas, exenteratas, aut pulmones vituli aut veruecis adhuc calentes plures ſubinde imponunt, ita vt ſinguli non diutiùs inſideant quàm horis tribus, ne fœtore viſceribus obſint. Quorum animalium applicatio multum prodeſt, nam illo inſito ſuo calore, qui noſtro quàm amiciſſimus & cerebrum roborant, & capitis dolorem leniunt. Quidam ad capitis dolorem cient è naribus ſanguinem, experientia edocti, quod etiam fuit obſeruatum ab Hippoc. aph. 10. lib. 6. Quod capite dolentibus ſi pus, aut aqua, aut ſanguis è narib. exſtillent, ſedatur ille dolor. Sic autem ſanguis prouocatur per nares. Æger attentè res rubras aſpiciat, fortiter nares emungat, vel ſetam porci, aut aculeatas herbas in nares immittat, ſic enim dehiſcent orificia venarum quæ ſunt in naribus. Quidam tamen hac ſanguinis per nares prouocatione naturæ motum interturbari cenſent. Interim vitetur omnis vehemens & frequens capitis agitatio, immodica oris collutio, potus etiam frequens, qui caput vaporibus replet, lachrymæ, colloquium, clamor, vehemens animi motus, lux magna, fumus, canum latratus, denique ſtrepitus omnis & inſignis cuiuſlibet rei odor, vt menthæ, mentaſtri, rutæ, abſynthij, moſchi, ciuettæ, & ſimilium. Hic notandum venit, quod in dolore capitis qui ſanguinis fluxum per nares, aut vomitum criticum ſignificat, nihil moliendum eſt: Talis enim capitis dolor ab ea cauſſa contingens non ſymptoma, ſed potius ſalubre ſignum exiſtimari debet.

De Vigiliis.

Vigiliæ in febribus fiunt à calore igneo & febrili cerebrum calfaciente & exſiccante, ſpiritusq; animales variè impellente, Calor enim vigilias vt frigus ſomnum inducit, vel fiunt ab Inquiete, oppreſſione, agitatione totius corporis, vel à ſiti intenſiſſima, vel à dolore: ab iis denique rebus omnib. quæ febricitatem moleſtant & laceſſunt. Interdum verò licet hæ cauſſę, calor ſcilicet, ſiccitas, inquies, ſitis & dolor deſinit, æger tamen nullo modo dormire poteſt, cùm calidus & acer vapor ſolam cerebri ſubſtantiam intactis meningibus attingit, eamque calfacit, & exſiccat, & animales ſpiritus ſupra modum agitat, ac varie diſpergit. Eſt autē huic ſymptomati promptè occurrendum: nam ſi vigiliæ diutius perſeuerent, diſſipatis ſpiritibus, vires prorſus frangunt, conuulſionem etiam & deſipientiam, vt eſt in aphoriſ. 10. ſect. 7. accerſunt, tum quod exſiccent, tum quod ſanguinem bilioſiorem reddant, his autem ita occurritur. Si autem à ſiti aut dolore, aut ab Inquiete proueniant, hæc ſymptomata propriis remediis ſunt compeſcenda. Si à feruore & ſiccitate cerebri, cerebrum refrigerandum & humectandum. Id autem conſequimur tum extrinſecus admotis, tum aſſumptis. Admouentur olea violarum, roſ. nymph. papaueris ſucci lactucæ, ſolani, vmbilici veneris: ex his & ſimilibus fiunt epithemata, vnctiones, frontalia, frontalium frequentiſſimus vſus eſt.

℞. olei roſ. ℥.ij. aq. roſ. ℥.j.ß. aceti. ʒ.ij. agitētur ſimul cum oui albumine fiat frontale: pauca aceti quantitas additur, quia acetum vi ſua exſiccante vigilias inducit, hoc frontale fortius erit ſi populeum addas & opium. Imperantur ad idem lotiones pedum ex aqua in qua hæc fuerint decocta, lactuca, lenticula paluſtris, ſemen & caput papaueris albi, folia ſalicis, vitis, portulacæ, cucurbitę; cucumeris, ſolani, mandragorę, hyoſcyami, flores violarum, nympheæ, roſarum. In eiuſdem decocti ℔.j. adduntur ſucci lactucæ. ℥.iiij. & opij in eo ſucco diſſoluti. ʒ.j. Spongia in eo decocto bis térve maceratur, macerata in vmbra ſiccatur, dein cum erit vſus eadem rurſus prædicto liquore madefit, & tepida naribus admouetur, vt vapor illius per nares intrò ſubiens cerebrum refrigeret & humectet. Intrò ſumuntur ſyrupus papauerinus, diacodium, aqua roſarum, lactucæ, ex his, vt etiam ex decocto ſeminis & capitis papaueris albi fiunt potiones hypnoticæ.

℞. Decocti prædicti. ℥.vj. diſſol. ſyr. papauer. ℥.j. fiat potus. Cum hoc non profuerit. Interdum vti cogimur narcoticis, ſed hæc potius extrinſecus admouenda, quàm intrò ſumenda, quia ventriculo valdè nocent. In clyſteribus tamen non ita nocent, & ſomnum ſatis conciliant. Sed his narcoticis magna cautione vtendum, ne lethargum inducant, & mentem offendant. Interim ſubducantur lumen, imperetur ſilentium, æger quàm minimè poterit in lecto ſe agitet, oculos ſubinde aperiat & claudat, donec fuerit defatigatus, lintea lecti ſint bene munda, fricentur

centur plantæ pedum, & volæ manuum & blandè titillatæ contrectentur. Non conſulerem ad ſomnum conciliandum ligari vinculis extremitates partium, dolor enim inde excitatur, qui vigilias potius, quàm ſomnum inducit. Quod ſi quis velit id facere videat ne æger ſit Arthriticus, nam fluxio in articulos vi doloris conuehetur.

DE DELIRIO.

SÆpiſſimè in febrium ardentium & acceſſionum febrium intermittentium vigore mens abalienatur, interdum & initiis earundem febrium, cùm cauſſa vehemens, & principes partes imbecillæ. Declinante autem febre ardente, aut acceſſione intermittentis febris, hoc ſymptoma vt plurimum miteſcit, interdum permanet vtraque ſoluta, ſi cerebrum fuerit valdè oblęſum. Hæc mentis abalienatio Græcis dicitur παραφρενίτις, ſeu phrenitis notha, illegitima, Latinis verò propriè Delirium appellatur, diſtatque à vera phrenitide, quòd in phrenitide cerebrum primariò laboret; eſt enim phrenitis inflammatio internarum cerebri membranarum, immò & ipſius cerebri, cum febre acuta, & perpetua mentis perturbatione. At in paraphrenitide, cerebrum non primariò, ſed ſecundariò afficitur, interdum ſolo calore per continuitatem partium ad caput aſcendente. Interdum verò vapore acri feruido, & retorrido, qui inordinatè agitans, & corrumpens ſpiritus animales, & ipſam cerebri

intemperiem oblædens actiones animales corrumpit. Præterea intenſiſſimæ vigiliæ quæ nimia cerebri exſiccatione eius temperamentum vitiant delirium accerſunt, cuius imminentis hæc ſunt ſigna, Vrinæ quæ prius valdè tinctæ erant & flammeæ, nunc ſunt aquoſæ & tenues, quod contingit raptu bilis quæ vrinas tinxerat ad cerebrum. Profluuium alui bilioſum ſuppreſſum, æger importunè præter conſuetudinem obloquitur, nullam in geſtu modeſtiam exhibet, denique inſolenter petulans eſt. Præſens verò delirium facilè dignoſcitur præpoſtera ratiocinatione, & viſorum quæ aut non ſunt, aut aliter ſubſiſtunt obuerſatione. Maioris autem terroris eſt delirium, quàm periculi, nam ſæpiſſimè nullo vitæ diſcrimine accidit, & prætereito morbo aut acceſſionis vigore conquieſcit. Ferè autem, cum humor feruidus à quo excitatur deferbuerit, repreſſo delirio grauis profundusque ſopor obrepit, de quo ſequenti Capite dicemus, iiſdem remidiis delirium anteuertitur quibus vigiliæ ſedantur, & capitis dolor, nempe refrigerantibus, & repellentibus, tum intro ſumptis, tum extra admotis, quæ ſuperius dicta ſunt. Loco repellentium quidam admouent animalcula capiti recens inciſa per tergum, & inteſtinis mundata, hæc enim calore ſuo tepido cerebri feruorem contemperant, & vapores in cerebrum ſublatos diſſoluendo abſumunt. Ad idem proſunt frictiones artuum, multoque màgis dolorem inferentes ligaturæ, quia à capite vapo-

vapores auertunt. Aluus emolliatur clyſteribus remollientibus & blandè purgantibus. Præſcribuntur etiam potiones purgatoriæ conuenientes: venam ſecare non licet, quia tum adeſt morbi vigor, in quo nihil moliendum. Cucurbitæ tamen cum ſcarificatu ad reuulſionem humeris admoueri poſſunt. Conciliandus ſomnus iiſdem remediis, quæ ad vigilias iam ſunt præſcripta, vt natura, ſomno & quiete roborata humores & vapores delirij cauſas per ſudores euacuet. Nutriatur æger alimentis refrigerantibus & humectantibus, abſtineat à vino & ſimilibus. Aſſidentes id in primis caueant ne iraſcendi occaſionem ægro adferant, ſed omnia illi concedant, neque enim audiendi qui eos duriter tractari imperant.

DE SOPORE.

SOmnus qui per febres accidit, aliâs maximè naturalis eſt, qui ſcilicet in declinatione acceſſionis, aut totius febris contingit, qui denique ægrum iuuat. Nam qui ægro laborem adfert, & qui timorem, conuulſionem, & delirium facit non naturalis cenſendus eſt, & malum portendit, vt eſt in aph. 1. & 2. ſect. 2. & 67. ſect. 4. Alius non naturalis, qui initiis acceſſionum contingit. Talis enim reſte Galeno comment. in aph. 7. lib. 2. acceſſionem facit longiorem, qui humorem cauſam febris, qui initio acceſſionis affatim foras effundi incipit, intrò retrahit, ſaltem retinet, fitque

ſomnus grauis eo tempore: vel reuocatione ſanguinis, & ſpirituum ad internas partes, ob rigorem, horrorem, aut frigus, vel à copia craſſorum vaporum effuſorum ab humore viſcido à calore febrili ſuccenſo, qui in caput elati in frigidiorem humorem conuertuntur, qui dein motus & ſenſus organa replet. Alius verò ſomnus eſt præter naturam, is ſcilicet à quo febricantes excitari nequeunt, & in quem ſi excitentur ſubindè recidunt, íſque appellatur Sopor, eſtq; aliâs Lethargicus, aliâs Caroticus, aliâs Comatoſus, hícque non rarò ineptam cephalalgiæ, vigiliarum, & paraphrenitidis medicationem ſequitur, cum ſcilicet nimium refrigerantia, & narcotica ad dolorem capitis leniendum, ad ſomnum conciliandum, & deliria ſedanda fuerint extrinſecus capiti admota, vel etiam intrò ſumpta, his enim cerebrum ſtupeſcit, & animales ſpiritus concreſcũt & congelantur, inde inhabiles redduntur ad motum & ſenſum expromendum. Idem alias febris vi accidit, vaporib. ſcil. acrib. qui delirium fecerant aliqua ex parte in cerebro concretis, & in aquam conuerſis. Nam cùm feruet humor quidquid tenuius eſt diſcutitur, remanente craſſo, à quo cerebrum deinde grauatur, vnde reprimitur quidem delirium, ſed grauis & profundus ſopor eius loco exoritur. Sunt febres etiam quædam ſoporiferæ natura ſua, vt eæ quibus multa pituita viſcida in viſceribus collecta eſt, quæ fuſa à febrili calore cerebrum ingenti frigidorum vaporum copia replet: quales interdum ſunt febres quotidianæ, intermittentes, aut duplices

tertianæ,

tertianæ, aut tertianæ nothæ. Sopore correpti debent omnibus artib. excitari, metus enim ne ſomnus calorem natiuum exprimat. Excitantur autem violentis corporis agitationibus, duris frictionibus, conuulſionibus pilorum capitis, menti, pubis, altis inclamationibus, iniectionibus, clyſterum acrium, ex decocto pulegij, maioranæ, origani, calamenti, in quo infundatur pulpa colocyntidos ad ℥. j. diſſol. benedict. laxat. ℥. ß. oleum rutæ, ſal gemmæ, vt excitetur natura torpens, & reuellantur humores & vapores ad caput repentes. Ad eundem affectum infunduntur in os ex cochleari pilulæ aureæ cochiæ, & quæ colocyntidem recipiunt, diſſolutę in aq. vitæ aut in vino, inungitur palatum mithridatio, ſinapi. Admouentur ventoſæ ceruici, cute prius leuiter per nouaculam aperta, inſtillatur in oculos acetum omphacium, ſuccus limonum. Iniicitur in nares puluis ellebori, vt cōmoueatur cerebrum, & commotum calefiat, & contenta in eo pituita colliquetur. In narib. etiam admoueantur odores excitati è Galbano, aſſa fœtida. Capiti raſo inſpergitur puluis zingiberis, piperis, nucis moſchatæ, pyrethri, euphorbij, dein ſuperindatur emplaſtrum ex pice nigra, ammoniaco, pini, therebintina, addito ſulphure, & puluere, ſinapi, in aqua vitæ macerato, malaxatis omnib. cum oleo nucis moſchatæ, & addita cera ſufficienti quantitate. Quod ſi affectus ſit contumacior, admouetur capiti ſinapiſmus. Item cataplaſma ex ſemine ſinapi & ficubus, proportione ficuum ad ſinapi aliàs maiore, aliàs minore, pro ratione

magnitudinis morbi, ætatis & virium ægri. A ſinapiſmo progredimur ad medicamentum rubificans, vt à profundo capitis ad ſuperficiem humor euocetur. Fit autem ex pulpa ficuum, fermento acri, ſemine ſinapi, vrticæ, cantharidibus, ſimul incorporatis ad formam emplaſtri, dein ſuper alutam extenſis, & poſt capiti raſo applicitis. Id medicamentum breui tempore ruborem inducit, poſt bullas excitat, quib. ſuccedit vlcus ſi diutius inhæſerit. Bullæ configuntur, humor exprimitur, & vlcus diu apertum tenetur, per quod humoris cerebrum grauãtis aſſidua fiat reuulſio. Quod ſi his omnibus tentatis ęger non excitetur, verendum eſt ne dormiat, vſque ad hunc diem, in quo Chriſtus iudicabit viuos & mortuos.

DE SVRDITATE.

SVrditatis cauſſa in febribus continuis eſt bilioſus vapor ſurſum in caput irrepens, qui ſpiritum auditorium impuriorem ad audiendum reddens ſurditatem in vtraque aure inuehit. Ex bile ſurditatem contingere teſtatur aphor. 28. ſect. 4. Quibus bilioſæ exeunt deiectiones eæ ſuperueniente ſurditate ſiſtuntur, & quibus ſurditas adeſt bilioſorum deiectione finitur, vt etiam ſanguinis è narib. fluxu, vt ſcriptum eſt 60. eiuſdem lib. Obſeruatur ſæpè in febribus continuis & ſurditatem & alui deiectionem ter & quater recurrere. Ad ſubleuationem huius ſymptomatis nihil neque capiti neque auribus admouendum, ſed euacuandus bilioſus humor contentus in prima

in prima & ſecunda corporis regione; euacuatur autem per infuſionem Rhabarb. in aqua cichorij, aut fol. ſennæ in decocto refrigerante & humectante. euacuatis autem bilioſis humoribus ſurditas ſpontè conquieſcit. Quod ſi ea ſurditas à copia ſanguinis vel à vaporibus è ſanguine elatis contingat, vt ſimplici ſynocho accidit, magis confert baſilicæ dextræ ſectio, aut certè venarum quæ ſunt in naribus apertio, quod cum ſetis porcinis aut ſimilibus fiet. Vt ab iiſdem cauſſis fiunt tinnitus & ſibilus, nempe exagitatione ſpirituum auditoriorum à vaporibus excitatis à bilioſis humoribus ſurſum in aures impulſis, ſic eodem modo curantur. Quod ſi prædicta ſymptomata atrociſſima ſint aurium dolore comitata, leniendus eſt hic per ſacculos comparatos ex ſemine lini, rad. altheæ, liliorum, fol. maluæ, biſmaluæ, parietariæ, chamomeli, meliloti, anethi, ſemine fœniculi &c. præbullitis in lacte.

DE PAROTIDIBVS.

INterdum febri ſuperueniunt Parotides, quæ periculoſæ ſunt, & doloré maximum excitant, hic enim febré geminat, ac vires proſternit, vnde natura victa nequit humoré foràs propellere, qui recurrens in cerebrum mortem minatur, niſi alui fluor aut ſudor, aut alia inſignis euacuatio ſuperueniat. Cum ergo parotides ſe proferunt in febribus, repellentibus non vtendum, quia tumor ille eſt prope partem nobilem. Adde quod humor per Criſin expulſus, non eſt intrò regerendus; ſed ſi dolor vrgeat vtendum anodynis, pars

affecta illinenda eſt oleo chamomeli, liliorum,
amygdal. dulc. dein ſupponenda lana ſuccida iiſ-
dem oleis imbuta; his oleis interdum mucilagi-
nes ſeminis lini, fænugræci, altheæ extractæ in
aqua decocti chamomeli, adipes, butyrum, ad-
duntur. Quorum vſu ſi nihil proficiatur, nec hu-
mor digeri poſſit ad ſuppurantia veniendum, hic
prodeſt baſilicum, cum fermento veteri vel acri
incorporatur, vt ex intimo receſſu humor foràs
attrahatur. Quia autem humor huius morbi ma-
teria, ob ſui craſſitiem non facilè ſuppurat non
eſt expectanda perfecta ſuppuratio, ſed vbi ali-
quod leue ſuppurationis argumentum ſe pro-
fert, Parotis aperienda, vel ferro, vel cauterio po-
tentiali, quod illi parti apponetur, quæ tactu
mollior apparebit; ſic facto emiſſario pars venti-
labitur, & exigua ſanie reſudante dolor mitiga-
tur, & natura per viam arte factam ſe exonera-
bit. Reliqua curatio fit detergentibus, dein ſar-
coticis, poſtremò epuloticis, quæ omnia Chi-
rurgi potius quàm Medici.

DE GVSTV DEPRA-VATO.

GVſtus deprauatur, id eſt perperam de ſapo-
ribus iudicat, Cum vel linguæ corpus,
vel ſola illius tunica imbuitur vitioſo aliquo
vapore, vel humore bilioſo, pituitoſo, aut ali-
ter corrupto, tunc enim vis guſtandi in lingua
ſuam ſedem habens ob organum malè affectum
ab ob-

ab obiectis non ſatis afficitur: hic vitioſus humor in lingua quietus latens, vbi ab eſculentis & poculentis commouetur in lingua, corpus & molles neruos penetrat, ſuúmque ſaporem eis exhibet, quem æger à cibo & potu inductum eſſe putat. Ille autem corruptus humor, vel in ſolo linguæ corpore conſiſtit, tuncque non omninò proſtrata eſt appetentia, vel etiam ventriculum, eiuſque tunicas occupat, tuncque adeſt inappetentia. Si manente ciborum appetentia ſolus guſtus offenſus eſt, ſolius etiam linguæ & palati vitium eſt, quod frequenti lotione per aquam ſolam, aut ſecum omphacio miſtam, aut per pomaceum ſecundarium, & abſterſione per cochlear paruum & oblongum, aut per bacillum eluitur. Si verò eſt etiam inappetentia, ventriculus & in eo contenti humores accuſandi, hique idonea purgatione, eáque repetita ſunt euacuandi. Linguæ nigrities, aſperitas, ſcabrities, & fiſſuræ fiunt à fuliginoſis vaporibus è toto corpore in ſpongioſam linguæ carnem elatis, & in ea inhærentibus, vt enim fuligo ex accenſis lignis ſurſum elata in externa camini ſuperficie inhæret, ibique craſſeſcit; ſic etiam fuliginoſi vapores ex ebullientibus extra vel intra venas humorib. excitati, in linguam & fauces ſublati, vbi iam non habent quò vlterius progrediantur, in ſpongioſa lingua conſiſtunt, eamque nigrefaciunt, exſiccant, exaſperant, & ob ſuam acrimoniam eius continuitatem ſoluunt. Interdum etiam in continuis febribus pituita è cerebro in os decumbens aut è ventriculo ſurſum in os per œſophagum aſcendens, vbi

febrilis caloris vi incraſſatur & indureſcit, & linguam, palatum, fauces, dentéſque lentore veluti glutine obducit, interdum albo, interdum nigro, & ſummam deglutiendi difficultatem infert. Quibus autem in febribus, vt habetur aph. 53. ſect. 4. circa dentes hic lentor obnaſcitur, hæ vehementiores ſunt febres. Siccitas & aſperitas linguæ his corriguntur, quæ valde humectant, & leniunt; vt ſyrupo violato, iuiubino, cremore hordei, ſaccharo criſtallino, penidiis ſucco glycyrrhizo in ore contentis, gargariſmate facto ex decocto hordei mund. rad. & ſeminis altheæ, fol. portulac. lactucæ, carnis cucurbitæ, ſeminis lini, florum viol. diſſoluuntur ſyr. viol. ℥.iiij. ad ℔.j. decocti. Tenentur in ore fruſta redolentium pomorum madefacta in aqua, vel panni linei madefacti in mucilagine ſeminis pſyllij, vel cydoniorum, extracta in aq. roſ. Illinitur etiam lingua butyro recenti loto in aq. roſ. nigredo linguæ iiſdem remediis delebitur, ſi iiſdem macerata lingua diligenter fricetur linteo aſperiore, vel cochleari, vel alio inſtrumento, ad id comparato. Admouentur etiam collo folia lactucæ & portulacæ, quæ in pratis naſcitur, trita & comprehenſa inter linteola. Vulgus admouet collo Cloportes. Admouentur etiam olea violarum, & butyrum recens in aqua roſ. lota, quibus veluti vſtum guttur humectari poſſit. Adduntur etiam olea recentia liliorum, nympheæ, axung. gallinæ, porci, vituli, omnia lota in aqua hordei, vt maiorem acquirant tum humectandi tum refrigerandi facultatem. Quòd ſi ſimul cum aſperitate & ſiccitate

fiſſuræ

fiſſuræ in lingua appareant, eæ curandæ ſunt iis quæ humectando agglutinant, vt ſemine cydoniorum, gummi arabico. Nam primum ſiccitas vnitatis ſolutæ cauſſa eſt corrigenda, qua ſuperata partes ad ſe inuicem diductæ ita laxantur, vt earum labra ſe attingant, tuncque leui glutine conſolidentur. Lentor dentium, linguæ, & totius oris vulgò à mulierculis vocatur (chancre) eluitur ex cochleari, vel alio inſtrumento conuenienti, vel aſpero panno. Os ſæpè diluatur vino bene diluto, vel aqua cum pauco omphacio miſta, móxque ſordes linguæ & dentibus adhærentes abſtergantur, vel cochleari, vel alio inſtrumento idoneo. Quod ſi fauces intimas lentor ille occupet, præſcribatur gargariſma ex refrigerantibus humectantibus, lenientibus, additis iis quæ incidunt, vt ex rad. altheæ, liliorum, rad. & ſemine lini, graminis, oxalidis, fol. beton. pimpinellæ, capillor. ſeminum 4. frigid. maiorum, & minorum, quibus ad inciſionem additur parum hyſſopi, & ſaluiæ. Quod ſi lentor ille obſtruat etiam œſophagum, commodè abraditur deuorato pane, aut ſi id nequeunt febricitantes, vt ſæpiùs nequeunt, abhorrent enim à pane, vt etiam ab aliis ſolidis alimentis, potione affatim abſorbenda, ſic enim potio apprimens ſe omnibus gulæ lateribus, & confertim deſcendens, lentorem, id eſt ſordes & viſcoſas in œſophago inhærentes in ventriculum deturbabit.

DE DEGLVTIENDI DIFFICVLTATE.

DEglutiendi difficultas fit à faucibus occupatis, & coangustato œſophago à fuliginoſo vapore, aut à pituita è ventriculo per œſophagum aſcendente, aut à cerebro in dictas partes defluente, eaque à febrili calore incraſſata & concreta. Nunquam tamen deprehenſum eſt, inquit Fernel. his ſolum ex cauſſis, quod tamen plurimi metuunt, fauces omninò præcludi. Accidit & hoc ſymptoma aliàs ex bilioſo ſanguine, in muſculos faucium & ceruicis decumbente; aliàs ex vertebrarum ceruicis diſtenſione excitata à neruorum in dictas partes inſertorum ſiccitate, aliàs etiam ab extrema virium imbecillitate; Lethalis ea deglutiendi difficultas eſt, quæ à conuulſione neruorum oritur, cum enim hęc conuulſio à ſiccitate fiat, incurabilis eſt. Febres enim vehementer inſtar ignis ſiccant neruos, ideóque eos tendunt, & conuellunt. Quæ item deglutiendi difficultas à ſumma virium imbecillitate oritur lèthalis eſt, hanc enim mors propriè conſequitur: At verò quæ lentis humoribus, & pituitoſis fuliginoſiſque vaporibus incraſſatis obduratiſque fauces & œſophagi introitum occupantibus prodit, curatur iis remediis quibus lentor linguæ & faucium, ſupradictis. Si tumor ceruicem occupans hoc ſymptoma excitet, admouentur collo vnguenta, linimenta, & cataplaſmata remollientia, reſoluentia, dirigentia,

& ſi nulla ſpes digeſtionis adeſt ſuppurantia, de quibus in ænigma dicetur.

De Tvssi.

TVſſis, quæ febres intermittentes præcedit, fit à vaporibus & fumis, à febrili materia initio acceſſionis commota, in pulmonem excitatis, & his à calore febrili reſolutis ceſſat. Quę verò in acceſſionibus intermittentium perſeuerat, vel in febribus continuis infeſtat, fit vel à pituita in cerebro contenta à febre liquefacta, & in pulmonem illabente, talíſque tuſſis eſt humida, vel ab intemperie calida & ſicca inſtrumentorum reſpirationi ſeruientium, talíſque tuſſis eſt arida, per quam nihil expuitur, vel fit ob refrigerationem capitis & thoracis, cùm in æſtu ſummo eæ partes denudantur. Id autem ſymptoma valdè nocet: nam commoto corpore febrem auget, adeóque dolorem, vigilias, & alia febria ſymptomata exaſperat: tamen ſitim lenit, modò non ſit vehemens, vt eſt in aph. 54. ſect. 4. qui ſic habet. Quibus in febribus tuſſes modicè irritantes adſunt, hi non admodum ſitiunt. Cuius rei hanc rationem reddit Galen. Comment. in prædict. aphor. quod ob motum tuſſi factum ex vicinis locis aliquis humor defluit, vnde quodammodo madeſcunt loca, quæ ad aſperam arteriam pertinent, quibus madefactis ſitis minor adſit. Remedia autem ad tuſſim repetenda ſunt ex proprio capite; ea autem aut nihil, aut minimùm curandæ febri noceant, ſed hanc quoad fieri poteſt, leniant.

DE DYSPNOEA.

SPirandi difficultas in febribus continuis contingit, interdum à bile in præcordiis turgente, & diaphragma, pulmonémque comprimente, interdum à ſolo incendio concepto in corde & pulmone, interdum etiam à moribundis ab extrema imbecillitate virtutis animalis, quæ thoracis muſulos mouet, & in hac cauſa reſpiratio rara eſt, & exigua, eáque frigida, & inter reſpirandum narium pinnulæ contrahuntur. Nam cum thorax debiliter mouetur, alæ naſi à parte aërem attrahunt. Adeſt etiam ſumma virium debilitas. At in illa cauſſa calida eſt & feruens exſpiratio, vrget inquies, pulſus frequens eſt & validus, in vtraque autem ſcapularum muſculi ad reſpirationem præſtandam concurrunt. Omnis autem reſpirandi difficultas in febre acuta malum portendit, aph. 50. lib. 4. Si ea contingit à bile æſtuante, Julepis refrigerantibus eius feruor, & acrimonia contemperanda, vt Julepo roſat. alexandr. Cum ſucco citriorum decocto ex rad. graminis, cichorij, aſparagi, foliis lactucæ, portulacæ, agrimonij, tamarindis, ſeminibus frigidis maioribus & minoribus. Concedendus eſt etiam potus aquæ frigidæ, ſi eam maximè expetat. Aër cubiculi refrigerandus ea ratione quæ ſupra dicta eſt. Hordeum mundatum apprimè conuenit, Venæ baſilicæ ſectio imperanda, eáque repetenda bis, ter, quater,

ter, quinquies, ſi opus ſit. Purgationes etiam præſcribendæ ex infuſione ſol. ſennæ, rhabarb. in decocto refrigerante, leniente, & bilis acrimoniam contemperante, Caſſia & Catholicum conueniunt intro ſumpta tum per os, tum per aluum. hepati epithemata admouenda ex aq. roſ. plantag. cichor. ſolan. camphoræ, aceto roſato, puluere elect. triaſantali, & ſimilibus. Thorax etiam antè & retrò vngendus eſt vnctione facta ex lacte muliebri, butyro recenti, oleo violato, ſucco papaueris, portulacæ, lactucæ, vitatis adſtringentibus, quæ thorace arctato reſpirationem reddunt difficiliorem. Quòd ſi inde tuſſis contingat, ea remediis accommodatis debet ſiſti, quæ tamen febri non noceant.

DE SYNCOPE.

SYncope horrendum febrium ſymptoma fit ab iis omnibus cauſis, quæ ſpiritus vitales alterant, corrumpunt, diſſipant, quales eæ ſunt, venenata pernicies cordi impreſſa, longæ vigiliæ, dolores acutiſſimi, omnimoda inedia, immodica, & repentè facta quęlibet euacuatio vel per ſudores, vel per alui profluuium, vel per hæmorrhagiam, bilis æruginoſa & porracea ſe altiùs inſinuans in os ventriculi, quod eximio ſenſu præditum eſt, dum enim illud pungit, & vellicat, ſyncopen ſtomachiam inducit, vel aliquis abſceſſus intro latens, è quo teter & venenatus vapor in cor vitales

ſpiritus extinguit. Interdum etiam lumbrici orificium ventriculi compungentes hoc ſymptoma excitant. Syncope niſi cibi abſtinentia, aut ſudorum profuſione, aut cauſa alia manifeſta contrahitur, perniciem portendit. Cùm præſertim per morborum initia frequenter corripit, quò fit vt febres omnes continuæ, quarum comes eſt ſyncope, ſint valdè formidabiles. Nam vel occulta quædam malignitas cor, vt in peſte, afficit, vel abſceſſus quidam intus latet, ſiue in hepate, ſiue in ſplene, ſiue in pulmone, ſiue in alia parte. Qui ſi rumpatur repentinam mortem accerſit, hoc autem periculoſior eſt ſyncope, quod neceſſaria febris remedia differat, præſertim verò venæſectionem, quæ citra calumniam vix imperatur. Cùm igitur ſyncope febrem comitatur, eius cauſa diligenter inueſtiganda, vt proprium ei opponatur remedium, malignitati quidem cardiacum, vt in peſte dicetur. Cacochymiæ verò ad ventriculum pertinenti catharticum cardiaco miſtum, vomitorium etiam, lumbricis expreſſo Rhei infuſi in aqua portulacæ, aut cardui benedicti. Hîc nota quòd in omnibus febribus ſyncopalibus blandiora cathartica exhibenda, in quibus nec turpethum, nec ſcammonium, nec alia vehementiora inſunt, ſed nec caſſia quidem exhibenda, quia ventriculum relaxat. Solus abſceſſus intro latens, nec certis ſignis ſe prodens incurabilis. Cùm autem æger ſyncope corripitur, omnis curatio ad illud ſymptoma conuertitur febre interim neglecta, hæc autem vbi ſyncope adeſt fieri ſolent. Exhibetur ex cochleari

vinum

ri vinum flauum, ſubſtantiæ tenuis, & boni odoris. Tale enim calorem per totum corpus celeriter tranſmittit. Panis aſſus vino generoſo maceratus, & planè ſaturatus cum ſaccharo & pauco cinamomo. Odoramenta ex rebus quibúſque iucundis, quibus cor & ſpiritus fouentur. Vapor panis calentis ſpiritus etiam recreat. Epithemata cordialia cordi admouentur, faciei inſpergitur aqua frigida, fiúntque quæ in proprio capite de cura ſyncopes exponentur.

DE INAPPETENTIA.

INappetentia ſeu ciborum faſtidium ferè ſemper factas febres ſolet comitari. Interdum & illas antecedit, & interdum illis ſolutis remanet per multos dies. Cauſa autem huius ſymptomatis aliàs eſt ſolus febris feruor ventriculo communicatus, aliàs ſolus teter vapor in orificium ventriculi, quod famis ſedes eſt, vndelibet elatus, aliàs etiam quilibet vitioſus humor, ventriculi tunicas & orificium imbuens. Si ab æſtu ventriculi contingat, dentur refrigerantia & acida, vt ſyrupus limonum, aurantiorum, & ſimilium. Aquæ enim potio in hac cauſa commendatur, modò nihil eius vſum prohibeat, & ſimilibus feruor ille obtundi debet. Si præterea vitioſus humor cibi faſtidium pariat, detur blanda catharſis. A quacunque verò cauſa procedat, offerantur cibi non ingrati ægro; nam vt eſt in aph. 38. ſect. 2. Paulò deterior, ſed ſuauior cibus & potus, meliori, ſed inſuauiori præferendus.

Nam quæ cum voluptate aſſumit ventriculus, ea & validiùs amplectitur, & faciliùs coquit. Per rara autem interualla cibus offeratur: frequentior enim & copioſior inappetentiam vel ſanis inducit. Condiatur verò ille cibus modò tuſſis abſit, omphacio, aceto roſato, ſucco limonum. Quòd ſi æger ita abhorreat ab omnibus alimentis, vt nihil prorſus ore ſumat, iniiciendi ſunt clyſteres nutrientes, de quibus ſupra diximus. Soluta febre ſi remaneat inappetentia, æger modicè ſe exerceat, vtatur capparibus, ſaxifragia, oliuis. Si his non redeat appetitus, vtatur vino abſynthite, aut decocto ex radice enulæ campanæ, & fol. abſynthij, vel pillulis ex hiera: his enim impacta bilis aut pituita in tunicis ventriculi, quæ appetitum tollit, abſtergitur.

DE BOVLIMO.

Boulimus ſæpè febre longa laborantibus accidit, maximè tamen pueris, qui plurimùm habent innati calidi, cuius ratione copioſo indigent alimento. Eſt autem Boulimus fames præter naturam, quæ niſi ſtatim ſumpto alimento ſedetur, ſyncopen, aut certè animi deliquium adfert. Cauſa illius in febribus eſt partium corporis ſpiritualium, humoralium, & ſolidarum magna diſſipatio, ab immodico calore facta, & alimenti penuria, ob quam plurimam per vniuerſum corpus inanitionem maximus fit in orificio ventriculi ſuctionis ſenſus. Interdum hoc ſymptoma in febribus contingit à vermib. contentis in inteſtinis, qui alimẽtum ſumptũ ſtatim abſorbent. Interdum ab immodico aquæ frigidæ potu, quæ refrigerato orificio ventriculi famem

inueh it.

inuehit. vnde Hippocr. aquam voracem vocat, frigus enim ab aqua orificio ventriculi inductũ, eius tunicas conſtringit, & conſtringendo exprimit, vnde fames. Interdum & humor frigidus, acidúſque & malignus, ſiue pituitoſus, ſiue melancholicus, ſiue atrabilarius, orificio ventriculi, & eius tunicis impactus, ſua frigiditate & aciditate morſum ſuctioni ſimilem inducit. Sunt tamen qui negant Boulimum fieri à refrigeratione oris ventriculi: ſed potiùs ab immodico eius & viſcerum calore, à quo fit maxima ſubſtantiæ totius corporis diſſipatio, cuius effluuij ratione æger ſubinde alimentum aſſumere cogitur. Si fiat à maxima totius corporis diſſipatione facta ab incendio febrili, extinguatur illud incendium refrigerantibus tum ſumptis tum admotis ſupradictis in cura Cauſi. Alatur æger alimentis liquidis potiùs quàm ſolidis, faciliùs enim impleri potu quàm cibo: Neque tamen multus cibus affatim ingeratur: mors enim repentina conſequeretur. Modicum potiùs per breuia interualla exhibeatur, ne vis imbecilla pondere ſuffocetur. Si vermes iſtud ſymptoma excitant, excludentur eo modo qui dicetur in cap. de cura vermium. Si ab aquæ frigidæ potu intemperies frigida impacta ventriculo calfacientibus corrigatur, habita tamen ratione febris. Si ab humore frigido & acido, euacuetur ille humor vomitoriis, ſi æger facilè vomat, vel blandis catharticis. Ad hanc cauſam conuenit decoctũ ex rad. enul. & abſinth. aut vinum abſinthites, & enulatum, quod licet appetentiam naturalem inuitet, famis tamen non naturalis cauſam coquit, & abſumit.

DE SITI.

Sitis cauſa in febribus eſt caliditas & ſiccitas internæ ventriculi tunicæ contracta ab incendio febris, vel à ſalſis & nitroſis humoribus, aut citra ventriculi affectum feruor pulmonis, à quo ob vicinitatem & fuliginum aſcenſum, os, palatum, & lingua valdè areſcunt, nigreſcunt & ſcabritiem contrahunt. Quæ ſitis quibuſdam Practicis mendoſa dicitur, quia per hanc ventriculus ſitis dignoſcendæ inſtrumentum nihil patitur: interdum febricitantes ſiti nulla detinentur, vel quod frigidus, & aquoſus humor à cerebro delabens ventriculum proluit, vnde dicebat Hippocr. aph. 54. lib. 4. Quibus ſiccæ tuſſes irritantes in febribus perſeuerant, hi non valdè ſitiunt, vel quòd nullus ardor ventriculum occupat, quia feruidæ febris materia longiùs ab eo abſit, neq; enim ſitiunt febricitantes, niſi eorum ventriculus à calore febrili exſiccetur, vel quòd mens ægrotat, vt in phreneticis, qui licet valdè ſitiant, ſitim tamen non ſentiunt; interdum ſitis nulla, cùm demortuus eſt ventriculi ſenſus, quòd in febribus ardentibus exitium denuntiat. Sitim quæ per febres vehementes exercet, aqua frigida in primis compeſcit, ideóque intrepidè porrigenda. Obſeruatis tamen cautionibus ſupradictis, quòd ſi ab ea metus eſt, corrigatur eius frigiditas & craſſities agitatione & transfuſione crebra, immerſa panis cibarij medulla. Quidam vt leuitatem aquæ concilient, eam igni coquunt, ſed ea minùs refrigerat, quia igneam quandam vim

vim concipit, vt autem tutiùs & citra viſcerum offenſam pro potu ſumi poſſit, in ea integrum hordeum coquitur dum crepuerit: additur & parum glycyrrhyzæ ſub coctionis finem. Fit & iulepus ex aqua fontana, aq. roſarum, ſaccharo, pulpa citriorum, ſimul igne lento præbullitis, & qui vulgo Alexandrinus vocatur: diſſoluitur etiam cum aqua roſarum ſyrup. violaceus, & ſyrup. limonum, qui & arcet putredinem, & bilis feruorem retundit. Ad ſitim fallendam vtimur vulgò cerafis acidulis, oxyachanta, ſeu berberi, prunis perdacioniis, & damaſcenis ſaccharo conditis, priùs diligenter aqua roſarum, aut fontana lotis ad tollendam dulcedinem quam à ſaccharo contraxerunt: ſaccharum enim ſitim potiùs facit, quàm demulcet. Fallitur etiam ſitis collutionibus oris, acinis mali punici, palpa citriorum & aurantiorum in talleolas diuiſa, & macerata in aqua roſata, & in ſaccharo. Porrò in acceſſionum principiis æger ab omni potu prohibendus, ne longior fiat acceſſio, in vigore potiùs concedendus, maximè in primis acceſſionibus febrium intermittentium. Nam vbi illæ diuturnæ euadunt, nimio potu in longiſſimum tempus producuntur, quàm parciſſimè igitur in iis bibendum, vt interim inſitus calor in crudorum humorum, qui longitudinis febrium cauſæ ſunt, concoctionem incumbat.

DE NAVSEA ET VOMITV.

NAuſea & Vomitus febres ſæpè præcedunt, factas verò ſemper comitantur, præcipuè

tamen peſtilentem. Nauſea eſt irritus ventriculi conatus, quod ſibi moleſtum eſt expellere nitentis. Vomitio eſt eorum quæ ſunt in ventriculi capacitate ſurſum per os facta reiectio. Vtriuſque ſymptomatis in febribus cauſa eſt vitioſus humor quilibet, vel in capacitate ventriculi innatans, vel in eiuſdem tunicis firmiter inhærens: aut peſtifera quædam qualitas orificio ventriculi impreſſa. Si fiat à vitioſis humoribus illi euacuandi accommodatis catharticis, aut etiam vomitoriis ſi æger facilè vomat. Quod ſi vomitio ſit frequentior, ea ſupprimi debet tum aſſumptis, tum admotis. Admoueantur olea roſarum, abſinthij, myrtillorum, & ſimilia. Emplaſtra ex conſerua roſarum, carne cydon. puluere maſtiches, puluere abſinthij, ſampſuchi, caryophylli, nuce moſcata, cortice citri ſicci, & ſimilibus. Admouetur vulgò cruſta panis toſta ex acero, vel vino generoſo macerata, & conſperſa puluere maſtiches, nucis moſcatæ, & caryophyl. Si fiat ab aura peſtilenti ea oppugnanda eſt cardiacis, tum admotis, tum aſſumptis, vt theriaca, mithridatio, aqua cardui benedicti, ſcabioſæ, pimpinellæ, morſus diaboli, aqua theriacali, & ſimilibus dicendis in cura peſtis.

DE SINGVLTV.

Singultus qui per febres accidit, aliàs à repletione, aliàs ab inanitione accidit. Sæpè etiam à cæca quadam malignitate & pernicie. A repletione, vt cum vitioſus humor mordax

per venas in ventriculum effunditur, & in eius tunicas altiùs impingitur, vt accidit interdum in rigore & horrore febrium intermittentium, & in criſi continuatum. Ab inanitione, vt cum exſiccatæ ventriculi tunicæ ab ardore febris in ſe contrahuntur, interdum etiam teter & malignus vapor, orificio ventriculi, & eius tunicis altiùs inſertus ſingultum creat, vt contingit in febribus peſtilentibus, aut aliter malignis. Superuenit etiam hoc ſymptoma cerebri & iecoris inflammationibus ventriculo ob conſenſum & ſympatheiam in participatum mali veniente. Sæpè autem in prædictis febribus indeſinenter vrget ſingultus, ſæpè per quædam interualla repetit, ſi fiat ab acribus & mordacibus humoribus contentis in ventriculi tunicis præſcribatur vomitorium, ſi æger facilè vomat, aut lenis & blanda purgatio, vt reuellatur, alioquin reuocetur ille mordax humor. Idem etiam contemperetur iis, quæ eius acrimoniam & morſum poſſunt obtundere, vt iuſculis, ptiſana, emulſionibus 4. ſeminum frigid. maiorum, cortice ſpoliatorum & tritorum in mortario marmoreo ſenſim affundendo decoctum vel hordei, vel lactucæ, vel portulacæ. Si ab inanitione lethalis vt plurimum eſſe ſolet, vt cum antegreſſæ ſunt immodicæ vacuationes per hæmorrhagiam, alui profluuium, vomitus, aut ſudores. Iuuandus tamen æger iuſculis conſummatis expreſſionibus carnium, deſtillatis reſtauratiuis, & ſimilibus. Si à venenata pernicie impacta orificio ventriculi prætermiſſis & vomitoriis & pur-

gationibus, oppugnetur illa ſolis alexiteriis, aqua
theriacali, cardui benedicti, & ſimilibus dicendis
in peſte. Præterea ſacculis comparatis ex fol. ſiccis
menthæ, ſampſuchi, abſinthij, origani, calamen-
thi, thymi, pulegij, meliſſæ, artemiſiæ, ſemine
aniſi, fœniculi, radice cyperi, calami aromatici,
bullitis in aqua vel vino rubro pro fotu regionis
ventriculi, & à fotu illinatur pars oleo ſaluiæ, ro-
riſmarini, menthæ, addito mithridatio. Qualiſ-
cunque autem fuerit ſingultus cauſa, ſi ille diu-
tius perſeueret, iuuat cucurbitula cum multa
flamma admota regioni hepatis: nam partes ven-
triculo ſuperpoſitæ ita ſuſpenduntur, & quam-
diu ventriculum minùs comprimunt, minùs vr-
get ſingultus, & ob id erecto corpore, minùs
quàm ſupino, ſingultus infeſtat.

DE LVMBORVM DOLORE, & grauitate.

LVmborum dolor & grauitas interdum fit
ex venæ cauæ diſtenſione, quam vel effi-
ciunt copioſi vapores, ex calfacto ſanguine ge-
niti, vel etiam humores qui febrem committunt,
illabentes maxima in copia in venam cauam, &
maiorem lumborum arteriam: hæc enim vaſa
lumbis aſſidentia ab eis vaporibus vel humori-
bus diſtenta lumbos comprimunt, vnde dolor
maximus. Quòd ſi prædicti humores in dictis
vaſis ebulliant, renum dolores inquiete maxi-
ma comitatos ſuſcitabunt, qui etiam interdum
con-

contingunt, cùm multa pinguedo renes circumſtans incaleſcit à febrili calore. Sedatur vulgò ille dolor oxyrrhodino, quod fit ex aqua roſarum, oleo roſat. & aceto; vel oleis papaueris, nympheę, lotis in aceto, vel ex populeo, aut cerato Galen. refrigerante, cum ſucco ſemperuiui & camphora. Fit etiam epithema ex aqua plantaginis, roſarum, aceto roſato & camphora. Intrò etiam ſumuntur emulſiones ſeminum frigidorum, amygdalata, hordeata, & clyſteres remollientes, refrigerantes, & blandè purgantes.

DE HÆMORRHAGIA.

HÆmorrhagia è naribus, in febribus eſt vel critica vel ſymptomatica. Critica eſt quę fit naturæ robore expellentis quod moleſtat. Cognoſcitur eſſe critica, ſi ſuperueniat die critico. Si ægri ætas, natura, & regio conſentiant, & ſi indicata ſit in diebus indicibus. Hæc critica hæmorrhagia duplex, vna moderata, cum natura ſanguinis fluorem cum opus eſt cohibet; altera immodica, cum eam ſiſtere nequit. Symptomatica verò eſt quæ vi morbi fit nullis antegreſſis coctionis ſignis in die non critico, quæ moderata eſt, reprimenda non eſt, ſed ſinendum fluere tantum ſanguinis, quantum opus eſt. Immodica verò quamprimum reprimenda. Reprimitur autem admotis repellentibus, & refrigerantibus fronti temporibus. Ad id fit litus ex ſanguine draconis, bolo armena, albumine ouorum, & aceto;

ſit & emplaſtri maſſa ex emplaſtris contra rupturam, deſiccatiuo rubro, & maſtiche, cum oleo myrtillorum, & penicillus ex pilis leporis, aut linteo contorto paratus, & vnguento ſuprapoſito circumlitus, in narem à qua fluit ſanguis inditur, ea lege, vt naſi alam, qua parte oſſi cartilago annectitur, æger digito comprimat, vt apertum venæ oſculum vnguento adhæreat, & occludatur. Sed interim ægri caput pronum ſit, ne in fauces ſanguis relabatur. Linteum in aceto frigidiſſimo maceratum vtiliter tum ceruici, tum teſtibus imponitur, & cum mora incaluerit, renouatur. Inſufflatur etiam in narem puluis boli armeni, & ſang. dracon. ventoſa hypochondriis adhibetur. Injiciuntur arcta vincula extremitatibus partium. Spina & lumbi illinuntur vnguento albo refrigerante Galen. mucilag. ſeminis pſyllij extracta in aqua portulacæ, Epithema refrigerans iecori adhibetur, & corallum ſi eius adſit copia collo appenditur.

DE SVDORE.

SVdor qui communis eſt febribus, tam intermittentibus quàm continuis, humidum eſt ſecundæ & tertiæ coctionis excrementum per cutem in aquæ ſpeciem erumpens. Eius & vrinæ eadem eſt materia, nempe humor ſeroſus, qui ſanguinis erat vehiculum, vnde fit, vt ſi copioſior ſudor effundatur, vrina exigua ſit, & contra. Efficiens cauſa eſt calor, non ille quidem acris, qui ſiccandi vim habeat, ſed humidus qui per habitum diffuſus, ſudorum materiam

calfa-

calfacit, reſoluit in vapores, quos in ſuperficiem corporis attollit, hi autem ad cutem delati abeunt, denſitate concreſcunt, & fit ſudor. Ideo quibus exuperat ille humidus calor, ij facilè & leui quaq; de cauſſa ſudant. Cauſſa verò, ſine qua non, eſt corporis idonea proportio, nempe cutis raritas, & præterea idonea hepatis, & lienis conſtitutio, in quibus viſceribus vult Fernel. primam eſſe ſudorum ſcaturiginem; hoc argumẽto quod qui calidum habent & humidum iecur & lienẽ, ij quauis ex cauſſa ſudore diffluunt. Qui verò obſtructum ſcirrhoſum, & aridum, ij nulla vi ſudare poſſunt, etiam ſi reliquum corpus humore ſit perfuſum, quia ſcilicet exſiccata ſit ſudorum ſcaturigo. Eſt autem talis humoris excretio ſecundum naturam non minus, quàm vrinæ & aliorum excrementorum, falſóq; Diocles omnem ſudorem eſſe præter naturam affirmabat: Quod ſcilicet talis imbecillis caloris nota ſit, nã (inquit ille) validus calor ſine ſenſu talia excremẽta euaporat. Quin ſi bene cocta ſint alimenta non gignitur ſudoris materia: fatemur quidẽ ſudorem excrementum eſſe inutile, quod naturæ robore exudat per cutem; ſed præbere ſignificationem caloris imbecillis negamus. Notæ boni vel mali ſudoris in febribus ſumuntur & à die in quo erumpunt, & à loco ſeu parte ex qua excernuntur, & à qualitate per quam alius ſudor dicitur calidus, frigidus, mitis, nec tenuis, craſſus, fœtidus, ſuauis, & à facili tolerantia, ſeu alteratione morbi. A die, optimus eſt ſudor, qui die decretorio erumpit, antegreſſis prius coctionis ſignis,

Die ſcilicet 3.4.5.7.9.11.14.17.21.24.27.31.34. talis, enim ſignificat naturam ægri eſſe robuſtam & validam ad propulſandam morbi cauſſam, quia in die critica mouetur virtus contra humorem morbificum. Malus verò eſt, qui vel morbi initio, vel quouis morbi tempore, ante criticum diem, nec adhuc viſis coctionis ſignis euenit, & hic ſudor vocatur ſymptomaticus, quia vi exprimitur, & excernitur ea vitio & maleficio morbi, non ex motu naturæ factus. Penes locum bonus eſt ſudor, qui ab vniuerſo corpore manat, primum à capite incipiens, dein à reliquis partibus ſenſim emanans, qui ſudor à Galen. dicitur æqualis, qui æqualiter prodit à toto corpore, non copioſior ex capite & brachiis quàm pedibus. Malus verò qui non ex toto corpore profluit, vt qui tantum circum caput, faciem, & ceruicem oritur, talis enim naturam languidam ſignificat, aut copia grauatam, ſeu morbi inobedientiam, & facultatis expultricis imbecillitatem. Quod ſi ſimul frigidus ſit, & viſcoſus mortem denuntiat. Penes qualitatem bonus eſt ſudor, qui calidus eſt & tenuis, nec admodum graueolens. Malus verò qui frigidus eſt, qualis morituris apparet, qui à Medicis diaphoreticus appellatur, id eſt, vires diſſoluens. Penes morbum bonus eſt ſudor, qui partem morbi adimit, malus verò qui morbum exaſperat. Notandum tamen eſt, quod boni ſunt ſudores qui morbum reddant tolerabiliorem, quamuis neque die critico, neque à toto corpore erumpant, vt deteriores à quibus ingraueſcit, & ſi è toto

corpo-

corpore profluant, idque in die critico Hippocr. 1. progn. aph. 29. Qui boni & mali ſint ſudores ſic breuiter comprehendit. Sudores in omnibus acutis morbis boni ſunt, ſi in diebus decretoriis proueniunt, & febrem prorſus auferunt. Boni quoque qui è toto corpore manant, faciuntq; vt homo facilius morbum ferat, qui nihil eorum effecerint, mali ſunt. Peſſimi quoq; ſunt frigidi, & qui tantum circum caput, faciem, & ceruicem oriuntur. Iſti enim cum febre acuta mortem, cum mitiore morbi longitudinem ſignificant. Sudores in febribus aliàs cohiberi, aliàs excitari debent. Si enim in febrium contumacium criſi, aut in fine acceſſionis Intermittentium parcius erumpant, excitari debent, non quidem veſtimentis, nec ad ignem, ne interim incendium exaſperetur, ſed attennanti & ſudorifica potione. Datur ad id vinum album tenue valdè dilutum aqua cardui benedicti, cum ſyr. capill. veneris. Verùm in ſudoribus modus quidam eſſe debet, vt & in omnibus reliquis euacuationibus, quæ ſi ſint vberiores, metu nimiæ virium exolutionis tutò ſiſtuntur. Modum verò tibi indicabit pulſus, qui cum incipit minui & langueſcere, ſignificat euacuationem eſſe immodicam. Concidente ergo pulſu ſudor arte ſupprimendus, ſed ità tamen ne noxium humorem in internas partes reuocet. Ad ſiſtendos ſudores hæc præſcribuntur. Illinuntur lumbi oleis roſarum & maſtices lotis in aceto, vel cerato refrigerante Galeni addita camphora, Admouentur cordi & hepati Epithemata refrigerantia. Refrigeratur arte aër

cubiculi. Dantur intrò adſtringentia, quæ viſcera corroborant, vt etiam hordeata, quę vt magis refrigerent ex decoctis lactucæ, vel ſeminum frigidorum conficiunt, neque ſudor qui erumpit abſtergendus, ſed ſinendus, vt ad poros cutis cōcreſcens alium non ſinat erumpere. Cum autem tenuior tantum portio putreſcentium humorum euacuari poſſit per ſudores, etiam ſi febris eo abundè profuſo conquieſcat, niſi tamen ſumatur medicamentum, quod craſſiores humores ſubtrahat, vel recidiua expectanda eſt, vel humore è venis maioribus in habitum corporis tranſlato, aut ſcabies, vt furunculi, aut abſceſſus plures, aut ſi in aluum ſpontè irruit, alui profluuium, aut ſi inter membranas abdominis effundatur, ventris atrociſſimi dolores comitati torminibus quos conſequitur artium Paralyſis: ex nimio potu calorem natiuum qui ſuffocant, vix inclinante acceſſione ſudant. At qui parcè bibunt ſudore diffluunt in ſingulis acceſſionibus, & breuiores acceſſiones habent, multóq; citius liberantur à febre. Sudor autem niſi ſponte erumpit fruſtra arte elicitur, præſertim verò iis vix vnquam elici poterit, quibus malè affecta ſunt viſcera, maximè quibus ſiccum eſt Iecur & ſcirrhoſum. Diuturnæ ferè ſunt febres omnes, quæ lentum & craſſum madorem partibus præſertim ſuperioribus, vel ſtatim initio exhibent. Cum verò in febrib. tenuis ſudor tota acceſſione erumpit per ſingulas corporis partes pituitoſi & ſeroſi humoris magna quantitas arguitur, qui potius parſimonia debet abſorberi.

DE

De Alvi Flvxv.

ALui fluxus qui febricitantibus contingit, vel eſt cœliacus, per quem chylus aluo redditur, vel lientericus per quem alimentum tale quale eſt aſſumptum reiicitur, qui fit ſæpius ab immodico aquæ frigidæ aut ptiſanæ potu, aliâs à cæca veneni peſtilentis pernicie; vel eſt humoralis, quo vitioſi & inutiles humores, bilioſi, pituitoſi, & melancholici euacuantur. Lientericus & cęliacus morbum non leuant, immò vires diſſoluunt; Humoralis verò vtilior, modò fiat in tempore conueniente, nempe in fine continuarum febrium, aut acceſſionum febrium intermittentium, ſitque moderatus. Si verò ſit immodicus inutilis eſt, vt etiamſi ſit intempeſtiuus, qualis eſt qui contingit initio febrium. Tunc enim cum cruda ſint omnia, vacuationes omnes non naturę vi, ſed morbi potus impetu, & acrimonia turgentis humoris naturam ſtimulante, adeoque ſymptomaticè fiunt; Ergo profluuium alui eo tempore contingens, vel cruditatis ventriculi ſoboles eſt, & vires laceſcit, corpori alimentum eripiens, nihil tamen humoris morbifici demens, aut humorum in primis ſedibus ſtabulantium quantitatem arguit, quam non facilè natura coquet: Cum tamē ſincera, nec nimis tenuia excremēta ſint, ſed craſſa & miſta, morbi breuitas ſignificatur, ſi cætera conſentiant. Cùm alui profluuium moderatum eſt, tantum abeſt vt purgationē dehortetur, contra quam Galen. cenſet, qui 1. ad Glauconem

cap. 4. ſcripſit. Quod ſi Diarrhœa febricantem occupet, alia vacuatione opus non eſt, verùm ipſa per ſe ſufficit, etiam ſi maior ſit, quàm pro multitudinis ratione vt etiam illam accelerandam inſinuet. Nam vel crudum & lientericum eſt, vel bilioſum aut cruentum, & crudum quidem, parcè bibendum eſſe hortatur, & Rhei vſum poſtulat, quod deterſis crudis humoribus, & roborato ventriculo facilè conquieſcet, & alacriores euadent partium omnium concoctiones: Cruentum etiam Rhabarb. vſum poſtulat, quod detracta acri & mordaci bile inteſtina rodente profluuium conquieſcet: Bilioſum verò ſeu ſymptomaticè, ob copiam, ſeu naturæ pellentis robore fit, vacuationem arte factam requirit, vt detracta oneris, quo natura premebatur portione, reliquum facilius concoquatur. Sed neq; vomitio acceſſionum initiis fatigans ac bilem fortè multam detrahens, à purganti medicamento nos auocet, Cum vt cyſtis fellis vomitione, ſic meſenterium purganti medicamento ſit exonerandum, vt perfecta ſuccedat curatio. At verò ſi alui profluuium ſit immodicum & intempeſtiuum, ſiſtitur Clyſteribus aſtringentibus intrò ſumptis, & vnguentis aut emplaſtris eiuſdem facultatis extra adhibitis: quemadmodum etiam ſomno & quiete: Somnus enim omnes euacuationes ſiſtit, qualeſcunque fuerint, præter ſudores, qui dormientibus copioſiores erumpunt quàm vigilantibus.

DE

De alvi adstri-ctione.

ALui adſtrictio in febribus fit, vel à calore immodico, à quo torrefiunt inteſtina, fæceſque exſiccatæ expulſioni magis reſiſtunt, vel obſtructione meatus, qui è veſica fellis bilem refundit in inteſtina, quã cauſam ſequitur Icterus. Curatio completur decocto prunorum dulc. & acidorum, Clyſteribus frequentibus, iiſq; refrigerantibus, remollientibus, & blandè purgantibus, ſuppoſitoriis quę vim inteſtinorum expultricem excitant; purgationib. blandis comparatis ex Caſſia recens mũdata, infuſo fol. ſennę, Rhabarb. ſyr. de cichorio compoſ. cum Rhabarb. & ſimilib.

De Ictero.

ICterus in febribus acutis apparens, vel fit ex Iecoris inflammatione, cuius incendio tota maſſa ſanguinea fere in bilem vertitur, vel per Criſin, qua bilis, febris cauſſa, naturæ robore è profundo corporis foràs in cutem propellitur, vel ex nimia bilis copia, quam venæ præcalidæ gignunt, interdum fit ſenſim, quia ſenſim humor gignitur & diffunditur. Aliàs verò & ſalubrius accidit affatim humore vniuerſo ad vnam expulſionem ſeruato. Scripſit Hippocr. aph. 62. & 64. ſect. 4. malum eſſe ſi in febribus continuis ante diem ſeptimum Icterus ſuperueniat; Bonum verò eſſe ſi aut die 7. aut 9. aut 11. aut 14. ſuperueniat, niſi fortè dextrum hypochondrium obduruerit.

Si verò in aliis diebus non criticis erumpat, malum eſſe. Sententiam Hippocratis multi falſi inſimulant, quia plerique febre continua laborantes ante diem 7. Ictero defædantur, quod tamen fit cum eorum ſalute. Quin Hippocrates 1. de morb. popul. multos ſeruatos ſcripſit, quibus die 4. morbus regius accidiſſet. Præterea ante diem 7. alij ſunt critici, in quibus humor morbificus, vt & robore naturæ expelli poteſt. Adde quod ſi febris Tertiana etiam Notha, ſæpè tertio circuitu terminatur, cur non poterit, & ardens febris 3. die, aut ſaltem 5. per morbum regium expurgari? Sic autem Hippocratem à calumnia vindicamus, quod in acutis febribus morbus regius ante 7. diem exitioſus eſt, niſi fortè ſequatur vel Hæmorrhagia, vel alui profluuium, vel multæ vrinæ excretio, vel alia quælibet euacuatio. Si enim hęc non ſequantur naturæ imbecillitas, & oppreſſio à copia bilis arguitur, vel grauis intemperies, vel obſtructio, vel inflammatio hepatis. At verò, ſi poſt ſeptimum diem, die critico fiat, apparentibus concoctionis ſignis, è ſequente excretione, & Iecore non indurato, ſalutaris eſt. Vel ſic intelligi poteſt Hippocratis aphor. Quibus ante 7. diem, id eſt ante humorum concoctionem Icterus ſuperuenerit malum: At cum ante 7. diem contingit humorem qui febrem gignit concoqui, fit inde vt bilis ad cutem criticè tranſmittatur, vnde regius morbus ægro ſe bene habente. Quod ſi quis dicat ſe vidiſſe multos febre continua affectos, quibus ante 7. diem Icterus ſuperuenerit, qui febrem eorum finierit: Reſpondemus

mus Hippocratem non negaſſe id poſſe contingere, ſed dixiſſe, id malum eſſe, melius enim fuiſſet expectari concoctionem. Rarò autem ante 7. diem concoquitur bilis, & rarò ante eundem diem indicatoriè ad corpus diffunditur. Dicimus ergo Icterum ante ſeptimum diem in febribus continuis ſuperuenientem, quam nulla conſequitur euacuatio, neque febris, eiuſque ſymptomatis remiſſio lethalem eſſe, maximè ſi comitetur Jecoris inflammationem. At ſi poſt 7. diem fiat, & criticus ſit, expectandam eſſe ſalutem, multò magis ſi qua excretio coniuncta eſt, vnde minuitur febris, quæ ſi non contingant periculo non vacat talis Icterus ante 7. diem enatus. Icterus qui ab inflammatione hepatis, lethalis eſt, indigétque iiſdem remediis quibus ipſa hepatis inflammatio, à qua dependet. Icterus criticus ſalutaris eſt, ſi die critico ſuperueniat, minuitque febrem. Qui verò à calida & ſicca venarum, totiuſque corporis intemperie procedit, refrigeratio & humectatio ex parte corporis habitu ceſſat. Sic enim prohibebitur flauæ bilis generatio, ſi eius quæ iam genita eſt, conſequatur euacuatio per Cholagoga.

FINIS.

INDEX AFFECTVVM, REMEDIORVMQVE MAGIS memorabilium perutilis, ordine alphabetico breuiter dilucideque deſcriptus.

A

Abſceſſus phegmaticus. Pagina 58

Abſceſſus gracilis radicis pag. 82.

Achores ſeu tinea 273

Adenum tumor 123

Acetum podagricis vitandum 314

Angina 109. & 111

Anginæ, ſter. non tam proſunt quam putantur 111

Ani tumor 160

Anthrax & carbunculus 16

Aqua ſtillatitia arthritidi vtilis 316

Aurium vulnera 223

Aqua ſordidis & corrodentibus vlceribus conferens 257

Articulis inſidens materia nunquam intro retrahi poteſt 311

Arthritis à materia calida 310

Arthritis à pituita & bile 313

Arthritidis præcautio 317

Atheroma 66

Aurium vlcera 282

Axillarum vlcera 283

Axillarum tumor 140

B

Balſama arte confecta 188

Balſamum Meſuæ & Guidoni vſurpatum 242

Baſylicon autoris 192. & 205

Brachiorum vulnera 226

Bronchocele 116

Bubo non peſtilens 134

Bubo venereus 162

C

Callos fracturarum minuentia 303

Callū indecentem frangen-

dúmque emollientia 304
Cancer tumor 75
Cancer vlceratus 268
Capitis vulnera 213
Capitis vlcera 273
Carbunculus 16
Caries profundior vt educenda 252
Caries medullam oſsis pertingens ibid.
Caſeus vetuſtiſſ. arthritidi confert 317
Cauterium carioſo oſsi non nimis imprimendũ 251
Cauſticum potentia 259 & 262
Cicatrix medicamenti ope, non natura, inducitur 192
Cicatricem inducentium duplex genus 193
Cicatrices deformes polientia 195
Cicatrices dealbantia 196
Chiragra pituitea 135
Clyſter acris renell. 114 & 122
Coagula ſanguinem cõcretum diſſoluunt 117
Colli vulnera 224
Combuſtio 271
Combuſtioni conferens vnguentum Aëtij 273
Confectio liberantis 131
Conuulſio 236
Cranium modiolo non temerè pertundendũ 219
Crurum vulnera 233
Cubiti vulnera 227

D

Delirium impedientia 235
Durities antiqua 306

E

Electua. de ouo 131
Elect. de nucibus 132
Emplaſtr. macedonicum Aëtij 33
Emplaſtr. ad omnem tumorem durum 79
Emplaſt. ſiſtens capitis defluxum 281
Emplaſt. de ceruſa 194. & 195
Emplaſt. cranium depreſſum releuans 217. 218
Emplaſt. de Centaurea 218
Emplaſt. rubrum Græcum ex Gale. 160
Enterocele, epiplocele 178
Epiploi reſtitutio 232
Eryſipelas 26
Euacuationes contraria non ferenda 331

Eu-

A. CHALMETEVS VERGESACUS CHIRURGUS, CANDIDO Lectori, S.

CVm bonam primæ ætatis meæ partem in humaniorum literarum ſtudiis, poſtea medicinæ ac præſertim chirurgiæ conſumpſiſſem, atque intellexiſſem ex Galeni ſententia, Omnes ingenuas artes, partim ratione, partim experientia comparari, exiſtimaui, mihi tandem cum doctiſſimis & exercitatiſſimis chirurgis eſſe etiam verſandum, vt non modò artis theoriam, verùm & praxim poſſem adipiſci. Cœpi verò, poſteaquam pleriſque in locis chirurgiæ magiſtris inſeruiſſem tacitus apud me cogitare, quàm inutile ac laborioſum (ne dicam miſerum) ſemper diſcurrere & paſſim vagari: ac tandem mihi locum aliquem eſſe deligendum, in quo ætatis meæ reliquum tranſigerem, ac tunc Reipublicæ inſeruiens, victum ex re chirurgica honeſtè mihi conquirerem. Amicorum itaque & doctorum medicorum conſilio, me in natale ſolum, aerémque mihi familiarem recepi. Quòd aliis locis fuiſſem ferè valetudinarius, mihi denique iam magis incolumi, magiſque proſpera valetudine quam antea perfruenti, in mentem ſubiit, nihil magis profuturum, quàm ſi hac valetudine, quantulacunque erat, intermiſſa ſtudia repeterem, tum vt memoriam fideliùs confirmarem, tum vt obliuioſæ ſenectuti conſulerem, eámque labore ex aliqua parte leuarem. Proinde chartulas

laceras & velut Sibyllæ folia, huc illúcque diſperſas, colligo ac libellum veluti Enchiridion quoddam Chirurgicum, ex artificioſis remediis, ſiue ex Græcis, ſiue Latinis, ſeu Arabibus practicis congeſtis, conficio: nihil eorum prætermittens, quæ Monſpeſſuli ſub doctorib. eruditiſsimis, D. Gulielmo Rondelletio D. Antonio Saporta, acerrimi iudicij viriſque humaniſsimis, & M. Gulielmo Lotherio Chirurgo exercitatiſsimo, didiceram. Quibus præceptoribus ſum humaniſsimè vſus. Denique nihil eorum quæ Lutetiæ, ſub peritiſsimo D. Iacobo Syluio aliiſque in arte medica maximè verſatis, annis ſuperioribus, hauſeram. Quibus etiam noſtras obſeruationes adiecimus, & multa quæ fœlici ſucceſſu fueramus experti. Omnia autem in eum ordinem redacta, quem exiſtimarem mihi fore valde familiarem. Neque enim ea collegeram vt aliquando prodirent in lucem, aut emitterentur (vel conſcientia teſte) Siquidem, non me fugit quantis ſit natura ingenijque viribus adſcribendum fœliciter opus: Quámque eos multarum rerum ſcientia, vſu & exercitatione inſtructos eſſe oporteat qui aliquid in lucem edunt, hoc maximè ſeculo, in quo doctiſsimorum tot centuriæ florent ac debitam retinent dignitatem. Ea verò quàm ſint in me exigua planiſsime perſpexi: Et quanquam eruditione, doctrina, ſcribendi facultate, plurimum poſſem, innumeri tamen ſunt primæ notæ viri: quorum alij, ſuperiore ætate de re Chirurgica, alij noſtro quoque ſeculo fœliciſsimè ſcripſerunt. Vt iam nihil ſit noſtris laboribus opus. Cùm tam ingẽs ſit egregiorum in hac facultate librorum copia, perexiguus verò chirurgorum numerus qui diſertorum voluminibus delectentur: quique vel minimam in bonis literis operam collocent, adeò vt iam claſsicorum hominum

ENCHIRIDION CHIRVRGICVM, EXTERNORVM MORBORVM REMEDIA TVM vniuerſalia, tum particularia breuiſſimè complectens.

Quibus, morbi Venerei curandi methodus probatiſſima acceſſit.

Authore ANTONIO CHALMETEO Vergeſaco, apud Anicienſes Chirurgo diligentiſſimo.

Euphorbium, quando non mordicet. 211

F

Femorum, tibiarum & pedum vlcera 297
Ferulæ poſt fracturam reductam, initio circumponendæ 300
Fiſtula 265
Fiſtula helleboro non temerè implenda 266
Fiſtula lachrymalis 276
Fiſtula ani 295
Fiſſura ani aliarumque partium ibidem
Fœnugræ. muccago remedium eſt arthritidi efficax 315
Fracturæ 298
Fracturarum reducendarum modus 299
Fractura cum vulnere 303
Fugilla Arabum 140
Furunculus 12

G

Gangrana 20
Ganglium 63
Genuum tumor 172
Gingiuarum tumor 103
Glandulæ & nodi capitis 83
Glutinatoria aqua 188
& 264
Gaiaci vſus in malignis vlceribus præſcribitur 263

H

Hepatis vulnus 233
Hepar roborantia ex Rhaze 295
Hernia aquea & flatuoſa 166
Herpes exedens 34
Herpes miliaris 38
Herpes manuum ex lue venerea 40
Hæmorrhoides 292
Humerorum vulnus 225
Hydrocephalos, id eſt, aqua in capite pueri 80
Hydrops aſcites 147
Hypoſarca 154
Hydrops tympan. 156
Hydrargyri vſus nunquam dextrè vtentes fefellit 335
Hydrargyri noxam aurum reprimit 338
Hyperſarcoſis 248

I

Inguinum vlcera 283
Inteſtinorum vulnera 231

L

LAbiorum vulnera 223
Lac concretum 140
Lienis vulnus 233
Ligatura arctioris vnguentum dolorem prohibens 303
Luxationes 306
Luxata non prius reducenda, quàm dolor ceſſauerit 307
Luxatio cum vulnere 309
Luxata quæ tuto reponantur ex Hippo. 308
Luxatio quādo à phlegmone eſt libera 309
Luxatio cum fractura ibid.

M

MAmmarum tumor 139
Medicina optima quæ ſit interdum 223 & 224
Meliceris 66
Millefolium cum vino ne cant vermes 271
Morbus venereus 323
Morbus hic curatur aqua philoſophica 327 ligno indico 328. china radice 332. vnguentis 333. emplaſtris 337. pilulis ex hydrargyro 338. potione & vnguentis ſimul ibid. & ſuffitibus 339
Morbo venereo affectis, quæ diæta 331
Diæta breuior cum vnctione, hîc præſtat ſoli diætæ 332
Morbus venereus vbi frequentiſsimus 334
Morbo huic cum puſtulis vnguētum & balneum. ibid. ſine puſtulis cum artuum & capitis dolore vnguentum 336
Morbi venerei ſymptomata oris vlceratio 341. inteſtinorum eroſio 342
Lipothymia: ardor vrinæ 343 Bubo venereus, tophi 345. herpes 348.
Alopecia 349
Morbi huius à recidiua præcautio 353
Morſus animalium 200

N

NAſi vulnera 222
Naſi vlcera 277
Nerui punctura 204
Nerui puncturæ linimentum mirabile 208
Neruus caſim vulneratus 207

Neruus contuſus 209
Nodi duri ſeu tophi articulorum 336

O

Oculorum vulnera 221
Oculorum vlcera 276
Oedema 92. 93
Oeſophagi vulnus 224
Oleum de ranis 93
Ophthalmia 87. & 91
Oleum de myrrha 195
Os coronale exciſum 100
Oßis vulnus 210
Oleum vulneri à machinis bellicis perutile 212
Oleum terebint. ipſáque terebint. conuulſionem remorantur 225
Opiata ſopiens ſenſus 25
Oris vlcera 279
Oris vlcera à morbo venereo 280

P

Palati tumor 103
Palati vlcera 281
Paralyſis 240
Parotides 98
Paronychium & panaris 137
Pectoris vlcera 284
Pectoris & partium intercoſtalium inflammatio 144
Pectoris tumor frigidus 146
Penis tumor 171
Penis ſordido vlceri ſuccus centaur. cum melle vtilis 259
Peſtis præcautio 122
Peſtilens febris 129
Phlegmones curatio 13
Phyma 119
Pilorum generatio 275
Piloſellæ ſuccus cum vino & melle oris vlcera ſanat 281
Polypus 111
Pſora & lepra 320
Pudendi vlcera 28
Puluis ſtomachum roborans 31

Q

Quartanæ febri vnctio ſpina ex theria. veter. & aqua vitæ prodeſt 241

R

Rotunda vlcera in aliam figurã transformanda 297
Rectißima figura quæ ſit Galeno 301

S

SAl affrictus arthrit. præcauet ex Oribaſio 319
Sanguinis profluuij retentio 184
Sanguinis ſub cute effuſio, quæ ecchymoſis dicitur 196
Sarcoticorum triplex ordo 191.192
Sarcoticum vnguẽtum 192
Scabies 320
Scabies puerorum 332
Scirrhus verus 68
Scirrhus exquiſitus 73
Scirrhus hepatis 155
Scirrhus lienis 157
Somnus conciliatur felle leporino 235
Sphacelus 20
Steatoma 66
Struma 60
Syncope 242

T

TEſtium & ſcroti inflammatio 164
Teſtudo ſeu talpa 84
Tibiarum & pedum tumor, elephantiam vocant 174
Tibiarum vulnera 233
Thoracis vulnera 226
Thoracis ſectio vbi facienda 228
Thoracis vulnus mirabiliter curatum 226
Tracheiæ arteriæ vulnus 224
Trochiſcorum muſæ, Andronij loco quid reponẽdum 38
Trochiſci de arſenico 267
Trochiſci Andronij 283
Tumorum vniuerſalis curatio 1
Tumor flatuoſus 68
Tumor aqueus 54
Tumor aurium 93
Tumores naſi 101.& 115
Tumor à ſecta vena 135
Tumor ani 160
Tuſsium quæ minuant 230
Tympanites 155

V

VArices 175
Ventris inferioris vulnera 231
Ventriculi vulnus 233
Ventris inferioris vlcera 285
Verberatis remedium 199
Verruca linguæ 81.82.83

mo, tradidi: cuius opera maiori ſermonis puritate eſt donatus. Cuius etiam ſuaſu, typographo fidem datam praeſtiti. Sed dolet quod nonum non prematur in annum, ex praecepto Horatiano. Námque temporis diuturnitate acceßiſſent ſi non meliora certè emendatiora omnia. Venit etenim mihi in mentem eius Prouerbÿ Canis feſtinans caecos parit catulos. Poteram libellum breuius contrahere, atque compendioſiorem efficere, ſi antidotarium (quod vocant) ſcripſiſſem: in quo medicamentorum vnumquenque humorem vacuantium, recamentorum vnumquenque humorem vacuantium, repellentium, diſcutientium & aliorum particularia capita tractaſſem: ac postea in ſingulorum curationibus, ad ea tanquam ad fontes lectorem remiſiſſem, malui tamen huiuſmodi medicamentorum in ſingulis capitibus nonnihil attingere ac per totum opus ſpargere atque interſerere, vt continua lectione, expreßiore & aßidua repetitione, cuncta magis familiaria euaderent. Quanquam quae de medicamentis tum humores praeparantibus, tum eos educentibus ac purgantibus tradidi, non eo animo eóve inſtituto feci, vt chirurgi medicorum munere fungerentur: quorum intereſt, ſingulis ad amußim aeſtimatis, medicamenta magna cum cautione praeſcribere. Neque etiam ea ſunt ſatis fusè explanata, vt illis citra metum audentius vtantur, ſed vt in medicorum abſentia (ad quos tota res haec venit referenda) chirurgi aliquid in ſalutem aegrotantium moliri aliquando fidelius queant.

Accipe igitur (Lector beneuole) hoc noſtrum qualecunque eſt, opuſculum aequo animo, quo & conſcriptum eſt & concinnatum. Quod ſi tibi probari iucundúmque fore cognouero, coeptum opus elimatius reddere & quod deeſt ſuis numeris abſoluere, enitemur. Vale, Anicÿ, Calend. Ianuarÿ.

num libri & Græcè & Latinè deſcripti, non ſine magno dedecore & tot mortalium iniuria, apud multos vileſcant. Quorum alij impudenter affirmant, nihil eſſe idiomatis neque Græci neque Latini cognitione opus: Cùm propemodum quæcunque ad hanc artem pertinere videntur, ſint iam Gallico ſermone donata: Non animaduertentes aliam atque aliam eſſe idiomatum phraſin, vt multiplex eſt quoque dialectus. Nam permulta artis vocabula ac dogmata, aliam vim & dignitatem Gallicè atque Latinè ſi conuertantur retinent, vt difficilius intelligantur, quàm illis linguis quibus ipſæ diſciplinæ primùm inſtitutæ, atque traditæ fuerunt, adeò vt longa ſit interpretibus verborum periphraſis neceſſaria. Alij multo miſerabiliores, qui nec legere quidem norunt, exiſtimantes ſatis eſſe chirurgis ſi bonis diſciplinis omnino deſpectis, venam vtcunque ſecare, aut vnguenta cataplaſmata, emplaſtra (quorum vires prorſus ignorent) poſſint admouere. Cùm interea muſculos, tendones & neruos, magno ſæpenumerò ægrotantium detrimento, tranſuerſim ſecent, phlegmonem, loco œdematis: Cancrum pro ſimplici inflammatione: Lepram pro lue venerea, & vlcus virulentum pro ſordido ac putri, curanda ſuſcipiant: multorum ſæpè membrorum actiones labefactent, multos morbos incurabiles reddant. Denique mortales miris modis & impunè quidem afficiant, diſcrucient ac tandem enecent. Quos quis non dicat digniſſimos, qui æquiſſimorum iudicum ſententia ſæuiſſimis ſupplicijs, plectantur? Sed, vt vnde eſt profecta, eò tandem refluat oratio, memoratis antea cauſsis adductus atque perſuaſus, plurimos huius ætatis doctiſſimos viros imitari conſtitueram, quibus ſibi muſiſque canere præſtat, quàm

in opere, quod vel negligatur, vel cuius eos aliquandò pœniteat, bonas horas malè collocare. Mihi igitur hoc Enchiridion collegeram, vt cùm foras proficiſci cogerer ad agros inuiſendos, non eſſet magna librorum ſarcina opus. Sed medicamenta ſtatim occurrerent, quibus morbi tutò profligarentur. Morborum cauſas, ſigna, iudicia, de induſtria prætermiſeram: quòd me in iis putarem vtcunque exercitatum. Neque facilè fieri poſſe confidebam, vt aliquando mihi iſtorum memoria excideret. Quod equidem omnibus qui hanc ſunt artem profeſſuri ſuaſerim: Vt primum ſe præceptis artis diligenter addicant: Deinde ſic parati ad remediorum inuentionem accedant, & eorum velut ſyluam quandam ſibi comparent & omni conatu indipiſcantur. Cúmque meum eſſet inſtitutum, non librum in publicum emittere, ſed quaſi tenue quoddam promptuarium mihi congerere mecum quouis circumferendum, quidam, ex iſtis aduentoribus, clàm mihi libellum ſurripuit, ac typographo dedit imprimendum. Aliquot autem exactis diebus cùm diligentiſsimè libellum conquirerem, à plagiario ſurreptum & inter typographi manus iamiam excudendum comperi: Ne viuam, ſi maiore vnquam animi anxietate preſſus fuerim. Hìc typographus meum eſſe abnegauit, neque vnquam ex eius manibus extorquere potui, quin ſim iureiurando pollicitus me in lucem libellum propediem editurum. Vtque promiſsis ſtarem ac typographo datæ fidei ſatisfacerem, iterum euoluere, ac demendare, omniáque in meliorem ordinem redigere decreui. Sed cùm idipſum, tum propter occupationes, tum valetudinem (qua nunc quoque vtor) aduerſam, vix, ac ne vix quidem, præſtare poſſem, Adamo Fontano Doctori Medico, in omni diſciplinarum genere verſatiſsimo

Vlcerum vniuerſa curatio 243
Vlcus cum intemperie 244
Vlcus cum dolore 245
Vlcus cum tumore 247
Vlcus contuſum 248
Vlcus cum carnis excreſcentia ibid.
Vlcus decolor cum duris labiis. 249
Vlcus cum varicibus 250
Vlcus cum oſſis carie 251
Vlcera cacoethe 253
Vlcus virulentum ac depaſcens 255
Vlcus ſordidum ac putre 259
Vlcus ſinuoſum 263
Vlcus verminoſum 271
Vlcerum particula. ſanatio 273
Vlcera tibiarum & pedum 297
Vmbilici procidentia 159
Vnguentum omnibus tumoribus frigidis vtile 48
Vteri vlcera 288
Vulnerum curatio 179. & 213
Vulnus ſimplex in carne 187
Vulnus profundum 190
Vulnus cauum cum ſubſtantiæ perditione 190
Vulnus repletum 193
Vulnus contuſum 196
Vulnus à tormentis bellicis 211
Vulnerum particula. curatio 213
Vulnera capitis dubia, etiam poſt 40. dies 219
Vulnera faciei 220
Vulnus iugularis venæ 224
Vulnus ſpinæ lethale 225
Vulnerum ſymptomata 234
Vuula inflammatio 104
Vuula relaxatio. 108

FINIS.

ENCHIRIDII CHIRVRGICI,

Liber primus.

THEORICA.

DE TVMORIBVS PRÆTER NATVRAM.

CAPVT I.

TVMOR omnis præter naturam ex aggregata materia, membrum in quo aceruatur diſtendente ſuccreſcit. Aggregatur materia aut congeſtione, aut fluxione. Congeſtio fit vel ſenſim ex humoribus in membro putreſcentibus, qui alimenti naturam (ob caloris natiui imbecillitatem) ſubire non poſſunt, vel ex partis intumeſcentis excrementorum prouentu, quæ ſudoribus, difflatione aut alia ratione diſcuti non poſſunt. Omnis enim pars corporis quæ alimentum recipit, excrementa progignit. Fluxio eſt copioſa & concitata aliunde in membrum incurſio. Huius aggregationis materiæ cauſæ ſunt, aut externæ, vt caſus, ictus, contuſio, humorum à calore eliquatio, eorundem à frigore expreſſio: aut internæ, vt materiæ copia vel tenuitas, vel acrimonia. Materia ea eſt, vel ſanguis, vnde phlegmone, phlygethlon, phyma, furunculus, carbunculus, epinyctis: vel pituita, ex qua generantur œdema phlegmaticum, quædam ſcyrrhi ſpecies, ganglion glandulæ. Vel bilis flaua, vnde eryſipelas, papulæ, phlyctenæ, impetigo Vel atra bilis, vnde cancer, phagedena, melas, &c. Vel ſerum ſanguinis, vnde hydropiſis, hernia aquoſa, hydrocephalus. Vel flatus, vnde tym-

panites & tumores flatuoſi. Vel ſeri & flatus permiſtio. De quibus omnibus poſthac ſigillatim.

Signa tumorum ſunt, inflatio membri, dolor, calor, durities, mollities & cætera id genus pro humoris conditione & natura. Neque enim tumorum omnium eadem ſigna demonſtrantur, ſed pro materia varietate diſtinguuntur.

GENERALIS CVRATIO.

HORVM autem omnium, dum ex humorum in partem aliquam influxu generatur, compendiariam ac breuem curandi methodũ ſentio cũ Galeno gemino ſcopo perficiendam. Altero quidem cohibẽdi quod in partem plus ſatis illabitur: Altero verò vacuãdi quod iam illapſum eſt atque influxit. Fluxionem certè cohibemus tum omni reuulſionis genere, tum repellentibus, tum partem confirmantibus eiuſque temperiem conſeruantibus medicamentis. Quod autem iam influxit, partim adſtringentibus, partim diſcutientibus ac reſoluentibus vacuamus: adſtringentibus quidem, quum humor eſt tenuis necdum impactus; diſcutientibus verò, quum vel craſſus eſt, vel iam impactus. Itaque defluxio ſi iam ceſſauerit, vnicus erit tumoris curandi ſcopus, nimirum in conuenienti debitoque medicamentorum diſcutientium vſu. Atque ea ſanè tumorum omnium curandorum methodus eſt vniuerſalis: quia tamen particularia magis afficiunt, atque delectant, magiſque tyrones ac candidatos adiuuant, particulatim ſingulorum tumorum & theoriam & curandi ratio-

rationem paucis perſequemur.

DE PHLEGMONE.

CAPVT. II.

Phlegmone tumor eſt calidus, durus ac renitens, præter naturam collectus, ex ſanguine e venis in cutem, aut ſubiectam carnem effuſo, oui gallinacei ſæpius magnitudine prominens. Ea eſt aut exquiſita aut non exquiſita. Exquiſita eſt quando purus ſanguis extra ſua vaſa in aliquod membrum effuſus, vt impactus, putreſcit, vnde ophthalmia, Parotis, Angina, &c. Non exquiſita fit ex permiſtione ſanguinis cum aliis humoribus, vnde phlegmone Eryſipelatodes, œdematodes, ſcyrrheodes.

Cauſa phlegmones vel purus eſt ſãguis extra ſua vaſa collectus, vel permiſtione alius humoris inquinatus.

Signa ſunt, membri inflatio, calor, rubor, dolor pulſans & renitens cum duritie.

Phlegmone cum dolore magno, in membro mobili, aut exquiſiti ſenſus in emunctoriis cordi aut cerebro vicinis, in Eſthiomenum aut Gangrenam deſinens periculoſa eſt.

CVRATIO.

PHlegmones curandæ ratio, quatuor habet ſcopos. Primus in conuenienti victu præſcribendo conſiſtit: qui circa debitum ſex rerum, quas non naturales ſolent appellare, vſum verſatur. In hoc itaque effectu aërem ſyncerum & clarum, atque frigidum deligito: victum frigidum ac paululum exſiccatem, quique ſanguinis pauxillum gignat obſeruato. Igitur vel vino oligophoro vtitor, vel quod magis probandum

ob febrem abſtemius eſto: Ab ouorum vitellis, frequenti iuris carnium & earum vſu abſtineto, aut iis parcè vtitor. Partem affectam nullo modo exercitato: in ſomno & vigiliis mediocritatem teneto. Somnum diurnum tanquam noxum effugito. Aluus ſemper mollis eſto, vel eam clyſteribus cieto: Iram, clamorem & contentionem vitato, ab vſu Veneris omnique coitu, tanquam ab hoſte infeſtiſſimo, te ſubducito. Secundus ſcopus expetit, vt humorem cohibeamus. Id autem fiet, tum reuellendo, tum repellendo. Statim itaque venam partis oppoſitæ ſecabis: ſeruata tamen Galeni rectitudine, modo adſint mittendi ſanguinis ſcopi. Num verò longiùs à loco affecto, num propiùs vena ſecanda, te eiuſdem aperiendæ docebit intentio. Nam vbi plethoricum corpus, tum ad euacuationem, tum ad reuulſionem, longius venam reſerato: cùm verò plethora quidem non adeſt, veruntamen reformidas morbi vehementiam, ob cauſæ magnitudinem, vel morbus iam eſt in augmento, ad reuulſionem quidem ne tam longè ab affectu venam ſecato: denique quando ſtatus appetit, proximè locum ſi fieri poteſt venam aperito. Ante phlebotomiam, niſi aluus fluat liberrimè, ad communes fæces deiiciendas, vel clyſtere, vel bolo, vel potu, erit ſubducenda.

Cliſter molliens.

℞. Altheæ totius & maluæ, atriplicis, violariæ, parietariæ, brancæ vrſinæ, lactucæ ſingulorum m̄ j. quatuor ſeminum frig. maiorum contuſorum, ſingul. ʒ. iij. ſeminis aniſi & fœniculi ſingul. ʒ j. prunorum dulc. par. j. florum viol. bugl. & nymph.

nymph.ſingul.pug.j. fiat decoctio, cape de colat. ℔.j.ß. in qua diſſolue caſſiæ ℥.j.cathol.℥.ß.ſacc. & mellis roſ.col. ſingul.quart. ß. olei viol. ℥.iij. ſalis tantillum: miſce & iniiciatur clyſter longè à paſtu. aut,

Bolum ex caſſiæ ℥.j.cum ſaccharo: vel ex caſſiæ & cathol.ſingul.℥.ß cum ſacch.bolum exhibeto: vel potum ex iiſdem in aqua endiuiæ, vel iure pulli diſſolutis propinato: vel ex rhabar. electi ʒ.j. & cinamomi granis iiij. in aquæ end.℥.iiij. infuſorum & expreſſorum cum ſyrupi viol. vel roſac. ſolutiui ℥.j. Vena verò ſi minimè tibi ſecanda videtur, ſaltem ad reuulſionem cucurbitulis vtitor: parteis omnino oppoſitas arctiſſimè vincito, vehementer fricato, eaſque aliqua decoctione calenti foueto. Porrò ſi ægrum cacochymum deprehenderis, pro cacochymiæ natura humores coquito ac præparato, eoſque conuenienti cathartico educito: meatus tamen (ne fluxio augeatur) immodicè ne reſerato. Præſertim verò hoc in affectu bilis purganda videtur, tum ob fluxum, tum ob febrem coniunctam: ſic enim tenuior pars ſanguinis abit in bilem quæ fluxionem adauget: eius autem purgandæ formam in eryſipelate præſcribemus. Fluxionem quoque cohibebimus repellentibus: vnde initio fluxionis, niſi materia venenata, vel admodum craſſa, vel critica (quæ rarò cum eſt vera phlegmone accidunt) vel in emunctorio ſeu adenoſis partibus refrigerantibus & ſtypticis, humorem regeremus ac repellemus. In quem vſum vſurpabimus ouorum albumina, oxycratum, ſuccos aut aquas ſtillatitias ſemperuiui,

lactucæ, portulacæ, lenticulæ, aquæ plantaginis, ſolani, polygoni, equiſeti, virgæ ac burſæ paſtoriæ, vmbilici veneris, intibi, trifolij, pſyllij auriculæ muris, oxalidis (acetoſam vocant) omphacij, rhois, capreolorum vitis, ſummitatum rubi. Huc ſunt referenda folia, extremitates & fructus ſorborum, meſpilorum, coronorum, piraſtrorum, cydoniorum, myrtorum, quercus, cupreſſi, cytinus, balauſtia, malicorium, acacia, bolus armena, terra ſigillata. Et vbi acrior eſt inflammatio, miſceri poterunt ſucci papaueris, hyoſcyami & pomi mandragoræ. Conferunt quoque olea viol. roſ. myrtil. cydon. nymp. de pap. cum aquis aut ſuccis & aceto: ſed cauendum ne ſolùm oleum applicatum feruorem augeat, vt ferè fit in magnis inflammationibus. Ex iis autem omnibus ſequentes formulas conficies.

℞. ſuccorum ſemperuiui, plantag. ſolani, lenticulæ aquæ, ſingul. quart. j. aceti ℥. j. olei roſ. vel nymph. ℥. j. ß. hord. ℥. ij. coquantur in formam pultis, aceti loco, vino auſtero vti poteris. Si malicorij & rhois in puluerem redactorum addideris ſing. ʒ. j. cataplaſma conficies: vel,

℞. ſantali albi & rub. ſingul. ℥. ß. ſeminis pap. cornuti ʒ. ij. cimoliæ, boli arm. ſing. ʒ. j. ſuccorum ſolani, ſemperuiui & lactucæ, ſingul. quantum ſufficit, fiat forma linimenti: vel,

℞. olei roſ. ℥. ii. aquæ roſ. vel viol. vel lact. vel ſolani vel portul. ℥. iiij. ouorum albumina. ij. vel oua integra, permiſceantur, & agitentur ſimul, & ex mixtione affectus liniatur.

Tertius ſcopus docet materiei iam coniunctę atque impactæ habendam eſſe curam: ea ſiquidem

dem vacuationem expoſtulat. Itaque in incremento geminus eſt curandi ſcopus: alter in repellendo, ob materiam influentem, alter in diſcutiendo, ob materiam parti inhærentem.

Diſcutientia & reſoluentia.

Diſcutientia mitiora ſunt aqua calida, vinum giluum ac tenue, panis furfuraceus fermentatus, adeps ſuillus, gallinaceus, anſerinus, anatinus, oleum vetus, oleum chamæm. & anethinum, lana ſuccida, butyrum, furfur, hordeum, lentes, althea, malua agreſtis, chamæm. melil. parietaria, abſynthium, braſſica, caricæ pingues.

Valentiora ſunt, farinæ ſeminis lini, fœnigr. lupinorum, orobi: adipes taurinus, vrſinus, leoninus: Olea, laurinum, rutaceũ, irinum, ſicyonium, nucum: Radices ireos, ariſtol. rotundæ bryoniæ, gentianæ, folia hyſſopi, maioranæ, ſaluiæ, rutæ, abrotani, pulegij, calamenti, origani: ſemina aniſi, fœnic. anethi, dauci, carui: flores ſambuci & anthos, ammoniacum, bdellium, galbanum, opopanax. Sed in tumoribus calidis mitiora frequentiùs vſurpanda. In incremento diſcutientia cum aſtringentibus, ſubſequentibus formulis miſcebimus.

℞. farinæ ſeminis lini ℥.j.ß. farinæ hord. ℥.ij. florum chamæm. pug. j. roſarum rub. ℥ iij. fol. & baccarum myrti ſingul. ℥.j.ß. coquantur in aceto ad eius conſumptionem, terantur addendo pingued. gall. ℥.iiij. olei roſ. & chamæm. ſingul. ℥.ij. fiat cataplaſma. aut,

℞. fol. althææ, maluæ, abſynthij ſingul. m̃. ß florum nymph. & roſ. rub. ſingul. pug. j. farinæ hord. ℥.iij. pinſantur: deinde adde olei chamæm. &

roſacei ſingul. ℥.iij. fiat cataplaſma.

Potes adiungere furfur, anethum, chamæm. ouorum vitellos, axungiam gall. eoque vti proxime ſtatim ad repellendum, diſcutiendum & dolorem leniendum. aut,

℞. aquæ roſarum quart. ß. paſſi vel œnomelitis (vinum mellitum vocant) quart. j. croci ʒ.ij. bulliant tantillum temporis & applicentur. In ſummo tumoris vigore valentiùs diſcutiendum, miſcendumq́ue nonnihil refrigerantium & repellentium, potiſſimùm ſi omnino fluxio non conſtiterit (quanquam propriè ſtatus non eſt dicendus niſi fluxio conſiſtat) aut cùm ob dolorem noua timetur defluxio. In ſtatu formulæ topicorum obſeruandæ.

℞. panis triticei in aqua tepida macerati ℔.j. maluæ m.j. roſ. pugil. ij. ſubigantur, & fiat cataplaſma, vel

℞. maluæ, parietariæ ſing m̃.j. ſeminis anethi & fœnugr. ſingul. ℥.ß. florum chamæm. & melil. ſingul. pug. j furfuris pug. j.ß. coquantur in vino auſtero, & ſubigantur cum olei chamæm. ℥.iij. fiat cataplaſma.

Quando iam declinat affectus, ad vehementiora eſt accedendum, ita tamen vt immoderatè calida non ſint, ne noua ſuboriatur defluxio.

Ex ſuperioribus autem medicamentis proſunt formulæ ſequentes.

℞. farinæ ſeminis lini & fœnugr ℥.iij. farinæ orobi ℥.j. florum chamæm. melil. ſambuci ſing. pug. ß. roſ. rub. ʒ.ij. florum anethi ℈.iiij. pulueris iridis orient. ℥.ß. coquantur in vino mulſo, vel apij ſucco: dein miſce amurcæ, olei de lilio ℥. iiij. olei

iiij.olei viol. ℥.ij fiatque cataplaſma: & aliud. ℞. radicis althææ.℔.j. rad lilij ℥.iiij.florum chamæm.melil.ſing.pug.ß.furfuris pug j coquantur, pinſantur, cibro traiiciantur: poſtea miſce olei chamæm.anethini,lilij,& roſ.ſingul.℥.ij.medullæ cruris vituli & bouis, pingued.gallinæ ſingul.℥.j ceræ albę ℥.j.ß.pomorum coctorum ℥.iij.ß.omnia iterum lento igni mediam horam concoquãtur continuò agitando,& fiat forma cataplaſmatis. Cùm verò propemodum abſumptus eſt tumor,quod ſupererit deſiccato, baccis myrti, balauſtiis,ſumac. & ſimilibus vino auſtero concoctis,& decoctione calenti locum foueto:ſic enim & humoris reliquias abſumes , & partem diſcutientum vſu relaxatam confirmabis.

Cæterùm tumor ſi reſoluentibus medicamentis nequaquam ceſſerit,abſceſſum ſuppurantibus conficito,ac diſcutientia miſceto.

Ad pus generandum.

Pus conficiunt aqua modicè calens , oleum dulce,butyrum recens,adipes, medullæ, œſypus, pix ſicca,reſina,colophonia, thus,cera,ladanum, ſtyrax pinguis, galbanum, crocus, farina triticea, colla librariorum ex farina puriſſima,viſcum aucupatorium,caricæ pingues, cepe coctum, radix lilij,althea,malua,branca vrſina, tetrapharmacon ex farina triticea,oleo & aqua mediocriter coctis cum tantillo croci,diachylon macedonicum, quod ſequenti capite deſcribitur: Vel vteris ſequentibus.

℞.radicum lil.& altheæ ſing.℥.iiij.fol.maluæ, brancæ vrſ.viol.erigeri, ſingul.m̃.iij.ß. caricarum pinguium, paſſul.mundatarum ſingul.paria 8.fa-

rinæ tritici ℥.iiij.farinæ ſeminis lini ℥.ß. perfectè coquantur,pinſantur,cribro tranſmittantur,deinde adiungito adipis ſuilli,vel bubulini ℥.iij. olei de lilio & chamæm. ſingul.℥.iij. miſceto,& cataplaſma conficito. aliud,

℞.radicum lil.bryoniæ, lapathi acuti ſub cineribus coctarum ſingulatum quatt. ß. terito, & miſceto muccag.althææ,mal.& ficuum ſingul. ℥.j. farinæ triticeæ,hord.& lini ſingul.℥.ß.axung. ſuillæ ſalis expertis , quantum ſufficit , fiat cataplaſma.

Ad vomicam aperiendam.

Quando pus eſt confectum abſceſſum quo loco conuenit cauterio, vel ſcalpello, vel ſequenti medicamento aperies , quanquam tutius eſt vti cauterio.

℞. fermenti acris ℥.ß.cepe ſub prunis cocti ℥. ij. ſtercoris columb.& ſeminis canabis ſingul.ʒ.j. limaces.iij. ſaponis nigri & axung. ſuillæ ſingul. quantum ſufficit,fiat emplaſtrum exiguum , inſtar nummi aurei,quod vomicæ vel eminentiori tumoris loco applicetur,& aliud ex ſuppurantibus & reſoluentibus circumponatur.

Aperta vomica quibus vtendum.

Aperta vomica digeſtiuo (quod vocant)ex oleo roſ. & vitellis ouorum tres dies vtitor : nam dolorem demulcet,atque ad pus quod adhuc inerat adducendum adiuuat: poſtea ad detergentia , ſeu mundificantia properato , ſub ſequenti formula.

℞. ſyrupi roſati vel mel.roſ. col.℥.ij. terebint. ℥.iij. modicum coquantur,adde farinæ hord.ʒ.j.ß.croci modicum,& vitellum vnum oui : id vtile eſt

le eſt, cùm æger exacto eſt ſenſu prædítus. Erit autem ſarcoticum, ſi detracto vitello, addideris thuris ℨ.j.ß. myrrhæ & aloes ſingul. ℨ.ij. ſang. drac ℨ.j.

Ad dolorem leniendum.

Quartus ſcopus phlegmones curandæ ad ſymptomata pertinet, inter quæ dolor obtinet principatum: qui commodè lenietur oui albumine, vel ouo integro, cum oleo roſ. agitato: aut ſequentibus vtere.

℞. micæ panis triticei aqua calenti macerati & expreſſi lib.j. vitellos ij. lactis caprini ℥.iij. miſce, fiat cataplaſma. aliud,

℞. maluæ m̄.j. farinæ hord.℥.j. coquito, & cum oleo roſ. miſceto in formam cataplaſmatis. aliud.

℞. florum chamæm. & melil. & anethi ſing. pug.j.ß. farinæ ſeminis lini & fœnug. ſingul. ℥.ij. elixato, atque muccag. altheæ ac fœnugr. ſingul. ℥.ß. olei chamæm. & anethini quantum ſatis eſt adiungito, & fiat cataplaſma. aliud,

℞. rad. altheæ ℥.ij. mal. viol. ſingul. m̄.ß. chamæm. roſ. rub. ſing. pug.ß. coquantur, ſubigantur, & butyri recentis ℥.ij. olei roſ. vel. viol. ℥.iij. addantur ad cataplaſma conficiendum.

Dolor verò ſuperioribus niſi ſedetur, adſitque calor vehemens, ad ſequens narcoticum eſt confugiendum.

℞. fol. hyoſcy. ſtupis obuolutorum, ſub pruniſque coctorum m̄.j. contunde cum adipe ſuillo, & adde croci tantillum. Potes miſcere folia braſſicæ & maluæ ſimiliter cocta cum farina hord. aut vnguentum roſ. vel p[illegible] ul. hyeme loco

foliorum hyoſcy. vtemur eius ſemine, vel papa. ſemine, cum lacte & hordei farina ſimul coctis.

Quando phlegmone obdureſcit, quomodo molliendum.

Tumor ſi quandoque aut repellentium, aut diſcutientium vſu immoderato, ſcyrroſam in duritiem degeneret, Radicem cucum. agreſt. aut bryon. aut aſari coquito, caricas, adipem anſerinũ vel gallinaceum addito ad cataplaſma. aliud,

℞. rad. alth. quart. j. volubilis m̃. j. far. hord. lini fœnug. ſingul. ℥. ij. olei aneth. vel chamæm. quantum ſufficit. aliud,

℞. rad. lil. & alth. ſingul. ℥. j. ß. rad. bryoniæ, cyclam. cucum. agreſt. ſingul. ℥. ij. in vino albo coquantur & tundantur, ſubinde addatur ſtercoris columb. & caprini ſingul. ℥. j. ß. ammoniaci in aceto ſcill. diſſol. bdellij & opopan. in oleo ſeſamino diſſol. ſingul. ℥. j. ladani & ſtyracis liquidæ ſingul. ℥. j. picis naualis quantum ſatis videbitur, fiat emplaſtrum, quod plurimum mollit & diſcutit.

Denique vbi extinctionis caloris natiui partis putredinis & gangrænæ periculum immineret, locum ſcarificato, aqua ſalſa abluito, farinæ fabarum & orobi ſingu. ℥ ij. cum oxymel. coquito, aut cataplaſmate penultimo vtitor.

DE FVRVNCVLO.

CAPVT. III.

Furunculus eſt tuberculum in acumen protuberans cum inflammatione dolore ac duritie, oui colũbini magnitudine excreſcens: fit à craſſo & impuro ſanguine, quem natura à probo puróque ſecretum tanquam vitioſum

ſum & inutilem in ſumma corporis expellit.

Signa ſunt exigua initio inflammatio cum puſtula, & veſica ſenſim increſcens cum dolore duritie & rubore dum ſtatum attigerit, qui circa octauum, nonum aut decimum diem abſoluitur.

Periculo caret furunculus, niſi Epidemicis temporibus, in carbunculum aut anthracem degeneret.

CVRATIO.

IN furunculo curando, tibi repellentibus minimè erit vtendum, quòd humor huiuſmodi tumorem efficiens ſit craſſus. Sed cum Galeno triticum ore ieiuno præmanſum ſeu maſticatum in formam cataplaſmatis applicabis, vel vſurpabis emplaſtrum diachilon, quod adipe anſerino, vel gallinaceo diſſolues: vel macedonicum ex Aëtio, quod plurimum huic affectui conferre ſæpenumero ſum expertus: ſiquidem dolorem lenit, diſcutit ac pus conficit: Sic autem componitur.

℞. picis naualis ℥.j. adipis ſuilli expurgati ℥.v. adipis taurini & œſypi ſingul. ℥.ij. reſinę pini ℥.v. liquefiant ſimul & addantur ceræ ℥.iij. Quod ſi dolor vrgeat: aut materia ſuppurationi ſit rebellis, vtendum cataplaſmate confecto ex rad. lilij. ℥.iiij. fol. mal. & viol. ſingul. m̃ j. coctis & ſubactis: quibus addes farinæ tritici & hordei ſingul. ℥.j. pingue d. ſuillæ ℥.iij. butyri recentis ℥.ij. vitellos duos. Cùm erit aperta vomica, deterſorium conficies ex ſarcoc. ʒ.iij. corticis thuris ʒ.j. cum melle roſ. col. vel ex tereb. mel. roſ. ſucco apij, cum hordei farina & oui vitello.

DE ANTRACE ET CARBVNCVLO.

CAPVT IV.

Carbunculus & Anthrax, quum nomine idem ſignificent, quia tamen vtraque vox vulgò diſtincte vſurpatur, paucis vtriuſque differentiam ſic expediemus. Vterque quidem ex craſſo nigro & præaſſato fit ſanguine, eóque corrupto, feruore & ebullitione erumpens in eſcharam. At carbunculus ex ſolo ardore & ſimplici putredine naſcitur. Anthrax verò ex maiore ardore putredinéque oriri ſolet, vnde venenatam & malignam quandam naturam aſſequitur. Vtriuſque cauſa ſunt, vel externa, vt cæli ſyderúmque infauſtus poſitus & coniunctio, aeris venenata conſtitutio, vaporum putridorum ex terra aut aquis in aerem expiratio. Interna ſunt ingens ardor & ebullitio craſſi ſanguinis extra venas putreſcentis, vnde carbunculus: qui ſi maligniorem & venenoſiorem qualitatem ex maiore incendio contraxerit, in anthracem deſinet.

Signa ſunt rubor ſuboſcurus aut citrinus in centro ſuo ciceris magnitudine veſicam habens, circùm ſubalbidam, & in medio nigricantem, durities, dolor, incendium, veſicationes tandem in circuitu erumpentes, ſerpentes, & velociter intumeſcentes dum in eſcharam nigram aut vlcus virulentum erumpant.

Non caret carbunculus periculo, præcipuè ſi venenum habeat copulatum. Aut in locuſtu venarum cor reſpicientium ſedem fixerit. Via enim rectitudine venenum cor attingit & tandem ſuffocat. Vide plura de prognoſticis in capite de Peſte.

CVRATIO.

CArbũculi curandi ac profligandi methodus quinque habet intentiones. Prima in debita

bita victus obſeruatione conſiſtit. Secunda in auerſione materiæ influentis, & corporis purgatione. Tertia in cordis confirmatione ac corroboratione. Quarta in topicis medicamentis. Quinta circa ſymptomata verſatur.

Prima intentio perficitur victu ab initio tenui, frigido & humido, quique putredini & veneno maximè aduerſetur. Proinde iuuabit vſus rerum acidarum, vt prunorum in prima menſa, oxalidis (acetoſam vocant) in iuſculis, mali punici & arantiorum, atque omphacij in condimentis.

Secunda intentio continet auerſionem & purgationem materiæ. Auertetur quidem venæ ſectione vſque ad animi deliquium excluſiuè. Vbi verò ſit vena pertundenda tibi locus affectus indicabit: nam ex oppoſito fieri debet ſeruata rectitudine Galeni. Ante tamen phlebotomiam, niſi ſatis fluat aluus, clyſterem mollientem cap. de phlegm. præſcriptum iniicies. Si vel vitium imbecillitas, vel aliud phlebotomiam fieri prohibeat; cucurbitulas parti oppoſitæ applicato, extrema ligato, fricato & foueto.

De purgandi ratione.

Elapſis duobus à venæ ſectione diebus, catharticum exhibeto: id verò imbecillum non valenter purgans eſto: ne immoderata fiat humorum agitatio quam expertus ſum maximo eſſe detrimento, ac propemodum exitioſam.

Medicamentum itaque conficies ex rubarb. ℈.iiij. cinamomi granis v. ſennæ orient. ʒ.ß. in aquæ endiuiæ ℥.iiij. infuſis & expreſſis, & ex ſyrupi roſ. ſolut. ℥.j.ß. vel, capito ſemi. citri, ace-

toſæ, & melonum ſingul.ʒ.ij. tamarind.electorum ʒ.vj. prunorum paria v. trium florum cord. ſing.pug.j. eaque coquito: & in ℥.iiij. colaturæ, catho. & triphetæ perſicæ ſingul.ʒ.iij. & rhab.in aqua end.infuſi ℥.j.ß.diſſoluito,ac ſyrupi roſ.ſolut.℥.j.miſceto.Si potione vti nolit, pilulas communes ei offeres, etſi pilulas dandas rarò ſuaſerim ob febrem:nam plus ſatis calefaciunt & ſiccant. Toto morbi decurſu erit danda opera vt aluus liberè fluat, & cum erit opus ſubducetur clyſtere molliente.

De cordis confirmatione.

Tertia intentio eſt in cordis confirmatione, cui rei diligenter eſt intendendum ob materiam venenatam:id verò fiet partim epithematis, partim potionibus. Epithemata ſtatim à venæ ſectione frequenter applicentur: & à purgatione medicamento leni,vel vomitu facta, potius cardiaci ſæpenumerò propinentur.

Epithemata fient ex aquis verbenæ, meliſſæ, ſcabioſæ, bugl. viol. roſ. acetoſæ, lact. plantag. nymph. vino aromatite vel albo generoſo, aceto,pulueribus cardiacis vt diamarg.frig. de gemmis, bezeraico, de bolo, cornu ceruino, corallo, caphura, croco, floribus cardiacis ſimul tuſis & in puluerem redactis,vt patet ex ſequenti forma.

℞.aquarum ſcab.acetoſæ, roſ.nymph.vel ſuccorũ depuratorum ſing.quart.j. troc.de caphura ʒ.j. coralli rub.ʒ.iij.cornu cerui vſti ℈.j. croci ℈.ß. aceti tantillum. Et ſi diues eſt æger adde diamarg.frig. vel alterius ʒ.j.ß. vini aromatitis aliquantulum,applicetur regioni cordis quater interdiu & noctu ſimiliter.

Potiones

Potiones cardiacas conficies ex dictis aquis & ſuccis, ac vino albo, habita tamen ratione temporis, vt æſtate aquas frigidiores præſcribas, hyeme contra addes aquis ſyrupos de limon. de acetoſ. citri, de bulg. capill. veneris, acetoſæ ſimplicis, theriacam veterem, mithrid. confec. alcherm. & de hyacintho, puluerem elect. de gemmis, diamarg. frig. beſeraicum, de bolo, de terra ſigill. vnicornu, quorum omnium miſcendi ratio eſt, vt in ℥. iiij. aquarum vel ſuccorum ſit ℥. j. ß. ſyrupi, & ʒ. ij. vel ʒ. ij ß. puluerum, quemadmodum patet his formulis.

℞. aquarum acetoſæ, roſ. ſcab. ſingul. ℥. j. ſyrupi de limon. ℥. j ß. pulueris elect. beſeraici ℈ ij. pulueris elect. de bolo. ʒ. ß. diamar. frig. ℈. j. fiat potio.

℞. ther. vet. conf. alcher. vel de hyacintho ſing. ʒ. ß. boli arm. terræ ſigill. raſuræ eboris ſing. ℈. j. vel tantundem pulueris de bolo diamarg. frig. de gemmis, & beſeraici, ſyrupi de acetoſ. citri, & de limonibus ſing. ℥. j. aquæ ſcab. hyeme, vel acetoſæ æſtate ℥. iij. vel iiij. miſce, fiat potus.

Cauſtica & alia topica carbunculi.

Quarta intentio circa topica verſatur. Puſtulæ itaque mox ab initio ferrum candens, vel medicam. cauſticum eſt apponendum. Optimum eſt autem ſequens, vas fictile exiguis admodum foraminibus in fundo pertundito, calcem viuam, vitriolum, ſal nitrum & alumen in puluerem redacta in vas coniicito, lixiuium acerrimum (quale eſt ex tartaro) atque feruentiſſimnm paulatim inſtillato, idque ter aut quater ita per-

colato. Poſteaquam ex percolatione liquorem ſuſceperis, iam quidem craſſum coquito, donec in gypſei lapidis formam incraſſetur & induretur: eritque tibi lapis tam cauſticus, vt intra duas aut treis horas non ſecus atque ignis vrat: Eum lapidem infernalem ſolent appellare. Aut lixiuium ex quo fit ſapo (id capitellum vocant) ſumito in fictili donec mellis craſſitiem habeat, coquito: deinde aliquid ſublimati addito, rurſumque donec in lapidis formam concreſcat, coquito, & in phiala, ne exhalet, obturata, ſeruato.

Puſtulæ ambitum poſt cauterium profundè ſcarificato: aqua ſalſa calenti & aceto lauato, ſequenſque Galen. cataplaſma apponito. Farinam lentium, panem ſyncomiſton, & arnogl. in aqua vel oxymel. coquito, & in formam cataplaſmatis admoueto. Cataplaſma ex malo punico acido dulci, vel ex duobus, altero acido, altero dulci in aceto ſatis coctis in omnibus malignis inflammatiſque puſtulis ad humoris acrimoniam retundendam eſt optimum, vt certa experientia comprobat: quanquam plerique medici id improbant: debet autem quarta quoque hora renouari.

Galenus puſtulæ admouet aliquem ex paſtillis andronij, muſæ, polyidæ, & ambitui emplaſtrum de arnogloſſa. Sequens aiunt à facultate recondita valere.

℞. ſuccorum ſymphyti maioris, ſcabioſæ, pedis colum. ſing. ℥. ij. far. hord. ℥ iij. apponito.

Vbi iam materia fluxit ne ad partes principes recurrat, in ambitu tumoris locus liniendus vnguento ex bolo arm. terra ſigill. ſantalis, oleo

roſ,

roſ.vel myrt.& aceto: alij addunt ſuccos plantag. & ſolani.vel ſequenti forma fiat,

℞. bol.arm. ℥.iiij.terræ ſigil.℥.ij. cornu cerui vſti,& raſuræ eboris ſingu.ʒ ij.caphuræ ʒ.iij. ceræ ℥.iij. olei roſ ℔ j.aceti ℥.iiij. aquæ roſ.℥.ij. albumina duorum ouorum, fiat vnguentum,quod diu ſeruari poteſt: idem ego domi ſemper paratum habeo. In ſtatu quando materia fluxit ad rumpendum carbonem ſequenti vtitor.

℞. rutæ m̄ j.fermenti ℥.j. ficus ſiccas iiij. pip. ʒ.j.ſalis ʒ.j.ß. fiat cataplaſma quod manè & veſperi applicetur:id enim biduo carnem laudatam à corrupta ſeparat. aliud,

℞. paſſul.caricarum, nucum rancidarum vel aſſatarum & farinę hord.ſingul.℥.ij.in vino rubro coquantur, ſubinde terantur, addendo pingued. ſuillæ ℥.iij. vitellos ouorum iij. niſi adhuc rumpatur,permiſce cepe coctum, fermentum vel ſabinam, aut,

℞. theriacæ ʒ.j. axung.ſuillæ ʒ.ß ſucci ſcabioſæ vel ſymphyti modicum, aut ſymphytum cum ſale & oui vitello apponito.

Vt autē eſchara decidat, vtere butyro loto: vel,

℞. alth.mal.viol.ſing.m̄.ß.farinæ,tritic.& adipis ſuilli ſingul.℥.ij. vitellos duorum ouorum, fac cataplaſma. Id enim multò celerius eſcharam ſeparat, quàm butyrum.

Ablata eſchara vlcus eſt detergendum ſyrupo de roſ.ſiccis, vel melle roſ. terebin.farina hord. vel ſucco apij, vel mundificatur ex apio.

De ſymptomatis carbunculi.

Quinta intentio ſymptomatis occurrit. Sunt autem ſitis, linguæ nigrities, dolor capitis &

vigiliæ : quandoquidem huic affectui febris vehemens eſt coniuncta.

Cùm ſitis afficit, ℞. rad. bugl. ſacharo conditæ ℥. j. ß. conſeruæ acetoſæ, & florum nymph. ſingu. ℥. vj. pulueris elect. diamarg. frig. ʒ j. coralli rub. & ſeminis citri ſing. ℥ ß. ſach. roſ. tabul. quantum ſufficit. fiat conditum, vel vtatur ſyrupis de limon. de acetoſ. citri, viol. & acetoſæ cum aqua hordei.

Cum lingua nigricat, ℞. ſeminis pſyllij ℥. j. ſeminis cydon. ʒ. j. ß. gummi tragag. ℈. iiii. ſach. candi in aqua roſ. diſſoluti ℥ j. ß. fiant orbiculi lupinis ſimiles, ex quibus aliquem ſemper ore contineat. vel,

℞. muccag. ſeminis pſyllij & cydon. in aqua roſarum extractæ ſing. ℥. iii. ſach. candi. ℥. j. ß. fiant globuli inſtar lupinorum, quos ore contineat.

Cùm capitis dolor & vigiliæ torquent : olei roſ. ʒ. iiii. lactis mul. ℥. i. aceti tantillum fronti & temporibus applicato.

Carbunculus verò ſi adeò malignus non fuerit, (quod ex ſymptomatis mitioribus deprehendes) poſt venæ ſectionem (ſi neceſſaria videbitur) fermenti ʒ. iii. caricas pingues iii. cum ſale miſcebis & applicabis : alii cæpe excauatum theriaca replent, ſub prunis coquunt & admouent : alii vitellos ii. fuliginis ʒ. i. ß. ſalis ʒ. ß. miſcent & applicant.

DE GANGRÆNA ET SPHACELO.

CAPVT V.

Gangræna phlegmoni & aliis id genus tumoribus ſæpenumero ſuccedit. Eſt autem incipiens membri corruptio,

ruptio, quæ ſi iam eò proceſſit, vt pars tota extincta ſit, ſphacelus ſeu ſideratio dicitur, quæ quidem nihil aliud eſt quàm cadauerosa & emortua caro.

Cauſa iſtius extinctionis, aut obſtructio eſt, aut contuſio, aut quicquid partem corporis vitali calore ac ſpiritu deſtituit.

Signa conſpicua ſunt ex colore partis cineritio & liuido, fungoſa carne, & ſenſus membri deperditione.

CVRATIO.

EAdem propemodùm gangrænæ curandæ ratio mihi videtur atque carbunculi, quod vtriuſque ferè ſunt communia ſymptomata.

Primus itaque tibi ſcopus eſto in conuenienti victu præſcribendo: qui ſit tenuis, refrigerans, obſiſtenſque putredini. Quibus vires imbecillæ, vinum permittatur oligophoron & dilutum, carnes euchymæ, & earum iura: in quibus cocta ſint acetoſa & lactucæ cum borag. vel bulg. vt in omnibus calidis affectibus.

℞. ſeminis lact. & pap. albi. ſing. ʒ. j. ß. quatuor ſeminum frig. maiorum contuſorum ſingul. ʒ. iii. pulueris diamarg. frig. ʒ. j ß. concludantur panno ſericeo rubro, fiantque noduli ponderis ʒ. ij. ß. bulliant in fine decoctionis iuſculorum, & exprimãtur. Prodeſt quoque vſus acidorum quemadmodum in carbuncul.

Secundus ſcopus tibi eſto in materia auertenda, quod fiet partim phlebotomia, partim laxantibus. Proinde ſi ſimul concurrant, quæ venæ ſectio deſiderat, venam ſecato poſt mollientis œnematis vſum, qui de phlegm. notatus eſt. Si quid verò venæ ſectionem impediat, alias reuulſiones iam dictas facito.

Humorum præparatio & purgatio.

Altero vel tertio die à venæ ſectione, bolum dato ex caſſiæ ℥.ij. & cathol. ℥.ß. cum ſach. vel diſſoluito in aqua gluglosſi: poſtea corpus ſequenti modo in catharticon præparato.

℞. rad. & fol. lapathi acuti & bugl. fol. borrag. cichorij, end. ſcariolæ, ſonchi, adianti, lupuli, ſcab. ſingul. m̃ j. quatuor ſeminum frig. maiorum contuſorum, ſeminis portul. end. acetoſæ, ſing. ʒ. ij. ſeminis aniſi & fœnic. ſing. ʒ. j. polypod. querc. ℥. j. thymi & epith. ſingul. ℥. j ß. ſennæ orient. ℥. j. trium florum communium ſing. pug. j. fiat decoctio in col. lib. j. ß. diſſol. ſach. ſolidi ℥. iiij. ſucci pomorum dulc. ʒ. iiij. pulueris ſant. moſcatel. & & pulueris diamarg frig. ſing. ℥. j. ß. fiat apozema clarific & aromat. pro v. doſibus.

Subinde purgatio fiat ex rhabar. ℈. iiij. cinamomi gr. v. infuſis in ℥. iiij. ſeri lactis caprini, adde mãnæ granatæ. ʒ ix. ſyrupi roſ. ſolut. ʒ. ij. Si magis laxandum videbitur adiunges elect. de ſucco roſ. ſeſquidragmam.

Ad cordis confirmationem.

Tertius ſcopus circa cordis confirmationem verſabitur: nam vbi ſanguis vſque adeò efferueſcit, vapores multi, nõ ſecus atque in carbunculo, ad cor feruntur venenati. Ergo ad epithemata & potiones cardiacas ſuperiori cap. deſcriptas confugito: Theriacam interdum præbeto: ſequenſq; opiata in vſu quotidiano eſto.

℞. conſeruæ rad. bugl. conſer. roſ. ſingul. ℥. j. conſer. florum chichorij ʒ. vj. pulueris diamarg. frig. ℈. iiij. pulueris beſeraici, ʒ. j pulueris elect. de bolo ℈. ij. pulueris de gemmis ℈. j. ſyrupi de

acetoſ.

acetoſ. citri, vel de pomis redolentibus quantum ſufficit, fiat forma opiatæ, de qua poſt purgationem quotidie manè capiat inſtar fabæ. Poſtea bibat cochlearia duo aquarum bugl. & ſcab. vel fiant ſequentes tabellæ etiam ad vſum quotid.

℞. fragm. lapidum precioſorum ſing. ℈. j. rhab. ℈. ß. coral. rub. ℈. ij. raſurę eboris ℈. j boli arm. pręparati ʒ. j. rad. tormentil. macis ſingul. ʒ ß. conſer. acetoſ. & florum nymph. ſing. ℥. j. ß. ſach. diſſoluti in aquis roſarum & acetoſæ quantum ſufficit fiat elect. in tabel. rhomboides ponderis ʒ. iij. vtatur, vt dictum eſt de opiata.

Topica remedia gangrana.

Quartus ſcopus docet topica loco affecto apponenda. Si viderimus membri floridum, ac viuidum colorem in liuidum, vel nigrum mutari, hæc ſunt admouenda.

℞. bol. arm. terræ ſigil. ſing. ʒ. j. aceti. q. ſ. miſce & gangrænæ ambitui, hoc eſt partibus ſanis apponito. Si vis ſuccos ſolani, plantag. ſemperuiui & ſimiles cum oleo roſaceo addito, vt in carbunculo, vel vnguento noſtro illic præſcripto vtere.

Locus verò affectus gangræna profundè ſcarificandus pro morbi magnitudine: poſtea hirudines ſi videbitur affigendæ: ſubinde locus aqua ſalſa aut lixiuio, aut aceto calenti, aut lixiuio in quo lupinorum magna quantitas cocta ſit, abluendus bis aut ter quotidie. Cataplaſma ex æquis partibus farinæ lupinorum, orobi & fabarum cum ſyrupo acetoſo aut oximel. addito, ſi vis ſucco abſinthij vel apij, eſt apponendum. Vbi iam furia & mali feruor ſeſe remiſerint, v-

tendum ægyptiaco, quod recipit ærug. raſilis, aluminis, mel.ſing. ℥.ij aceti ℥.v. Erit autem vehementius ſi ſalis parum adiunxeris. Si partis putredo, malique ſæuitia, ſupra ſcriptis minimè ceſſerit, ſed adhuc perſeueret, ſectiones, ſeu ſcarificationes profundiores faciendæ, deinde admouendus aliquis trochiſcus vel polyidę, vel muſæ, vel andronij, vel aſphodelorum, vel cauterium, vel medicamentum cauſticum, cap. de carbunculo præſcriptum, vel ſublimatum inter partem ſanam & ægram apponendum, ſemper locus in ambitu muniendus vnguento de bolo. Deinde danda opera, vt eſchara cauſtico medicamento facta decidat, id verò fiet butyro loco appoſito, aut digeſtiuo ex oleo roſaceo & vitello, aut iiij. vitellos capito & farinæ hord. ℥.ij. mellis verò deſpumati quantum ſatis eſt, & in principio admoueto: ſuccedenti vero tempore, mellis quantitatem augeto, ac myrrhæ ℥.x. adiicito.

Pars denique ſi in ſphacelum & necroſim inciderit, mox ſerra tibi erit reſecanda, ne pars ſyncera in ſimilem trahatur affectum. Quanquam id ſummo cum periculo fiat. Nam ſæpe in ipſo opere, vel profuſione ſanguinis, vel animæ defectu, moriuntur. Verùm hic quoque (vt ait Cornel. Celſ.) nihil intereſt an ſatis tutum præſidium ſit, quod eſt vnicum: purgato itaque corpore pro humoris peccantis exigentia, contemplabimur ægrotantis vires, an valeant, an animo ſit ipſe ad id valde propenſo. Nunquam etenim tale quid aggredietur rationalis chirurgus, niſi multis & crebris cùm familiarium & ami-

corum,

corum, tum ægrotantium precibus impulſus, ita vt magis inuitus quàm volens id aggreſſus videatur. Quinetiam duabus aut tribus horis antequam manum operi admoueamus, poterimus ægroto propinare ℈.j. aut ℈.j.ß. opiat. ſequentis, cum ℥.iij. aquæ lactucæ & nympheæ, & ſyrupi de papauere ℥.ß. ad ſenſum ſopiendum. Quam non ſolùm ad id vtilem, ſed etiam ad dolores extremos & vigilias, non aſſumptam tantùm, ſed & admotam comperi: vt in aurium & articulorum doloribus. Sed cùm ad dolores aſſumitur minor doſis eſſe debet, vt ad grana quindecim, cum aquis ſupradictis. Vbi autem admouetur, parùm eſt periculi de quantitate: imò poterit per ſe vel gemixta cum aliis, vt vnguentis, oleis, aquis & id genus, applicari.

Recipit autem pyrethri, euphorb. ſpicæ nard. ſingul. ℈.j. croci optimi. ʒ j. & ℈ ij. lachrymæ papaueris ʒ.iij. & ℈.j. ſeminis hyoſcyami albi ʒ.ij. & duas parteis ʒ.j. ſeminis papa. albi. ʒ.v. & ℈. ij. mellis optimi non cocti quantum ſufficit (arbitrarer in triplici aut quadruplici pondere adiiciendum) miſceantur, fiat opiata: qua vix ante ſex menſes erit vtendum: præparatis itaque ad agendum neceſſariis, ægroto optimè collocato, ab adminiſtris aut (ſi fieri expedit) vinculis firmiſſimè comprehenſo membrum in parte ſana reſecandum, vinculo priùs arctiſſimè, tres aut quatuor digitos ſupra corruptam partem, ligatum, tum ad ſopiendum ſenſum, tum ad ſanguinis profluuium ſiſtendum. Atque hic inter ſanam vitiatamque partem, caro ſcalpello aut nouacula in orbem, ad os vſque, incidenda, ſic vt

neque contra articulum id fiat. Adhæc, potius ex ſana parte aliquid excindatur quàm ex ægra omiſſum ſit, licet Vigonius in alia fuerit ſententia, vbi ad os, nouacula reſcindente, ventum erit, vt ea quoque parte aliquid ex oſſe planè nudetur, eius perioſtium expeditè corradendum: deinde ſerrula acutiſſima (qualis pectinarij fabri, nobis in tali opere ſæpe vſurpata, eſſe ſolet) quam proximè ſanæ carni etiam inhærente, præcidendum: ſtatimque poſt inciſionem tibi canteria admouenda, tum ad ſanguinem, tum ad ſpiritus cohibendos, ne immoderatè effluant. Deinde conſulendum viribus ægrotantis: tandem enitendum vt eſchara decidat, quemadmodum iam dictum eſt: vel vſu ſucci porri cum melle, vel radicis ireos cum melle: aut vnguenti poſtremi.

DE ERYSIPELATE.

CAPVT. VI.

Eryſipelas eſt vehemens ardor, ex bilis efferueſcentia in ſummam cutem diffuſus, nullo manifeſto tumore ſe prodens, nullaque collectione circunſcriptus. Id duplex eſt: Aut enim eſt ſimplex ſolo rubore & ardore abſque vlla exulceratione moleſtum. Aut exulcerationem habet coniunctam, qua aut ſummam cutem tantùm excoriat, aut altiùs in eam penetrat, è qua ruptis puſtulis ſanies emanat purulenta.

Cauſa procatarctica ſunt omnes, qua bilem generare ſolent antecedentes, & coniuncta ipſa bilis in cutem diffuſa & aliqua eius parte incenſa.

Signa ſunt color rubens vergens ad flauedinem, qui tamen vbi pars dolens tangitur ſtatim euaneſcit. Nullus prominet tumor, vehemens eſt calor, dolor mordicans & pungens,

pungens, nulla puris pulſatio eſt. faciem ſæpius occupat.

In oſsis denudatione Eryſipelas malum. In Eryſipelate ſanies aut putredo malum.

CVRATIO.

ERyſipelatis curatio quatuor ſcopis abſoluitur. Primus eſt in victus ratione frigida, humida atque incraſſante. Omnia pinguia, dulcia, acria, calidáque vitanda: quòd ea in bilem facilè conuertantur. Lactucis, cucurb. portul. acetoſa in iure præſertim vtendum: integra priſana vtilis, & cremor hordei ac eius decoctum in potu ad refrigerandum. Ad incraſſandum verò oriza proderit. Exercitatio, vigiliæ, ira, clamor, & ſimiles affectus, venuſque nocent plurimùm.

Secundus ſcopus materiam auertendam indicat. In quo animaduertendum diligenter, num affectus exiguus, num magnus. Nam ſi exiguus, nec corpus admodùm bilioſum, clyſter cap. de phleg. præſcriptus ſufficiet, aucta quantitate refrigerantium, addendo polypodij querc. & ſennæ orient. ſingul. ℥ j cum melle viol. & oleo viol. Si verò affectus inſignis, videndum num venæ ſectio ſit ex vſu; num ſufficiat catharticum. Nam ex Gal. ſententia in vero Eryſip. & corpore exiſtente admodùm bilioſo, chalogoga venæ ſectioni præſtant, ne phlebotomiâ ſanguis, qui bilis eſt fræuum, detrahatur, eaque magis ſæuiat. Ex aliis verò venæ ſectio prodeſt maximè, quòd ſanguis effluens vaſis contineatur, ac cum ſanguine bilis quoque exeat, totuſque corporis habitus refrigeretur, præſertim verò plurimum prodeſſe volunt, quando corpus non eſt admodum bilioſum, atque Eryſipelas eſt phlegmo-

nodes, quod ego etiam expertus ſum profuiſſe. Sed priuſquam venam tundas, niſi aluus ſatis ſit cita, eam enemate prædicto laxabis, atque vt dixi refrigerantium doſim adaugebis.

Præparantia & purgantia in Eryſip.

Venam verò ſiue pertuderis, ſiue ab ea ſecanda abſtinueris, nihilominus admodùm confert medicamentum bilem educens exhibere, quale eſt huiuſmodi:

℞. cathol. & trypheræ perſicæ ſing. ℥. ß. rhab. in ℥ iiij. aquæ end. vel ſeri capr. infuſi atque expreſſi ʒ. j. cinamomi gr. iiij. ſyrupi roſ. ſolut. ℥. j. aquarum end. & bug. ſingul. ℥ ii. miſce, & fiat potus. Ad bilem præparandam ſic fiat.

℞. rad. & fol. lapathi acuti, ſummitatum aſparagi & lupuli, fumar. end. non lothæ, cichorij, ſcariolæ ſonchi, lenticulæ aquæ, borrag. bug. totius, acetoſæ ſing. m̄. j. adianti. & agrim. ſing m̄. ß. quatuor ſeminum frigid. maiorum contuſ. ſeminis lact. & portul. ſing. ℥. ij. ſeminis papa. albi (ſi vis magis refrig. & incraſſare) tantundem, tamarind. elect. ℥. i. ſennæ orient. ℥ x. prunorum par. vi. paſſul. par. xii. trium florum communium ſing. pug. i. florum nymph. pug j. ß. fiat decoctio ad quart. v. in col. diſſolue ſyrupi viol. & roſ. ſolut. ſingul. ʒ. ij. ſacch. quantum ſufficit, fiat apozema clarific. & aromat. cum ſant. moſcat. & diamarg. frig. ſing. ℈. ii. vel ʒ. j. vtatur in tribus doſibus: ad magis laxandum potes diſſol. rhab. ʒ ii. ß. Vel fiat iulep. in ſequentem modum.

℞. ſyrupi de ſucco. end. ſyr. nymph. ſingul. ℥. ij. ß. aquarum cichorij & bugl. ſingul. ℥. iiij. ſant. moſcat. ʒ. j. fiat iulep. clarificetur & aromatizetur

tur pro iij.doſibus. vel,

℞.ſyr.acetoſæ ſimpl.ſyr.capil.ven.& de bugl. ſingul.℥.ij. aquarum acetoſæ, lupuli graminis, ſingu.℥.iiij. diamarg.frig ℈ iiii. fiat iulep.clarif.& aromat.pro iiij.doſibus Denique ad bilis præparationem vti potes omnibus propemodùm refrig.incraſſantibus, obtundentibus illius acrimoniam & putredinem arcentibus, tam herbis in apozemate, quàm aquis & ſyrupis.

A præparatione præſcribes catharticum præcedens. vel,

℞. tamarind.elect.℥.vj prunorum & iuiubarum ſing.part.v.paſſul. mund.℥.ß. hord.pug.ß.ſeminis melonum contuſi & lact.ſingu.ʒ.iij.trium florum communium ſing.pug.j.ſflorum nymph. pug.j.ß. fiat decoctio in col.℥.iiij.diſſol.caſſiæ ℥.ß.cathol. ʒ.iij. rhab.in ſero lactis capr. vel aqua end.infuſi & expreſſi ℈.iiij.cinamomi gr.v. ſyrupi viol. vel roſ.ſolut. ℥.j. Potes addere mirobal. citrin. oleo amyg. dulc.confric. ſeſquidragmam, fiat potus.

℞. conſer. cichorij, roſ. viol. vel acetoſæ & nymph & bugl. ſing.ʒ.j.ß.pulueris elect.triaſant. rhab.& ſeminib.duplicatis,& diatragag.frig.ſing. ℈.ß.ſach.ſolidi modicum,fiat bolus,qui detur altero die à ſumpto pharmaco. vel,

℞.elect.diamarg.frig.vel diatrag.frig.vel,triaſant. vel diarrhod.tabellas duas,ſumat altero die à ſumpto pharmaco.

Topica in Eryſipelate.

Tertius ſcopus topica remedia præſcribit: vnde in principio quidem Eryſip. frigida & humida competunt: aſtringentia verò ſicca locum

habere non debent: niſi in ſtatu & declinatio-
ne. In principio itaque iuuant ſemperuiuum,
portul.lact. lentic. paluſtris, vmbilicus ven.cu-
curb. pſyllium, glaucium, craſſula, ſolanum:
quorum capies ſuccos vel aquas ſtillatitias, mi-
ſcere poteris opij, aut ſucci pap.vel hyoſcy. vel
mandrag. vel cicutæ modicum, maximè æſtate:
aqua etiam frigidiſſima & oxycratum Galeno &
Auicennæ probantur. Omnia enim actu frigi-
da probantur, maximè æſtate. Addere quoque
ſuccis poteris hord. vel lentium farinam, & non-
nihil aceti ad cataplaſma conficiendum: aut vn-
guenti roſ. Meſuæ ℥ j. aqua roſ. abluito, albumina
ouorum adiicito (prohibent enim pinguitudi-
nem inflammari) & affectui applicato. Id enim
optimum eſt remedium: ſiquidem & exulcera-
tionem & bullas ſeu veſicas ex Eryſip. fieri prohi-
bet: eidem vnguento commodè muccag. ſemi-
nis pſyllij & cydon. cum ſucco infrigidante mi-
ſcebis.

Cùm Eryſip. faciem occupat, ſic facere ſoleo:
aquarum vel ſuccorum plantag. roſ. lact. ſem-
peruiui ſing. partes æquales, & aceti tantillum
miſceto: & imbutos ea mixtione pannos affectui
appono: frequentérque ne ſiccentur, & incale-
ſcant imbuo. Si inflammatio vehementior, quæ
iis facilè non remittatur, lib. æ vni aquarum vel
ſuccorum addo opij gr. v. & croci gr. vj. vel ſucci
hyoſcy. ℥. j.

Cùm Eryſip. caput afficit vnguentum roſ. cum
oleo viol. prodeſt. Iuuat quoque ceratum album
Galeni ex olei iiij. partibus, vna ceræ, & aceti
puſillo

puſillo, quod manibus ſubigitur, effundendo continuò aquæ frigidiſſimæ quantum capere poteſt, aut eius loco ſequens linimentum erit ex vſu.

℞.olei roſ.℥.iij. olei nymph. ℥.ij. ſant.citrini & rub.ſingul.ʒ.ij.troc.de caph.ʒ j.ſucci ſolani & aceti ſing.℥.j.miſce: aut,cape aquæ roſ.ʒ.iiij. albumina trium ouorum, & aceti ℥.i.ß.miſce. A refrigerantibus ad diſcutientia tranſeundum,antequam pars liueſcat: debent autem eſſe leniora diſcutientia, vt farinæ hord. & lentium, althea, malua, oleum roſaceum.

℞. virgæ paſt.m̄.ij. arnogl. m.j. coquantur in aqua extinctionis ferri, terantur addendo farinæ lentium & olei roſ. modicum, & fiat cataplaſma. vel,

℞. litharg. auri ℥.i. ceruſæ lotæ ʒ.vi. ſucci plantag. & lactis mul.ſing.℥.j.ß.olei roſ.omphacini ℥.iii. ceræ albæ quantum ſufficit, fiat vnguentum. Potes etiam vti nutrito ex litharg. oleo roſ.aceto,ſucco plant.& ſolani.

Cùm dolor eſt acerbiſſimus, radicem vel folia hyoſcy.ſub prunis coquito, & cum vnguento popul.miſceto. vel,

℞. ſeminis hyoſc.ʒ.j.ſemini pap.albi ʒ.ii.cum vnguento popul.aut vnguentum album cum caphura,& vnguentum popul.cum ſucco hyoſc.vel ſemperuiui, vel virgæ paſt.miſceto.

Cùm viuidus partis color infrigidantium vſu nimio extinctus videtur, locum ſcarificato, aqua marina lauato,eamque cum catapl.miſceto.

Quando in Eryſip. bullæ ſeu veſicæ excitan-

tur, vtile eſt linimentum de vigo, ſub hac forma.

℞. olei viol.& roſ.ſing ℥.ij. vnguēti roſ.℥.j.ß. lithar.auri & arg. ſingul.ʒ.ß.tuth.ʒ.ij.ceruſæ ʒ.vj. caph.ʒ.j. ſuccorum ſemperuiui & plantag.ſingul. ℥.ß.fiat forma vnguenti nutriti,quod etiam confert vlceri virulento. Si Eryſipelas in vlcus degeneret, ſequentibus vtitor.

℞.ſucci ſummitatum rubi, & ſolani ſing.℥.j. olei roſ.℥.iij.aceti parum, ceruſæ & litharg. ſing. ℥.ß.fiat linimentum. vel,

℞.troc.alborum raſis ʒ.j.ß.plumbi vſti & loti.ʒ.j.caph.(ſi magna inflammatio.)Ə.ß.olei roſ. ℥.iij.ceræ quantum ſufficit fiat linimentum.

Cùm verò Eryſip.in duritiem abit, ſequens eſt optimum.

℞. olei viol.& roſ. pingued. gallin. & butyri ſing.℥.ij. axung.caprinæ & vitulinæ ſingul.℥.j.ß. medullæ cruris vituli ℥.j. muccag. alth. mal. & pſyllij.ſingul. ℥.vj. bulliant ad muccag. conſumptionem: deinde adde litharg.auri ℥.iij.ceræ albæ quantum eſt ſatis, fiat ceratum molle.

Poſtremus ſcopus eſt in ſymptomatis corrigendis. Ex Eryſip. quidem oritur febris, & ex febri dolor capitis, vigiliæ & ſitis, quibus occurrendum.

Ad capitis dolorem.

℞. coriand. præparati ʒ.iij. ſeminis pap. albi & corticis eiuſdem, ſeminis lact.ſingul.Ə.iiij.granorum tinctorum Ə.j.florum viol.nymph. & roſ. rub.ſing. pug.ß.omnium ſantal ſing.ʒ.j.terantur, & cum panno ſericeo rubro fiat frontale: quod vapore aquæ roſ. & aceti ſuffiatur, & fronti ac temporibus applicetur. vel,

℞.lactis

℞. lactis mul. ℥. iij. aceti ℥. j. olei roſ. ℥. iiij. albumina ij. miſce, & liniantur frons & tempora, vel vtere ſolo oxyrhodino. Oleum quoque frigidum in aures eſt inſtillandum, ac volę manuum plantæque pedum vnguento populeo vngendæ.

Ad ſitim ſedandam.

℞. conſeruæ viol. ℥. ij. conſer. rad. bugl. ℥. j. conſer. florum nymph. conſer. florum cichorij ſing. ℥. ß. pulueris diatrag. frig. recenter diſpenſati ʒ. j. ß. pulueris diamarg. frig. ℈. iiij. ſacc. roſ. tabul. quantum ſufficit, fiat conditum auro coopertum, quo vtatur cum aqua hordei dum ſitiet: vel in ea aqua diſſoluta ſyrupum roſatum, vel viol. vel acetoſæ ſimpl. vel de acetoſ. citri, vel vtatur præſcriptis, cap. de Carbunc.

Ad hepatis intemperiem calidiorem.

Cùm verò hoc in affectu, plerumque ſit hepatis intemperies calidior, quę plurimum bilis acetuat & auget affectum, ſequentia iuuabunt.

℞. cerati ſantal. ℥. iiij. oleorum nymph. & de ſemine cucurb. ſucco end. ablutorum, ſingul. ℥. j. ß. ſpicæ nardi ℈. j. troc. de ſpodio ʒ. j. ſeminis end. & portul. ſingul. ℈. ij. aceti aliquantulum, miſceantur, & regio hep. vngatur, cùm adit lectum. aliud,

℞. vnguenti albi Galeni ℥. iiij. ſpicæ nardi ʒ. ß. omnium ſant. ſingul. ʒ. j. roſ. rub. florum viol. & nymph. ſingu. ℈. ij. fiat vnguentum ad hepatis regionem vngendam.

℞ roſ. rub. florum viol. & nymph. ſingul. pug. ß. coral. rub. ſantali albi & rub. ſingul. ℈. iiij. ſeminis lact. & end. ſing. ʒ. j. ſpodij. ʒ. ß. redigantur in

puluerem, qui ſacculo ad formam lunæ creſcen-tis confecto, excipiatur: & vapore aquæ roſ. atque aceti ſuffiatur: deinde hepatis regioni applicetur.

DE HERPETE EXEDENTE.

CAPVT VII.

Herpes ex iiſdem cauſis ex quibus Eryſipelas generatur. Eſt enim puſtuloſa inflammatio cum pruritu & rubedine, partem in quam ſerpit exulcerans.

Fit à flaua bile eáque tenui & ardentiſſima, facilè ſummum corpus ſua tenuitate ad epidermidem vſque penetrans, vbi cum retineatur nec vltra expirat, eam partem erodit atque exulcerat.

Ex maligna vel benigna bilis natura magis aut minùs periculoſus eſt. Herpes in cancrum degenerans, malum.

CVRATIO.

PRimum huius affectus curandi præceptum ad victus inſtitutionem refertur: quæ atque in Eryſip. eadem eſto.

Secundum præceptum ad materiæ antecedentis ſpectat auerſionem: quàm cum reuulſionibus, tum frequenti catharticorum vſu efficito, ad reuellendum partes oppoſitas fricato, arctiſſimè vincito & extrema foueto. Venam tamen ne ſecato (niſi plenitudinis apparerent indicia) quod huius affectus materia, à laudati ſanguinis natura plurimùm ſit abalienata: Ad reuulſionem quoque conferunt purgationes.

Ad humores aduſtos præparandos & purgandos.

Primùm quidem bolum ex caſſiæ ℥ j rhab. ℈ ij. cina-

cinamomi gr.iij.cum ſacch.præbeto:aut ea in ſero caprino vel aqua end.diſſoluta dato. deinde,

℞. Summitatum aſpar.lupuli,fumar.bugl.totius borrag.end. cichorii, ſcabiolæ, hepaticæ, agrimon. capillarium communium ſing.m̄.i.quatuor ſeminum frig.maiorum contuſorum ſingul. ʒ ii. tamarind. paſſul. mundatarum glycyrrhizæ contuſæ ſingul. ℥ i.ß.polypod.querc.recen ſennæ orient.ſingul.ʒ.vi.thymi & epith.ſingul.ʒ.ii.cicerum rub. pug.i.ß. florum viol. bugl.nymph geniſtæ ſing.pug.i. fiat decoctio,cape de col.℔ ii. in quibus diſſol. ſyrupi capil.ven. & de epith.ſing. ℥.iii. ſacch. ℥.iiii. puluetis diatrag. frig.ʒ.ii. fiat apozema clarificatum & aromatizatum pro vi. doſibus, aut,

℞. ſyrupi end & de bizantiis ſing.℥.ii. ſyr.capill. ven.℥.i. aquarum graminis, bugl. & lupuli ſingul.℥.iii.pulueris ſantali,moſcat.ʒ.i.ß. fiat iulep.pro iii. doſibus: quod ſi congruum videbitur repetes,& iterum dabis. poſtea,

℞.pulpæ tamarind.℥.vi.ſennæ orien.℥.ß. myrob. citrin.in oleo amyg.dulc. confricatarum ℈. iiii.thymi & epith.ſingu.ʒ.i. paſſul.mund par.vi. florum cord. ſingul.pug.i. fiat decoctio in aqua hord. in col.℥.iiii. diſſolue catho.ʒ vi. diapruni ſolut. ʒ.i.ß. ſyrupi roſ.ſolut.℥.i. commiſceantur & fiat potus.Erit autem valentior ſi rhab.ʒ.ß.cinamomi gr.j. velis addere.

Cùm verò vnica non ſufficiat purgatio, ſequens opiata maximè eſt profutura: non modò hoc in affectu,ſed in reliquis quoque ab humoribus aduſtis & acribus.

℞.pulpæ tamarind.℥.i.caſſiæ in aqua viola-

rum extractæ ℥.j.ß. foliorum ſennæ orient. ʒ.vi. vel loco illius, diaſennæ ſolut.℥.ß.vel confectionis hamec tantundem, elect.de ſucco roſ.ʒ.iii. rhab.ſero caprino irrorati ℥.ii. cinamomi ℈.ß.ſyrupi viol.quantum ſufficit, fiat opiata de qua capiat ſemel in hebdomade à ʒ.vi.ad ℥.j pro laboratis natura. Denique eadem ferè in hoc affectu, & in Eryſip. medicamenta laxantia exhibentur.

Tertium præceptum ad topica conducit: quæ aliter quàm in Eryp. ſunt præſcribenda: quandoquidem Eryſip. refrigerantia & humectantia recipit: herpes verò refrigerantia & ſiccantia requirit, quemadmodum phlegmones initium, niſi quod in herpete valentiora ſint oportet. Quando itaque humor in partem influit: iuuant ſolanum, lenticula paluſtris, rhus, vitis capreoli, ſummitates rubi, folia oleaſtri & ſalicis, balauſtia, malicorium, calices glandium & id genus: quorum capiemus ſuccos, aquas ſtillatitias, vel ea incoquemus, & addita farina hordei vel lentium cataplaſma conficiemus. Suntque ſequentia perutilia.

℞.malicorij ℥.iiij.rhois vtriuſque m̃.ij. farinæ hord.℥.iij. coquantur in vino auſtero, terantur, fiat cataplaſma. vel,

℞.arnogl.ſummitatum vitis,rubi,oleaſtri ſing. m̃.j.balauſt. pug.ij.fiat decoct.ccape de col. ℥.x. quibus adde farinæ hord. ℥.j.far.lupinorum (ad reſoluendum) ℥.ß.olei nymph. vel roſ.℥ j.ß. coquantur, & fiat puls,quæ applicetur: aut ſuccus lapati acuti diu in aceto macerati, applicetur: cui addere poteris puluerem balauſt. gallarum viridium & alumen.

Humor

Humor poſteaquam defluxerit, tum ſufficient ſiccantia & diſcutientia minimè acria. Veluti ſequens à Vigonio præſcriptum.

℞. ſuccorum plant. & ſolani ſing. ℥ j. ſucci radicis lapathi ℥. ß balauſt. pug. i. roſ. rub. ʒ. i. ß. aluminis ʒ. i. aceti ℥. ij. bulliant ad aceti & ſuccorum conſumptionem: deinde terantur horam vnam in mortario plumbeo, addendo litharg. vtriuſque ſing. ʒ. ij. ceruſæ ʒ. j. tuth. ℥. ii. ſi magis vis exiccare, adde ſcoriæ ferri præparatæ ʒ. ii. floris æris ʒ. i. vel calcis lotæ tantundem. aut,

℞. Lanæ ſuccidæ vſtæ donec in puluerem redigatur ʒ. ii. cort. pini vſti & loti ℥. i. ß. adipis caprini ℥ i. olei myrtini ℥. iii. ceræ quantum ſufficiat, fiat vnguentum. Proſunt etiam emplaſtra de arnogl. & de duobus malis punicis: quibus miſceantur balauſt. gallæ virides. Valent etiam vnguenta pompholig. & album Rhaſis & plumbi lamina, quæ fuerit in aqua aluminoſa diu macerata.

Humor ſi ſua acrimonia vlcus effecerit, ſequenti decocto erit fouendum.

℞. Burſæ paſt. centinod. plantag. ſolani, ſingu. m̄. j. calicum glandium viridium, vel nucum cupreſſi ſing. paria x. baccarum & foliorum myrti, malicorij & balauſt. ſingul. ℥. j. acac. & hypociſt. ſing. ʒ. vi. myrrhæ & thuris ſing. ʒ v. fiat decoctio in aqua fabrorum, qua vlcus lauetur & foueatur: hic enim fotus partem roborat, vlcus deterget, ac humoris defluxionem cohibet: à fotu verò aliquod ex ſuperioribus vnguentis, vt neceſſarium videbitur admouebis.

Cùm vero humor vſque adeò acris fuerit, vt

vlcus phagedænicum excitet, quod mitioribus medicamentis haudquaquam cedat, ad valentiora recurrendum: diſſoluendi itaque trochiſci muſæ andronij, vel polyidæ. Cùm verò exoleuerint, neque à pharmacopolis præparantur, ſoleo arſenicum ſublimatum optimè tritum cum vnguento albo miſcere, & eo ellychnia imbuere atque interea ambitum affectus vnguento de bolo munire, vel oxycrato ne ob dolorem oriatur defluxio. Denique ſi magis magiſque ſerpat vlcus, ad ferrum ignitum accedendum.

DE HERPETE MILIARI.

CAPVT. VIII.

Herpes miliaris differt à ſuperiore, quod ex craßiori bile, & (vt nonnulli volunt) admixta pituita generari ſoleat. Eſt igitur Herpes miliaris papula cum quodam ardore cutem, ſerpentibus puſtulis milio haud abſimilibus exaſperans.

Cauſa eſt bilis craßior, quæ in puſtulas purulentas facilè conuertitur, ſuáque acrimonia & tenuitate quadam cutem exedit.

Signa patent ex puſtulis milio æqualibus, aut etiam maioribus cum pruritu & calore, ſcalpendique deſiderio: ſenſus quaſi punctura formicæ percipitur, quæ tandem in vlcuſcula deſinit.

Prognoſtica eadem propè ſunt cum ſuperioribus. Herpes tamen miliaris difficilioris eſt reſolutionis, quàm ſuperior. Ac præcipuè ſi ex lue venerea ortum habeat.

CVRATIO.

HVic quoque affectui medendo, aliquot canones ſunt neceſſarij.

Primus

Primus vt diætam præſcribas, quæ tum bili, tum pituitæ aduerſetur.

Secundus vt humores præpares ac purges: nam venæ ſectio hic etiam locum non habet.

Præparationi verò & purgationi de ſuperiori herpete præſcriptis, addemus quæ pituitam coquunt & purgant, pro ratione mixtionis pituitæ cum bile.

Pituitam præparant incidentia, tenuantia, detergentia, aperientia, vt radices aperientes, iris, ei u a, b. tonica, meliſſa, hyſſopus ſampſucus, ſtæchas & ſimilia: inter ſyrupos, ſyrupus capill. ven. de bizantiis, de duabus & quinque radicibus, mel roſ. oxymel ſimplex ſyrupus de hyſſopo, de ſtech. oxymel ſcylliticum. Purgantia ſunt ſemen carthami, polypod. agaricus, elect. de citro ſolut. diacart. diaphœn. indum: quæ miſcebuntur cum aliquibus ex iis quæ de Eryſip. & de herp. exedente dicta ſunt: medicamenta etiam pituitea fuſius habebis cap. de Oedemate.

Tertius canon eſt, vt ad topica accedas: in principio quidem conueniunt catap. de arnogl. cum puluere balauſt. & gallarum viridium, catapl. de duobus granatis, ſuccus rad. lapathi acuti in aceto diu maceratæ, cum dicto puluere & alumine: lapathum enim mollit & ſiccat, & acetum extinguit bilem. aut,

℞ gallarum, malicorij, balauſt. boli arm. ſing. ℥ j. aquæ roſ. ℥. iij. aceti acerrimi ℥ j. miſce.

Ad diſcutiendum vti ſoleo aqua ſublimata, vel ſucco aſphodel. vel ſucco ſmilacis aſperæ, vel oleo de geniſta, extracto dum ea comburitur: vel gummi prunorum diſſol. in aceto acer-

rimo:alij piſcium ſalſorum capita cremata in puluerem redigunt, vino diluunt, & applicant:alij lanam ſuccidam vrunt, in puluerem redigunt, & cum aqua peculi roſ. miſcent:alij capiunt ærug. raſ. & ſulph. ſingul ℥ j. aquæ ſarmentorum vitis dum comburuntur extractæ quantum ſatis eſt ad linimentum conficiendum.

Ad herpetas manuum ex lue venerea.

Remedia vniuerſalia ſunt tibi ex cap. de morbo venereo petenda: pro topicis autem ſic facito. Ex oleo nucum & cera linimentum conficito, cui addito pulueris præcipitati, quantum videbitur. vel,

℞. olei roſ. ſuccorum oxylapathi & citrang. ſingul. ℥.ij. muccag. ſeminis lini ℥.i. axung. ſuillæ non ſallæ ℥ j ß. litharg. nutriti ℥.ij. pulueris præcipit. ℥.ß. vel,

℞. olei roſ. & chamæm. ſingul. ℥. vi. ſuccorum oxylap. acetoſæ, enulæ camp. ſing. ℥. iiij. ſuccorum fumariæ, ſaponar. plantag. ſingul. ℥. iii. bulliant ad ſuccorum conſumptionem, adde ſulph. viui aqua roſ. loti ℥. j. ſtaphyſag. pyrethri ſing. ℥. ß. euphorb. ʒ. vi. maſtich. thuris, myrrhæ ſingul. ℥. j. litarg auri & ceruſæ ſing. ℥. ii. ß. cinabrii ʒ. x. mercurij in ſucco limonum extincti ℥. vi. axung. veteris ſalis expertis ℥. x. miſce, fiat vnguentum, quo calide partes vngantur & vicinæ earum. Vel hoc, à me ſæpe expertum.

℞. ſuccorum oxylap. ſemperuiui, plantag. linguæ paſſerinæ, oleaſtri & maluarum ſingul. ℥. ij. aceti acerrimi ℔. i. farinæ lolij prius torrefacti, ſeminis naſturtij ſingul. ℥. iij. miſceantur, & cùm aliquot dies quieuerint, abiici po-

ci poterit acetum ſupernatans, & reliqua pars liniri. vel,

℞. vnguenti enulati cum mercurio, vnguenti albi Rhaſis, ſucci limonum ſingul. ℥. ß. olei tartari ℥. iij. arſenici in puluerem redacti gr. iiij. caphuræ in aqua roſ. vel plant. lotæ grana iij. fiat vnguentum.

DE OEDEMATE.

CAPVT IX.

Oedema eſt pituitoſus tumor, frigidus, laxus ac mollis doloris expers & albidi coloris. Id duplex eſt, exquiſitum & non exquiſitum. Exquiſitum fit ex naturali pituita ſuperuacanea, quæ in alimentum defectu caloris natiui aut præ nimia materiæ copia tranſire non potuit, certáq; collectione & circumſcriptione definitur. Non exquiſitum eſt diffuſus & expanſus quidam tumor, ex crudiore, pituitoſóq; ſanguine, aut iecoris, aut aſſumptorum vitio progenitus.

Cauſæ ſunt aut externæ, vt caſus, percuſſio, vitioſa viuendi ratio: aut internæ antecedentes, humoris videlicet pituitoſi copia: & coniunctæ, eiuſdem humoris in membro œdematoſo collectio.

Signa ſunt tumor laxus & mollis facilè digitis cedens prementibus, dolor exiguus, aut nullus, color albidus.

Oedema in duritiem deſinens, & tandem in abſceſſum, periculoſius eſt eo quod diſcuti & reſolui poteſt. Oedema ex hydrope, Phthiſi aut cachexia ortum habens, malum. Oedemata hyeme præſertim generari ſolent, eáque ſenibus ſæpius & crapuloſis accidunt.

CVRATIO.

Methodus Oedematis curandi his ſcopis abſoluetur. Primus victum ſiccum, paululum calidum, & nonnihil tenuantem deſiderat. Aerem itaque tenuem & ſiccum delgito, vel ſuffitibus aut alio modo præparato. Vinum defæcatum, fuluum ſeu pellucidum & generoſum, vel aromatites exhibeto: Panem probè coctum, ac bene præparatum dato: veruecinas carnes, & aues montanas, aliaſque euchymas, aſſas potiùs quàm elixas offerto: iuſculis, oleribus, offis parcè vtitor, in eiſque hyſſopum, ſaluiam & ſimilia coquito, vſum leguminum caſei omniſque lacticinij, fructuum præſertim horariorum, immaturorum, crudorum, azymorum hoc eſt non fermentatorum, piſcium, niſi ſaxatilium, & eorum quidem vino auſtero cum ſaluia coctorum, vel aſſatorum, omnium denique quæ humectant, & ſanguinem pituiteum gignunt, prohibeto: parum cibi, minuſque potus propinato: aquam etiam in balneo, niſi aluminoſam, vel ſulphuream ne concedito. Somnus nunquam quidem diurnus, ſed nocturnus, iſque tibi breuis eſto: Corpus ante cibum, præſertim partes loco affecto oppoſitas, exerceto: aluum fluidam & laxam ſemper habeto.

Humorum præparatio.

Secundus ſcopus tum præparationem, tum purgationem humoris pituitei præſcribit. Præparant calida & ſicca tenuantia, incidentia, detergentia, aperientia, qualia ſunt radices cyperi, acori veri, galangæ, ireos, enulæ, apij, petro. graminis, aſparagi, ruſci, fœnic. lignum ſanctum, folia

lia beton.ſaluiæ, hyſſopi, meliſſæ, polij, pulegij, calamenti, origani, ſampſuci, abrotani, mentæ, abſynthj, camædr. camæpit.herbæ paralyſis, capillares communes, agrimonia, ſemina calida, & flores.

℞.rad.ireos & galangæ craſſæ ſingul.ʒ.vj.rad. apij.petr.aſpar. ſingul.℥j.fol.beton.meliſſæ, chamæd.herbæ paral.ſingul.m̃.j.capill.communium ſingul.m̃.ß ſeminis aniſi, fœnic.carui, cumini ſingu.ʒ.ij. ſeminis melonum contuſi.ʒ.vi.paſſul. mundararum par.8 ſeminis cartami contuſi ℥.ij. ſennæ orient. ℥.j.ß. florum geniſtæ.cicerum rub. ſtæch.& bug.ſingul.pug.j.fiat decoctio: cape de col ℔.ij. in quibus diſſolue mel roſ.col. & ſyrupi de abſynt. ſing ℥.ij. ſacch.quantum ſufficit,nucis moſc. (ſi capitis habenda ratio) vel aromat.roſ. (ſi ventriculi)℥ ij.ß.fiat apozema clarific.& aromatiſ. pro vj doſibus.

℞. mel.roſ col.ſyrupi acetoſi ſimpl.ſingul.℥. iij. aquarum meliſſæ, ſampſuci, bugl. ſingul.℥. iiij. pulueris cinamomi & macis ſingul.℈.ij. fiat iulep.clarific.& aromat.pro iiij.doſibus. Vel valentius:

℞.ſyrupi de hyſſopo,ſyrupi de ſtæch. & oxymel. ſcyl. ſingul.℥.ij.ß. aquarum ſaluiæ, beton. fœnic & ſampſuci, ſingul.℥.iiij. pulueris cinamomi & aroma. roſ. ſingul.ʒ.j. fiat iulep.pro v. doſibus.

Poſtea præſcribes medic.purg.hoc modo:

℞. diaphœn.ʒ.ij.indi maioris ʒ.j ß.cathol.℥. ß.ſacch.quantum ſufficit,fiat bolus,vel diſſoluantur in ℥.iiij. aquæ beton.vel meliſſæ. vel,

℞.elect.diacart.& de citro ſolut.ſing.ʒ.ß.vel,

℞. medul. ſeminis cart. contuſi. ℥.iij. ſennæ orient. ʒ.ij. agarici troc. ʒ.j. fiat leuis decoctio in col. ℥.iiij. diſſolue elect. diaturbith. (ſi vires valeant) vel de citro ſolut. ℥ iij. ſyrupi roſ. ſolut. (qui humorem ſeroſum educit) ℥.j. fiat potus. vel,

℞. maſſæ pilularum de agar. & aggreg. ſing ℈. ij. miſce. & cum aqua beton. fiant pil. vii. vel,

℞. maſſæ pilul. cocciarum, & arthriticarum ſingu. ʒ.ß vel,

℞. maſſæ pil. imperial. & fœtid ſing. ℥. ß. miſce. & cum aqua abſinthij, fiant pilul. vij.

Vomitus quoque commendatur, potiſſimùm ſi tumor eſt in partibus inferioribus ad reuulſionem, idque niſi ægrotus ſit ad tabem propenſus. Excitabitur verò potu olei communis, vel oxymel. vel decocto ſeminis atripl. naſturtij, raph. & erucæ, cum ſyrup. acetoſo ſimpl. vel oxymelite.

Tertius ſcopus ad medicamenta ventriculum confirmantia, tam ſumpta quàm admota refertur: vt ſunt opiatæ, tabellæ & vnguenta.

Ad ventriculum roborandum aſſumenda.

℞. coriand. conditi ℥.iij. aniſi & fœnic. ſing. ℥. j. pulueris diacydoni. ſine aromatibus ʒ.ij. cinamomi elect. ℈.iiij. pulueris aromatici roſati ʒ.ij. fiat puluis, de quo poſt ſingulos paſtus ſumat coclear. vnum, & à potu poſtea abſtineat. Si ſaccharum addideris, erit quidem puluis iucundior, ſed minus efficax: ſic autem calfacit, flatus diſcutit, & os ſuperius ventriculi claudit.

℞. conſeruæ florum ſtæchad. & roriſmar. ſingul. ℥.j. cort. citri ſaccharo conditi ℥.ß. myroba. emblic.

emblic. ſacch. conditarum ʒ.iij. pulueris elect. de cinamomo ℈.ij. cum ſyrupo conſeruationis corticis citri, fiat opiata, de qua capiat ſeſqui horam ante ſingulos paſſus inſtar nucis: vel vtatur confect. aromatici roſati, vel bis in hebdomade capiat theriacæ vet. ℥.j. quinque horis ante paſtum. aut,

℞. Confect. aromat. roſ. ℥ j. pulueris diagal. ℈ j. pulueris coral. & ſantali citrini ſingul ℈. ß. cort. citri conditi, conſeruæ roſ. veteris ſingul. ℥ j. ß. ſacchari in aquis mentæ & abſynthij diſſoluti quantum ſufficit, fiat elect. in formam tabellarum ponderis ʒ. ij. capiat vnam manè quotidie.

Ad ventriculum roborandum applicanda.

℞. Oleorum lentiſci & maſtiches ac roſ. ſing. ℥. j. ß. nucis moſch. caryoph. ſingul. ʒ. j. cort. citri ſicci ℈. ij. vtriuſque coralli ſingul. ʒ. ß. florum chamæm. & anethi ſingul. ℈. iiij. ſpicæ nardi ſquinanthi ſingul. ℈ j. aceti parum, ceræ quantum ſufficit, fiat vnguentum pro regione ventriculi.

℞. Maſſæ emplaſtri pro ſtomacho ℥. ij. cerati Galeni emendantis vitia ſtomachi ℥. j. ß. terebin. modicum, fiat emplaſtrum, quod regioni ventriculi admoueatur. aut,

℞. Coriand. præparati ℥ iij. florum roriſmar. & chamæm. ſing. pug. j. fol. balſamitæ ſeu mentæ aquaticæ, & cichorij ſingul. m̄. ß. roſ. rub. pug j ß. caryoph. galangæ craſſæ, macis ſing ʒ j. ß. redigatur in puluerem, qui xylo (bombacem vocant) excipiatur, fiatque ſacculus interpunctus in formam ſcuti, & ventriculo applicetur.

Topica œdematis.

Quartus ſcopus eſt in vſu topicorum remediorum : quæ initio certè mediocriter repellant. Nam humor efficiens œdema , cùm ſoleat eſſe craſſus , medicamentis valenter repellentibus nimis impingeretur : non enim facilè retrocedit , quamquam ſolet permiſceri ſerum ſanguinis veluti vehiculum , ſed hic de vero œdemate loquimur : in quo initio repellentibus vtimur potiùs ad partem confirmandam , quam ad humorem propellendum , quibus etiam diſcutientia miſcemus : vt cùm oxycratum ex duabus aceti partibus & vna aquæ in corporibus durioribus admouemus : eo ſpongiam nouam, vel præparatam aphronitro , vel aliquo ſalis genere imbuentes : nam acetum non modò repellit ſua frigiditate, ſed incidit & tenuat , & ſua ſiccitate reſoluit : ſpongia quoque, vel noua, vel præparata reſoluit : Alij bolum armenium. cupreſſi nuces, & alumen apponunt : quod ſine diſcutientibus fieri non debet, ob dictam cauſam : idem ſentiendum de aliis aſtringentibus, initio etiam & in decurſu , vſque ad ſtatum proderunt ſequentia.

♃. Lixiuij acerrimi in cineribus caulium, ſarmentorum vitis , ficus , & tartaro confecti, quantum videbitur : cui adde aceti & olei modicum,& eo imbuta ſpongia pars tepidè foueatur. Tunc enim fotus debent eſſe tepidi, ne frigore magis impingant , & incraſſent,& calore magis attrahant , quàm repellant & diſcutiant. Poſt fotum confert cataplaſma de caulibus : fit autem ſi in dicto lixiuio braſſicæ m. ij. coxeris,

& teras

& teras in formam cataplaſ. aut dicto lixiuio adde ſal & alumen, fiat fotus, & ſpongia ſuperligetur. aut,

℞. nucis cupreſſi, ſquinanthi, farinæ hordei & lupinorum ſing. ℥. ß. blactę bizantię, aluminis ſingu. ℥. ij ſeminis papaue. cornuti. ʒ. iij aloes myrrh. ſingul. ʒ. j. croci ℈ j ſucci braſſicæ & aceti quantum ſufficit, fiat cataplaſma: adde ſi vis acaciæ & hypociſt ſing. ℥ ij. ſtercoris columb. & caprini ſingul. ʒ. ij. aut,

℞. cinerum ſarmentorum vitis, ficus, braſſicæ & tamariſci ſingul. pug. j. fol. ebuli & tamariſci, ſing m. ß. boli arm. ℥. j ß. aquę in qua ferrum fuerit extinctum ℔. iij. aceti acerrimi ℥. iiij. fiat decoctio ad conſumptionem tertiæ partis, & foueatur tumor & faſcia eo madida ſuperligetur, admoto prius ſequenti linimento. Poſtea,

℞. cineris braſſicæ ʒ. ij. axung. ſuillæ ℥. iij fiat vnguentum, loco cineris braſſicæ, cape cinerem ilicis, vel ficus. vel,

℞. boli arm. acaciæ ſingul. ℥. j. cyperi ʒ. ß. aloes, myrrhæ ſingul. ʒ. v. croci. ʒ. ß. braſſicę ʒ. ij. olei roſ. ℥. iiij. aceti ℥ j. ß. ceræ quantum ſufficit, fiat vnguentum. Quando iam nulla eſt defluxio ſoliſque reſoluentibus opus, ſic facito.

℞. ſulph ℥ j. ſterc. columb. ʒ. x. farinæ fab ℥ j. ß. mellis tantillum, ſucci braſſicæ, vel decoctionis aſphodel. quantum ſufficit, fiat cataplaſma, poſt fotum præſcriptum. aut,

℞. ſucci ebuli, ſambuci, oxylap. leuiſtici. fœnicu. ſingul. ℥ j. vnguenti dialth. ℥. iij. mel. ℥ j ß. ole. de abſynth. vel irini vel chamæm. ℥ j. coquātur ad ſuccorum conſumpt. fiat linimentum.

℞. fol. ebuli, ſambuci, abſinth. ſingul. m̃. i. aluminis, ſulph. & ſalis ſingul. ℥. ß. fiat decoctio qua foueatur locus, & magma teratur addendo dialth. ℥. ii. ß. axung. ſuillæ ℥ j. ß. mel. ℥. j. fiat cataplaſ.

℞. rad. cucum. agr. ℥. ii. origani vel braſſicæ m̃. j. farinæ hord. ℥. j. coquantur, terantur, & fiat cataplaſ. aut ex ſtercore bubulo, ſulphure, melle, aceto cum decocto braſſicæ, aut origani, fiat cataplaſma.

Ad dolorem.

Si dolor adſit, cape œſypi ℥. j. ß. paſſi, olei chamæm. vel anethi. vel de abſynth. ℥. j. fiat linimentum.

Cùm œdema indureſcit.

Cùm œdema in duritiem abit, ſequentia proſunt.

℞. axung. bubulæ ℥. iiij. galb. bdel. ammon. in aceto diſſolutorum ſingul. ℥. j. ß. picis ℥. ij. terebinth. ℥. iii. myrrhæ ʒ. iii. corticis thuris ʒ. ii. olei veteris ℥. iiij. fiat vnguentum.

℞. muccag. alth. lini & fœnugr. ſing. ℥. iiii. farinæ hord. ℥. iii. axung. gal. & olei de lilio ſing. ℥. ij. butyri ℥. j. croci ℈. j. vitellos ii. coquantur muccag. & farina lento igni, poſtea reliqua adiiciantur. Si addideris ammoniacum, bdel. galb. ſtyracem liquidam, erit vnguentum omnibus tumoribus frigidis & duris profuturum.

Ad ſuppurandum.

Cùm tumor diſcuti non poteſt, ſed in abſceſſum abit.

℞. rad. alth. ℥. iiii, rad. lil. ℥. ii. caricarum par. v. florum chamæm, & melil. ſing. pug. j. farinæ hord.

& fœ-

& fœnug.ſing.℥.j. coquantur terantur addendo pingued.gal. butyri recentis,olei lil.& chamæm. ſing.℥.j fiat cataplaſma. vel,

℞. rad.alth.& lil. ſing ℥.iiij rad.bryon. & cucum.agr.ſingul.℥.ij.olei lib.℔.ß. olei de coſto ℥. iiij.vini ℥.iij. coquatur ad vini conſumptionem, terantur, & adde farinæ ſeminis lini & fœnug. ſing.℥.ii.fermenti ℥.i.ß.pingued. anſeris & anatis ſing.℥.iij.miſce,fiat cataplaſ.

℞.rad.lil. ℥.ij.cepe ℥.ij.ß. alth.& mal.ſingul. m̄.j.ß.chamæm. & melil. ſing pug.j.farinę ſeminis lini & fœnug. ſingul.℥.j.coquantur,terantur, addendo axung.ſuillæ ℥.iiij. fiat catapl. Ad eandem rem iuuat diachylon ireatum magnum.

Eminentiori loco appones ſtercus columb.ſemen ſinapi,limaces & galbanum ſimul mixta.

Aperta vomica,ad detergendum vteris mundificatiuo de apio,vnguento apoſtolorum: inſuper emplaſtro diuino & diachylo cum gummi poſtea diachalci.

OEdema quando eſt alterius morbi ſymptoma,vt hydropis,phthiſeos,cachexiæ,nullam propriam habet curationem. Curari enim non poteſt niſi affectu, ex quo naſcitur, profligato: tamen præſcripta victus ratione quæ pituitæ,flatibus & ſero ſanguinis aduerſetur ac medicamentis laxantibus & ventriculo confirmato,loco affecto apponenda ſpongia oxyrhodino imbuta, cui inſit aliquid ſalis,& alia quorum antè meminimus. Dolore verò vrgente , vtendum aliquo oleo calaſtico,quod relaxare, doloremque lenire valeat:quale eſt oleum chamæm. anethinum, de lilio,rutaceum : vel lana ſuccida,ſapa,oleo,&

aceto imbuenda & applicanda.

DE TVMORE FLATVOSO.

CAPVT X.

Flatuoſum œdema eſt tumor ex flatibus inter membranas alicuius membri aut ſub ipſa cute concluſis. Id aliquando cum dolore eſt, aliquando ſine dolore eſt, iuxta membri intumeſcentis proprietatem: aliquando vagans, aliquando conſiſtens.

Generatur eiuſmodi flatus aut ob caloris natiui imbecillitatem pituitoſum humorem in flatus reſoluentis, quem, ſi is eſſet fortis, vel totum abſumeret, vel in propriam ſubſtantiam conuerteret, aut ob caloris alieni vehementiam humores & alimenta in vaporem attenuantis, & reſoluentis.

Signa ſunt tumor prementi digito renitens, vel aliò euagans, inflatio, ſonus quum tumor percutitur, dolor interdum excrucians & obambulans.

Eiuſmodi incluſi ſpiritus & flatus niſi diſſoluantur, magna pariunt incommoda, fumoſa exhalatio & ventoſitas ſeu flatus per corpus cum dolore & moleſtia diſcurrentes, periculoſi: fomitem enim venenoſum arguunt, vnde expirant.

CVRATIO.

PRimùm huius tumoris abſumendi conſilium ad victus inſtitutionem eſt referendum. Victus autem calidus & ſiccus eſto: cibi nullos humores pituiteos, nullos craſſos, aut viſcidos, nulloſque flatus pariunto: eoſque potiùs diſcutiunto: Proinde legumina, lac, caſeum, rapum, caſtaneas, fructus crudos fugito, reliquaque omnia, quæ de victus ratione cap. de OEdem. dicta ſunt, obſeruato.

Secun-

Secundum conſilium ad humorum præparationem & purgationem conducit. Clyſteres itaque ex diſcutientibus flatus inicito: humores pituitoſos, craſſos & viſcidos apozemate, vel zulapio, ex incidentibus & tenuantibus, vt in œdemate præparato: quibus flatus diſcutientia miſceto: cathartica quoque vt in œdemate, additis flatus diſcutientibus, exhibeto.

Tertium conſilium iubet ventriculum confirmari ac corroborari: tum vt flatus iam geniti reſoluantur, tum vt noui non renaſcantur, tum vt pituita, quæ flatuum eſt materia paulatim abſumatur. Confirmabitur verò partim aſſumptis, partim admotis, iis nimirum quæ de œdemate præſcripſimus: tamen pulueri quo à paſtu vtendum diximus, addes ſeminis carui & cumini cõditorum, ſing. ℥. j. vel augebis doſim aniſi & fœniculi, vel ſolis illis ſeminibus conditis vteris. Et in augmento, loco oleorum roſacei & lentiſcini, vtendum oleis nardino & rutaceo.

Quartum conſilium hortatur, vt denſata rarefaciamus, craſſum ſpiritum attenuemus medicamentis, quæ tum calida ſint & ſicca, tum etiam tenuia: vt ſpiritus ille ſeu vapor craſſus attenuetur, diſcutiatur & reſoluatur: quibus anodyna quoque ſunt permiſcenda, præſertim in principio: flatus enim diſtendunt, & ita vehementem dolorem excitant.

Flatus diſcutiunt ſemina aniſi, fœnicul. dauci, carui, cumini, ſeſelos, apij, petro. rutæ, baccæ lauri & iuniperi, omnia aromata, omnia ferè calfacientia & ſiccantia olea, irinum, laurinum, rutaceum, nardinum, coſtinum, recininum, de

ſpica, de nucibus, de euphorbio, de piperibus. Ex
quibus omnibus, cum iis quæ de œdemate cu-
rando ſunt præſcripta, varia topica conficiemus.

Topica ad flatus diſcutiendos.

Alij tumori flatulento decoctum hyſſopicum
oleo rutaceo applicant, alij lixiuium cum nitro
& aceto conficiunt, & ſpongia eo imbuta tumo-
rem fouent: alij coquunt parietariam, centau-
rium, ſemina aniſi & fœnic. dauci, carui, cumini,
flores chamæm. anethi, ſtæch. anthos, mel, fur-
fur in aqua & vino albo, locúmque fouent ſtu-
pis lini eo decocto imbutis. Poſtea vnguentum
conueniens admouent: alij decoctionem veſica
bouis concludunt & applicant: alij emplaſtro de
baccis lauri, vel de ſemine ſinapi vtuntur: cuius
deſcriptionem habebis capite ſequenti: alij pa-
nem de clybano recens eductum, oleo nardino,
rutaceo, coſtino, mixtis ſeminibus diſcutientibus
imbuunt, atque admouent: alij locum liniunt
oleo anethino & chamæm. Poſtea vino deco-
ctionis ſtercoris columbini & aliorum diſcutien-
tibus fouent: ſequentes quoque formulæ ab au-
toribus commendantur.

℞. olei chamæ. anethi, amyg. amararum, & ru-
tæ ſing. ℥. j. vini albi ℥. iij. ſeminum aniſi, fœnic.
dauci, cumini, carui, ameos, & rutæ, ſingul. ℥. j. ß.
bulliant ad vini conſumptionem & expriman-
tur: expreſſioni adde ceræ quantum ſufficit, fiat
vnguentum. Galenus capit paſſi quart. j. olei ane-
thini & ſaponis mollis ſingul. ℥. ij. & lanam ſucci-
dam, vel ſpongiam eo liquore imbutam applicat:
aut lixiuium acre miſcet oleo & ſapæ, vel vino
auſte-

auſtero,& ea mixtione fouet. vel,

℞.olei anethini, rutacei, laurini, coſtini & de ſpica & maſtiche ſing.℥.j. fol.calamenti, centau.ij, abſynthij, ſampſuci in puluerem reductorum ſing.ʒ.j. ſeminis fœnic.cumini, rutæ,lupinorum,& baccarum lauri pulueriſatorum ſing. ʒ.ij. mellis crudi quantum ſufficit, fiat forma vnguenti.

℞.milij.℔.j.ß.ſalis ℔.j.fol.artemiſiæ,ſampſuci ſing m.ß.ſeminis fœnug.cumini carui ſingu.℥. j. florum chamæm. melil.ſtæch. roriſmar. ſingul. pug.j.torrefiant omnia in ſartagine,fiantque duo ſacculi,qui vino generoſo irrigati, calentes viciſſim applicentur. poſtea,

℞.rad.gentianæ ℥.j.fol.agrimon.calamenti & origani ſiccorum ſing ℥.ß.rubiæ tinct.ʒ iij.ſquinanthi,maſtiches ſingu.ʒ.j.ß.ſpicæ nardi & croci ſing.℈.iiij.aquæ vitæ ℥.j.ß.oleorum anethi nardi, de caſtor. ſingul.℥.iiij. ceræ quantum ſufficit,fiat vnguentum,| vbi cætera omnia non profuiſſent, expertus ſum hoc tumorem flatuoſum in genu ex morbo venereo omnino curaſſe,quod recipit propoleos,id eſt fæcis ceræ nouæ| ex prælo ℔.j.ß. (quamuis aliud propolis Plinio ſignificet) micæ panis ſyncomiſti ℔.ß. roſarum rubr.℥.j. bulliant in vino albo pinſantur,adde piper, garyophylli, nucis moſcat.zinzib.ſingul.ʒ ij.cumini,aniſi,fœniculi,apij, ameos. an.℥.ß.fiat cataplaſ. cum olei chamæm.aneth. & rut.ſing.℥.ij.apponatur calidè loco prius in ſuperficie ſcarificato. Flatus verò ſi diuerſas in parteis deerret atque diſcurrat, cùm in aliqua parte ſubſtiterit, ea ſuprà infráque ligetur,ac tumor ferro cãdenti vel nouacula ape-

riatur:& vulneri emplaſtrum ex aloë, bolo arm. oleo roſ.& aceto mixtis applicetur.

DE AQVEO TVMORE.

CAPVT II.

Aquoſum Apoſtema, eſt ſeroſi & aquoſi humoris in aliquo corporis membro, aut in toto corpore tumida collectio, laxa & doloris expers.

Si ſeroſa illa excrementa in toto corpore abundant hydropem progygnunt. Si in aliquo tantùm membro concludantur vt in capite veſica, matrice, oſteo, ſimplex eſt apoſtema aquoſum.

Cauſæ ſunt caloris natiui inopia. Concoctricis facultatis imbecillitas, iecoris aut lienis intemperies frigida, & vitioſa conſtitutio. Ciborum etiam aquoſorum, aut potus nimis vſus. Denique quæcunque vitioſum corporis habitum inducunt.

Signa ſunt tumor laxus, ſed laxior & mollior quam in œdemate pituitoſo minùs tactui renitens, ſonus editur inſtar aquæ murmurantis, tumor aliquatenus eſt pellucens & minus turbidus quàm in pituitoſo tumore.

Apoſtemata aquoſa maiorem caloris debilitatem quàm flatuoſa arguunt, ideo magis periculoſa. Si ſeroſis humiditatibus corpus ſcateat periculum eſt apoſtematis pedum, teſticulorum, capitis & iuncturarum. Aquoſa œdemata raro flatibus carent, quemadmodum & flatuoſa ſæpe comitem aquoſitatem concluſam habent. Cuius rei cognitio maximè ad curationem facit.

CVRATIO.

AFfectus huiuſmodi expetit primò victus rationem, quã in œdemate obſeruandam eſſe diximus: vtatur æger carnibus euchymis, coctu facilib. & aſſis, pane ſalſo, bis cocto & cui puluis anethi

anethi miſceatur, ſi fieri poſſit, nullo modo bibat, aut exigua vini generoſi non diluti quantitate vtatur: omnia aquoſa tanquam nocentiſſima fugiat: vt ſunt fructus, herbæ recentes, & piſces.

Corporis præparatio.

Secundò corpus præparandum, meatuſque reſerandi ſequentibus.

℞. herbarum capill. communium, pimpinnel. piloſel. agrimon. chamædr. chamæp. ſing. m̄. j. quatuor ſeminum frig. maiorū ſing ʒ. ij. ſeminis apij, petro. halicaca. (alkekengi vocant) ſeminis aſparagi ſingul. ʒ. j. ß, cicerum rub. pug. j. florum ſambuci & geniſtæ ſing. pug. j. ß. fiat decoct. in col. ℔ j. ß. diſſol. ſyrupi capil. ven. & ſacch. ſingul. ℥. iij. aroma. roſ. & cinnamomi ſing. ʒ. j. fiat apozema clarific. & aromat. pro v. doſibus. vel,

℞. ſyrupi capill. ven. de biſantiis & de quinque radicibus ſing. ℥. ij. ß. aquarum apij petro. & graminis ſing. ℥. iiij. pulueris diagalan. & cinamomi ſing. ℈. ij. fiat iulep. clarific. & aromat. pro iij. doſibus, & ſi videtur erit repetendum.

Purgatio.

℞. paſſul. mund. ℥. j. ſeminis aniſi, fœnic. apij, petro. halicacabi ſing. ʒ ij. braſſicæ marinæ m̄. j. partem tertiam, medullæ ſeminis cartami & ſennę orient. ſing. ʒ. vj. agar. ʒ. j. florum cicerum rub. & geniſtæ ſingul. pug. j. fiat decoctio, cape de col. ℥. iiij. in quibus diſſolue diaphœn. & indi. maioris ſingul. ʒ. j. ß. ſyrupi roſ. ſolutiui ℥. ß. fiat potus: aut vtatur elect. diacart. vel de citro ſolut. vel pilulis de hiera. alephang. de agarico. Pilulæ de meſereo, de cucum. agreſti ſunt valentiores, quàm vt quis tutò vti poſſit: nam ventri-

culum & hepar redderent imbecilliora, atque ita augerent affectum.

Ad confirmandum ventriculum & hepar.

Tertiò roborandæ ſunt partes nutritoriæ vt ventriculus & hepar: ventriculus confirmabitur, quemadmodum in œdemate dictum eſt: proderit etiam vſus theriacæ vete. mitridatij, aureæ alexandrinæ. In opiara etiam conferent conſerua florum geniſtæ, zinzib. viride, & diagalanga, arom. roſ. diarhod. Externæ vero parti ventriculi hæc admoueantur: panem ex clybano recens extractum, & in vino generoſo maceratum, puluere galangæ pip. charyoph. nucis muſc. maſtiches, ſeminis anethi, cumini, rutæ, chamæm. reſpergito, & calentem applicato: alterúmque ſimiliter paratum habeto: quem vbi prior refrixerit apponito.

℞. baccarum lauri, ſeminis nigel. romanæ & rutæ ſing. ʒ. iij. coquantur in vino & oleo ad conſumptionem vini, addendo caſtorei ʒ. j. (ſi ventriculus ſit frigidus nimium) terantur, & vngatur ventriculus manè & veſperi longè à paſtu: Potes addere ſquinanthum, cardamonum, ſpicam nardi, piper, charyoph. nucem moſc. & ſimilia, & prætermittere caſtoreum, ob tetrum odorem. aut,

℞. ladani puri, reſinæ pini ſing ℥ j. ammon. bdel. ſingul. ʒ. ij. cardam. ſquinant. ſingu. ʒ. j. ß. ſpicæ nardi, caryoph. ſingul. ℈ j. baccarum lauri, ſeminis apij & leuiſt. ſingul. ʒ. j. ß. florum chamæm. rotiſm. roſ. rub. ſingul. pug. ß. olei irini ℥ vj. ceræ quantum ſufficit, fiat vnguentum pro ventriculo,

℞. cera-

℞. cerati ſantal. ℥.ij. ſeminis apij, petro. & end. ſingul. ʒ.j. troc. de cap. ʒ ß. ſpic. nardi, ſquinant. ſing ʒ.ij. olei nardini & de abſynt. ſing. ℥.iij. miſce, fiat linimentum addendo in vſu ipſo modicum aceti, liniatur regio hepatis.

Topica ad aquam abſumendam.

Quarto loco affecto admouenda topica quæ digerant & aquam abſumant.

Galenus ſpongiam nouam oxyrhodino, cui ſal permiſtum ſit, imbutam apponit: vel lixiuio ex cineribus ſarmẽtorum, caulium, ficus, ilicis, quercus & tartaro, addito ſale, vel aphronitro, vel ſulphure, fouet: alij addunt etiam lixiuio ariſtol. rotundam, ammoniacum & bdellium, & ita fouent: priùs tamen locum vngunt oleo anethino, vel de abſynth. vel rutaceo: alij addunt terebinthinam & ceram, ne pars lixiuij mordicationem tam facilè ſentiat. aut,

℞. ſalis nitri ℥.x. pip. & baccarum lauri ſingu. ℥.j. olei laurini ʒ.vi. ceræ quantum ſufficit, fiat linimentum: alij huic addunt pulpam paſſularum.

℞. rad. ireos & cucum. agreſtis, nucum cupreſſi, oſſis tibiæ hominis, cinerum radicis braſſicæ. ſingul. ʒ.ij. chryſocol. & nitri ſingul. ʒ.j. olei anethini & ceræ quantum ſufficit, fiat vnguentum.

Emplaſtrum de ſemine ſinapi, quo nullum excellentius excogitari poteſt, tam in tumore aquoſo, quàm flatulento.

℞. ſeminis ſinapi, ſeminis vrticę, ſulph. ariſtol. rot. ſpumæ maris, bdellij. ſingul. ℥.j. ammon. olei vet. & ceræ ſing. ℥.ij. fiat emplaſtrum.

Prodeſt quoque huic intentioni emplaſtrum apoſtolicum chirurgicum.

DE ABSCESSV PHLEGMATICO.

CAPVT. XII.

Abſceſſus propriè dicitur, cùm collecta materia ſiue ſit pituita, ſiue aliquid aliud, in pus aut alienam ſubſtantiam conuertitur. Tres emergunt, à ſimilitudine contentarum in tumoribus ſubſtantiarum, abſceſſus ſpecies & differentia, Steatoma videlicet, Atheroma & Meliceris. In ſteatomate materia puris & quæ exprimitur ex apoſtemate ſeuo ſimilis eſt. In atheromate eſt pulti ſimilis. In meliceride mellis conſiſtentiam & ſimilitudinem refert: his Arabes adiungunt quos vocant nodos, ſcrophulas, glandulas, teſtudines, lupias, nactas, botia, quorum omnium curatio, vt in ſequentibus patebit, non multùm ab aquoſo apoſtemate diſcrepat.

Steatoma pituitam craſſiorem ſuæ generationis cauſam habet. Atheroma pituitã aquoſiorem. Meliceris pituitam cum quadam bile aut ſanguine mixtam habet.

Eiuſmodi Abſceſſus in capite crebrò generari ſolet, quod eius cutis denſa diu materiam cohibeat dum in alienam ſubſtantiam tranſeat.

CVRATIO.

ABſceſſuum phlegmaticorum multæ ſunt differentiæ: quæ apud Galenum continentur ſub tribus nominibus, nimirum ſub atheromate, ſteatomate, meliceride. Arabes verò alios vocant nodos, alios ſcrophulas, alios glandulas, alios teſtudines, lupias, natas, botia, qui omnes affectus in curandi ratione eandem habent dieteticem & pharmaceuticem, hoc eſt victus rationem, & medicamenta purgantia cum œdemate, tamen

victus paululum tenuior & ſiccior ſit oportet: ſuntque humores craſſiores magis tenuandi, nonnunquam venæ ſectio iuuat: nimirum cùm pletoræ adſunt indicia, apozema vel iulep ex incidentibus, tenuantibus, detergentibus & aperientibus, de quibus in œdemate ſcripſimus, locùm hîc quoque debet habere; profutura ſunt etiam mel. roſ. col. ſyrupus acetoſus ſimpl. oxyſach. oxymel ſimplex, ſyrupus de bizantiis, de hyſſopo, de duabus & quinque radicibus, de ſtæchade & oxymel ſcylliticum cum aquis primulę veris, betonicæ, hyſſopi, meliſſæ, fœnic. ſaluiæ & ſimilibus.

In purgationibus iuuant ſemen cartami, polypod. quercinum, agaricus, colocyntis, eſula, turbith, euphorbium, ſed hæc tria poſtrema valentiora ſunt, quibus nemo debet vti niſi exigua quantitate & in robuſtis corporibus, & eorum vis, aliorum mixtione obtuſa fuerit: in eodem ordine eſt elleborus albus. Proſunt etiam diaphœnicum, indum maius, electuar. diacart. & de citro ſolut. Pilulæ quoque de agarico, de benedicta, cocciæ, fœtidæ, arthriticæ, de hermodact. de ſarcoc. de ſagapeno, de opopan. de euphorbio.

DE STRVMIS.

CAPVT XIII.

Strumæ ſeu ſcrophulæ ſunt excreſcentiæ pituitoſæ aut melancholicæ, vel ex vtroque humore prognatæ ſcirroſis & glandulis, & nodoſis tuberculis confertim cumulatæ & exurgentes, quæ longa ſerie in glandularum formam diſpoſitæ, in collo præſertim & ſub auribus, alie

& inguinibus ſedem ſuam habent.

Cauſæ earum productionis externæ ſunt intemperans victus ratio, aut quæ ex vitioſis cibis, pituitoſis & melancholicis inſtituitur. Internæ ſunt ipſi humores pituitoſi & melancholici in ea colli parte ſenſim putreſcentes, & lentam duritiem cum acrimonia erodente ſucceſſu temporis contrahentes. Defluit earum materia ex capitis externa parte per ceruicis tendones & adenes.

Quum in collo aut ſub auribus nudoſi tumores in glādularum formam duri & frequentes cutéque contecti excreuerint, ſtrumas eſſe iudicandum eſt.

Scropularum extrinſecarum frequentia & multitudo, intrinſecarum à quibus oriuntur multitudinem indicant. Vnde ſumitur iudicatio internarum prius extirpandarum. Pueri propter gulæ intemperantiam, humorum exuperantiam & corporis mollitiem atque raritatem crebro ſcrophulas incurrunt pituitoſas. Molles & recentes ſtrumæ facilè reſolui poſſunt: at duræ & antiquæ difficillimæ ſunt reſolutionis.

CVRATIO.

PRimus earum curādarum ſcopus eſt in victus ratione, quæ ſiccet, moderatè calfaciat, & humores attenuet, adhuc magis quam in œdemate, fames vtilis, ſatietas noxia, quies & otium mala, exercitatio ante cibum optima. Vſus aquarum ſulphurearum & aluminoſarum vtilis.

Secundus ſcopus eſt in vſu medicamentorum incidentium, tenuantium, detergentium, aperientium, vt de œdem. & proximo capite dictum eſt. Proſunt radix ireos & cortex ſambuci, cocta in vino albo, & decoctioni addes nonnihil zinzib. huiuſmodi enim decoctum incidit, tenuat,

aperit, tergit, ciet, vrinam, quod vtile eſt in hoc affectu: frequens vſus pilularum de hiera ſimplici laudatur, ad ventriculi & inteſtinorum pituitam deiiciendam. Si autem totum corpus es purgaturus, vteris pilulis de agarico, cocciis, & aliis proximo capite numeratis. Si pituitam velis eliquare, & educere, proderunt quæ in fine ſuperioris capitis poſitæ ſunt: nempe pilul. de ſagap. de opopan. de helleboro, de euphorb. Superioris ſeculi medici laudant puluerem ex æquis partibus turbith. zinzib. & ſacch. cuius doſis erat vſque ad ʒ.ij. à recentioribus verò improbatur: quòd non ſit nobis laudatum turbith.

Puluis ad abſumendam paulatim pituitam.

Tertius ſcopus eſt in vſu pulueris ſequentis ad materiam (vt loquuntur) antecedentem paulatim abſumendam, quod efficit, tum manifeſtis qualitatibus tum (vt aiunt) à proprietate.

℞. rad. Ariſtol. rotundæ, raphani & ſpatulæ fœtidæ ſingul. ʒ.j. fol. pimpinnel. piloſel. rutæ maioris ſing. ʒ.ij. ſcrophulariæ, filipend. ſing. ʒ.ß. ſeminis aniſi ʒ.ij. zinzib ʒ.j. turbith. optim. ſennæ orientalis ſing. ʒ.iij. ſacch. albiſſimi ℥.iiii. fiat puluis de quo capiat quotidie manè cochlear vnum cum vino albo, vel aqua geniſt. Guido verò capit prædicta, eaque in vino albo coquit ad medias, tertio quoque die quartum vnum decoctionis exhibet. Galenus theriacæ veteris, athanaſiæ, & ambroſiæ vſum approbat: valet quoque vſus aureæ alexandrinæ, & alia ad ventriculum roborandum de œdemate dicta.

Topica ad ſtrumas.

Quartus ſcopus mollientibus, incidentibus,

tenuantibus & digerentibus topicis medicamentis perficitur: quorum nonnulla ſubſcribam, quæ ex affectu maximè prodeſſe ſæpenumerò ſum expertus: quorum primum eſt Galeni.

℞. olei antiqui vel liliorum vel laurini ℥. vij. picis ſiccæ ℥. vj. ladani ℥. iij. litarg. ℥. xij. galbani ℥. iij. ſtyracis ℥ ij. miſcent quoque ærug. raſilis ℥. xiij. ſed quia bullas excitat & excoriat, parùm probatur. Lithargyrum cum oleo coquendum donec incraſſetur: poſtea addatur pix & reliqua & aliis ſubductis ab igne, præter æruginem raſilem: quæ ſi concoquatur, nonnihil de ſua violentia remittit, & fiat forma emplaſt. Aliud quod inter chirurgos magnum ſecretum putatur.

℞. rad. bryon. cyclam. cucum. agr. altheæ, lilij cœleſtis ſing. ℥. ij. coquãtur perfectè in vino albo & terantur: deinde ammon. in aceto ſcyll. diſſoluti, bdellij & opop. in oleo ſeſamino diſſolutorum ſing. ℥. j. ſtercoris columbini & caprini ſing. ℥ j. ß ladani & ſtyracis, calamitæ ſingul. ℥. ß. picis naualis quantum ſufficit, fiat maſſa emplaſtri: Vel ſequens optimum & ſæpe expertum ad molliendum omnem tumorem durum, & humorem diſcutiendum.

℞. rad. ireos ℥. iii. perfectè coquantur in aceti & mellis communis ſingul. ℥. viiij. terantur & addantur terebinth. reſinæ & dialth. ſingul. ℥. iij. pulueris cumini & fœnug. ſingul. ℥. j. fiat forma emplaſtri. vel,

℞. ſtercoris bubuli, caprini, columbini & anſerini ſingul. ℥. ij. farinæ hord. lupinorum & lolij ſingul. ℥. ij. ß. farinæ lini & fœnug. ſingul. ℥. iij. ammon. bdellij & galbani diſſolutorum in

aceto,

aceto ſing. ℥.ß. mellis quart.j.ſucci ebuli & catilium ſing. ℥.iij. axung.ſuillæ quantum ſufficit, fiat forma vnguenti. vel,

℞.cinerum limacum ℥.j. axung. ſuillæ quart. ß.fiat vnguentum.

℞.ſinapi & ſtercoris colum. ſingul. ℥.ij.micæ panis albi ℥.iiij. mel.℥.iij.aceti ℔.ß. coquantur omnia ad craſſitiem emplaſtri.

Iuuant etiam diachylon magnum & commune cum puluere ireos.Emplaſtrum Guidonis de limacib. in vino aut lixiuio coctis, farina lupinorum amarorum in oxymelite cocta & illita, Stercus quoque bubulum in aceto coctum & appoſitum: Groſſi etiam, præcipuè caprifici cum axungia applicati. Quę non poſſunt prædictis diſſolui & abſumi, ad ſuppurationem ducentur aliquo ex ſuperioribus medicamentis: vomica aperietur ferro, aut medicamento, vlcus tergebitur mundificatiuo de apio, aut vnguento apoſtolorum, ægyptiaco, puluere mercurij, diachylo: aut apoſtolicum chirurgicum ſuperponetur. Deinde carnem gignentibus & cicatricem inducentibus vtendum.

DE GANGLIO, GLANDVLA, Nodo, & Lupia.

CAPVT. IV.

Ganglion eſt tumor corpori concolor, durus ac renitens doloriſque expers, niſi vehementer preſſus ſtupidum quendam ſenſum exhibeat. Hoc circum neruos & articulos oritur ac ſæpiùs in carpo.

Cauſam ſuæ generationis habet lentam craſſámque pituitam vel naturalem melancholicam.

Glandula appellatur adenis tumor obduratus à ganglio & nodo ſolo ſitu diſcrepās, nam nodus paſsim extra articulos neruos & adenes exoritur. Ganglion circum neruos & articulos, Glandula in adenibus: huius etiam materia quæ pituita eſt ex capitis externa parte defluit in adenes & neruos.

Nodus eaſdem habet cauſas cum ſuperioribus, ſolo ſitu ab illis diſtans.

Lupia etiam tumor eſt mollis & rotundus in iuncturis aút locis ſiccis ſæpius ſedem ſuā figens: à ganglio parum, aut mollitie ſola diſcrepans: idcirco horū prope omnium affectuum eadem curatio eſt, obſeruata ſolùm ſicciorum aut humidiorum partium conditione & natura.

CVRATIO.

GAnglion, glandula, nodus & lupia, eandem propemodùm curationem ſortiuntur.

Primò itaque victus ratio præſcribatur. Secundò humores præparentur & purgentur.

Tertiò ventriculus confirmetur: quæ omnia fient quemadmodum capite ſuperiori & capite de œdemate declaratum fuit. Quartò ad topica progrediendum quæ molliendi, eliquandi & diſcutiendi vim habebunt.

℞. emplaſtri oxycrocei ℥.j. muccag. altheæ lini & fœnug. ſingul. ʒ.v. euphorb. ſagap. ammoni. ſing. ʒ.iii. reſinæ ℥.vj. ceræ albæ ʒ.iij. diſſoluantur gummi in aceto, fiat emplaſtrum.

℞. muccag. alth. lini & fœnug. ſingul. ℥.ij.ß. oleorum chamæm. liliorum, & iteos ſingul. ℥.iij. olei ſambu. ℥.ij. coquantur ad conſumptionem muccag. poſtea miſce gummi ammon. bdellij,

opopan.

opopan. & ſagap. in aceto diſſolutorum ſingul. ℥ j. ß. axung. anſeris & anatis ſingul. ℥ j. axung. ſuillæ veteris & ſalis expertis ℔ ß. medullæ cruris vituli & cerui ſingul. ʒ x. ſpumæ maris ℥ ß fiat vnguentum.

♃. foliorum ſambuci pug j. ſalis modicum: maſticentur ſimul, & in ganglion fricetur donec tabeſcat, ante vſum ſuperioris vnguenti.

Vbi ganglion, vel nodus eſt emollitus, ſtatim ſublato medicamento, dum adhuc locus calet, pollice ganglion vehementer comprimendum, donec diſſoluatur: deinde plumbi lamina mercurio valenter confricanda, & loco alliganda in nouem dies. Ego ſæpe ganglia ſeu nodos in carpo exiſtentes frequenti cum ſaliua frictione curaui, abſque aliorum medicamentorum vſu. Si ganglion medicamentis nequaquam ceſſerit, ferro eſt reſecandum, niſi ſit in manibus aut pedibus, aut periculum immineat, ob neruos, venas & arterias, quibus nonnunquam implicatur. Gādulæ proſunt ſuperiora, aut nucum cupreſſi ℥ j. tres ficus acerbas (caprificos vocant) cum ſucco ſambuci miſce, & appone: aut ammoniacum in aceto acerrimo eliquatum, vel emplaſtrum de bdellio: quæ omnia alios quoque tumores duros adiuuant: lupia denique iiſdem medicamentis eſt eliquanda & diſſoluenda, aut ſectione amputanda, vt & glandula. Quemadmodum nos fecimus his diebus etiam propè ingulares venas ſucceſſu fœliciſſimo. Abſceſſus qui tenui ac gracili ſunt radice, vinculo ſericeo ad radicem ſunt arctè vinciendi, & quotidie vinculum arctius eſt

conſtringendum, donec iam illis nutrimentum
pereat. Tunc enim tutò ſecabuntur: aut ex ſeſe
cadent: & poſtea aliorum curationem ſubibunt.
Vinculum autem Sericeum priuſquam applice-
tur aliquot horas in aqua ſublimata maceretur &
exſiccetur: atque ſic fiat viciſſim ter aut quater:
hoc pacto verrucam penſilem magnam in linguę
extremitate curaui.

DE ATHEROMATE, STEATOMATE ET MELICERIDE.

CAPVT. XV.

*Supra de his dictum eſt paucis, tamen hîc definitio-
nes repetemus. Atheroma eſt abſceſſus pus ſimile pulti
exhibens. Steatoma abſceſſus eſt ſantem ſeuo ſimilem ex-
primens. Meliceris, quæ melli perſimilem habet putris &
putredinis conſiſtentiam.*

*Ex pituitoſa progignuntur hi abſceſſus materia, quæ
ſenſim lentéque in tumorem puſtuloſum excreſcit.*

CVRATIO.

ATheroma, ſteatoma & meliceris, iiſdem cu-
antur præſidiis. Aut radicem cyclam. cum
axungia ſuilla veteri & tantillo ſulphuris viui
app nito. Si verò præſcripta medicamenta
haud quaquam prodeſſe videamus, aperiendus
abſceſſus instar folij myrtini: fiatque ſectio o-
bliquè, ne vena vel arteria, vel neruus lædatur,
ſi ſubſit: niſi in inguinibus & aliis, quibus in lo-
cis ſectio tranſuerſim eſt facienda, ob cutis re-
duplicationem in motu earum partium: Eſtque
cyſtis, hoc eſt veſica humorem pulti vel ſebo
vel

vel melli ſimilem continens, omnino extrahenda, ne reuiuiſcat. Sanguis verò qui cyſtim detrahendo effluet, ſpongia oxycrato imbuta ſiſtendus, vel oui albumine cum pulueribus aſtringentibus: ſemper quoque in huiuſmodi operationibus anodynis vtendum, veluti albumine oui cum roſaceo. Si aliqua cyſteos ſeu veſicæ pars remanſerit, erodentibus erit abſumenda, vt vnguento ægyptiaco, aut puluere mercurij. Quando etiam tumorem, vel abſceſſum incidere non eſt tutum, ob venas, vel arterias, vel neruos, ad medicamenta quoque acria & cauſtica eſt accedendum: Calcem itaque viuam capito, eámque cum ſapone miſceto & apponito: aut lixiuium de vigo, quod capitellum vocant, vel cauſticum aliquod ex prædictis cap. de carbunculo, applicato: eſcharam profundam inducito: abſceſſum per medium ſecato recta linea: ſectionem ad carnem viuam producito: in ſectionis locum arſenicum ſublimatum: aut, aliud cauſticum immittito: cauſtici vis & quãtitas iuxta virium & morbi magnitudinem eſto: ſubinde vt eſchara decidat, aut vſu butyri, aut axungiæ, operam dato.

DE VERO SCIRRHO.

CAPVT XVI.

Scyrrhus tumor eſt præter naturam durus ac renitens, concolor aliquando corpori, aliquando rubore quodam & liuore infectus, omnis doloris expers.

Materia craſſus eſt & viſcoſus humor, ſiue melancholicus ex craſſo ſanguine, ſiue pituitoſus, ſiue mixtus par-

ticulæ alicui impactus, qui in eius ſpatia inſertus, ita obduruit, vt non niſi ægrè reſolui, aut diſſipari poſſit. Is autem eſt aut exquiſitus, aut non exquiſitus. Exquiſitus eſt qui aliis tumoribus malè curatis ſucceſſit, ex permutatione videlicet alterius tumoris immoderatiùs refrigerati, cuius materia ſubtiliſſima reſoluta eſt, craſſior verò in duritiem frigidam coercuit, aut qui ex pituitoſo vel melancholico ſanguine naturali coaluit. Non exquiſitus ex variis humorib. ſimul permixtis intumuit & obduruit.

Signa ſunt tumor durus tactui reſiſtens, doloris expers, corporis colorem retinens, præcipuè ſi ex pituita conſtat: Aliàs coloris partim nigri partim rubri.

Scyrrhus magnus & durus corporis colorem retinens difficillimè curatur. Scyrrhi, cui pili accreuerint deſperata curatio eſt. Scyrrhus in cancrum degenerãs, malũ.

CVRATIO.

SCirrhi curandi methodus ſequẽtes habet intentiones. Prima ad victus rationem refertur. Sit autem victus tenuis & quodammodo attenuans, humidus, paululum calidus. Alimenta itaque euchyma, hoc eſt ſanguinem laudatum gignentia exhibeto. Panem triticeum & probè cõfectum dato. Vinum ſubſtantia tenue & ſubrubellum vel candidum, & odoratum propinato.

Oua ſorbilia, pullos, capos, gallinas, perdices, capreolos iuuenes, vitulos lactantes, & verueces præbeto, in earum carnium iuſculis ſpinatia, betas boraginem, bugloſſum coquito. A caprina, hircina, bubula, taurina, leporina, aprina caueto: limaces, grandium piſcium marinorum carnes, ex oleribus braſſicam, omnia legumina, præſertim

tim lentes fugito. Panem furfuraceum & ex vitiatis ſeminibus, vinum rubrum, craſſum, fæculentum, caſeum veterem, præſertim ſalſa, acria, vt piper, ſinapi, allia, cepe & acida, retorrida, aſſa, frixa & vehementer exciccata, aut ſanguinem vrentia vitato. Ab ira, mœſtitia, vehementi ſolicitudine, exercitatione immodica & vigiliis abſtineto: vt aluus ſemper liberè fluat efficito. Secunda intentio materiæ antecedentis euacuationem & purgationem præſcribit. Iniecto itaque clyſtere mollienti (vt in phlegmone dictum eſt) à quo tamen refrigerantia detrahentur, aut minuentur, vel bolo ex caſſia & cathol. exhibito, venam ſecabis, maximè ſi totus corporis habitus fuerit melancholicus. Vbi tamen humor melancholicus plurimum à ſanguinis natura fuerit abalienatus, à ſanguinis miſſione eſt abſtinendum, exhibendumque medicamentum purgans. Cúmque humor melancholicus ſit craſſus & terreſtris indiget præparatione.

Ad humoris melancholici præparationem.

Humor melancholicus præparandus ad expulſionem humectantibus, moderatè calidis, nonnihil tenuantibus & incidentibus.

℞. rad. & fol. lapathi acuti, rad. & fol. bugl. borag. fumar. herbarum capil. communium cichorij, endiuiæ, roſtri porcini, ſummitatum lupuli ſingu. m̃. j. meliſſę m̃. ß. quatuor ſeminum frig. maiorum contuſorum, & ſeminis portul. ſingul. ʒ. ij. ſeminis aniſi & fœnic. ſing ʒ. j. paſſul. mundat. ʒ. vj. polyp. querc. recen. ℥. j. ſennæ orient. ℥. j. ß. thymi epith. ſingul. ʒ. ij. trium florum cord. ſing. pug. j. fiat de-

coctio: in col. ℔.ij. diſſolue ſuccorum bug. & pomorum redolentium ſing. ℥.iiij. iterum coquantur, & reducantur ad ℔.j.ß & cum debita ſacchari quantitate fiat apozema clarif. & atomar. cum pulueris diamarg. frig. & diatrag. frig. ſing ʒ j. vtatur in iiij. doſibus. Si nullo in viſcere ſint obſtructiones , poteſt addi mirobal. indic. oleo amygdal. dul. confricatarum ℥.ß.

℞ ſyrupi de fumar. & de bugl. vel de borag. vel end. ſimpl. vel de cichorio ſiue rhab. vel viol. vel capillorum ven. vel ſcolopend. vel oxyſach. vel de epith ſingul. ℥.iij. aquarum lupuli & cichorij. ſingul. ℥.vj. pulueris ſantali moſcat. & cinamomi ſing. ʒ.j fiat iulep. clarif. & atom. pro iiij. doſibus.

Purgatio humoris melancholici.

Ad purgationem conferunt thymus , epith. ſenna orientalis, polyp. querc. lapis lazuli, veratr. nigr. cathol. diaſenna, tripheta perſica, confect. hamec. hier. ruffi.

℞. ſennæ orientalis ʒ.ij. rhab. optimi ℈.iiij. cinamomi gr.v. infundantur in ℥.iiij ſeri caprini & exprimantur: adde ſyrupi viol. ℥.i. fiat potio. Poſtea ſequens quæ valentior eſt: non enim ſufficit vnica purgatio.

℞. cathol. trypheræ perſicæ ſing ℥ iij. diaſennæ ſolu. ℥.j. rhab. in aqua end. infuſi & expreſſi ſing ℥ ij miſce, fiat potio: vel ſequens valentior.

℞. confec. hamec. & diaſennæ ſolut. ſing ℥. ij ß. mannæ granatæ ℥.j medullæ caſſiæ ʒ.v. aquarum cichorij & fumar. ſing. ℥.ij decoctionis thymi & epithymi, & quatuor ſeminum frig. maiorum

iorũ n.℥.iij.ſyrupi viol.℥.j. Potiones in hoc affectu catapotiis præſtant: nam catapotia nimis ſiccant. Altero die à purgatione capiet theriacæ ʒ.ij. quinque horis ante cibum.

℞ conſeruæ rad.bug.& florum cichorij ſing.℥.j mirob.emblit. ſaccharo cõditarum ℥.iij cort.citri condit.ſacch.ʒ.ij.conſer.viol.ʒ.vj.pulueris lætitiæ Galeni ℈.ij diamarg.frig.℈.iiij.diarhod.abb.ʒ.j. confect.alchermes (ſi animi affectibus torqueatur) ʒ.ij.cum ſyrupo de pomis redolẽtibus, fiat opiata, de qua capiat inſtar nucis quater in hebdomade duabus horis ante cibum:poſtea bibat modicum vini clari,aqua bugloſſ.diluti.

Topica medicamenta ſcirrhi.

Tertia huius affectus curandi intentio ad topica dirigitur: in quibus repellentibus ne vtitor: eſt enim humor frigidus & craſſus, qui vi repellentium non retrocederet, ſed magis incraſſaretur,atque impingeretur:mollientia itaque ac diſcutientia & incidentia applicato: quibus quę partem roborant, miſceto, nimis tamen mollientia fugito,ne tumor abeat in vlcus cancroſum. Immoderatè etiam diſcutientia caueto:ne craſſiore tantùm humoris ſubſtantia remanente, & tenui diſcuſſa,tumorem efficias incurabilem.

Quæ tumores duros molliunt.

Mollientia medicamenta ſunt œſypus, lana ſuccida, butyrum, oleum amyg.oleum chamæm. anethinum, oleum liliorum, adeps gallinaceus, anſerinus, anatinus, ſuillus, aquilæ, vulturis, vulpis,taxi,vrſi,leonis, medullæ vituli,cerui,& aliorum animalium,muccagines,propolis,cera,mal-

ua, althea, lilium, branca, vrſina, caricæ pingues. Valentiora ſunt ammoniacum aceto diſſolutum, bdellium molle & pingue, ſtyrax liquida, galbanum, quibus accedit propolis, pix liquida & reſinæ pingues ac minimè acres, adduntur ſemen apij, cumini, radix ireos, anethum, ruta, flos, geniſtæ.

Formulæ ad ſcirrhum molliendum & reſoluendum.

℞. caricas pingues xij. coquantur & terantur, ammon. bdellij, galb. in aceto diſſolutorum ſing. ℥ ij. ſtyracis liquidæ ʒ.j. muccag. alth. ſeminis lini & fœnug. ſing. ℥.ij. œſypi & butyri recentis ſing. ℥.j. olei ricinini, vel ſeſamini, vel de lilio ℥.iij. ceræ quantum ſufficit, fiat emplaſtrum. vel,

℞. rad. lil. & alth. perfectè elixarum & contuſarum ſing. ℔ ß. adipis lupi, aquilæ, vulturis ſing. ℥.iij. adipis anſeris & gal. ſingu. ℥.j. olei ieſmini, vel ſambucini, ceræ & propoleos quantum ſufficit, fiat emplaſtrum. Vel ſequens optimum, & à nobis expertum.

℞. radicis geniſtæ, hyperici, fol. cupreſſi, & ſcrophul. ſiccorum. ſing. ʒ.v. lithar. auri ℥.j. muccag. ſeminis lini & fœnug. ſingul. ℥.ij. olei vulpini & de lilio ſing. ʒ.iiij. ceræ quantum ſufficit, fiat vnguentum, addendo aceti modicum. vel,

℞. muccag. rad. altheæ, medij cort. vlmi, ſeminis lini & fœnug. ſing. ℥.iij. olei chamæm. anethi. & de lilio ſingu. ℥ j. ammon. galb. opopan. & ſagapeni in aceto diſſolutorum ſingul. ℥ ß. tereb. ℥.ij. croci ʒ.j. ceræ nouæ. ʒ.ij.ß. fiat emplaſtrum.

Laudatur etiam vnguentum de althea, cui debent

bent addi gummi prædicta.

De exquiſito ſcirrho.

Scirrhus huiuſmodi eſt doloris ac ſenſus expers, fitque ex aliis tumoribus malè curatis, nimirum quando quicquid eſt tenue reſoluitur: quòd verò remanet per congelationem induratur. In hoc autem affectu victus ratio & cathartica eadem, quæ in præcedenti ſcirrho præcipſimus, ſunt omninò deligenda. Topica verò maximè molliant & incidant, ſed moderatè diſcutiant ac reſoluant. Etſi verò ſingulis in capitibus iam de iis ſumus loquuti: adhuc tamen non pigebit aliqua ſubicere.

Topica ad ſcirrhum exquiſitum.

Galenus ſecundo à Glauconem oleo ſabino fouebat: (cuius loco oleo irino vel ceirino vtimur) ammon. in aceto diſſolutum apponebat: ſuffitum ex aceto in lapidem pyritem coniectum excipi iubebat: nos quoque eo modo tumorem fouebimus: fumum ſeu vaporem aceti in lapidem molarem iniecti excipi præcipiemus: deinde medicamenta mollientia & diſcutientia viciſſim applicabimus.

℞. rad. cucum. agr. & alth. ſing. ℥. ij. fol. maluæ, brancæ vrſinæ ſing. pug. j. ſeminis lini & fœnug. ſing. ℥. j. fiat decoctio qua locus foueatur: deinde coque in aceto ſatureiam: poſtea acetum in lapidem molarem, vel ferri recrementum ignitum coniice, & vapor excipiatur.

℞. ſtercoris aſinini ℔. ß. gummi ammon. in aceto diſſoluti ℥. iiij. ladani puri, & maſtiches ſing. ℥. iij. axung. anatis & gall. ſing. ℥. ij. olei de

maſt.& ceirini ſing.℥.ij.ß.ceræ quantum ſufficit, fiat emplaſtrum.

℞. gummini ammon.bdellij.galb. & ſtyracis liquidæ ſing.partes æquales, axung cerui, leonis, anatis, capræ, vituli duplum pondus, rad.maluauiſci quantum videbitur, olei ſambucini & ceræ quantum ſufficit, fiat emplaſtrum.

℞. rad.alth.arboreſcentis ℥ iij fol. mal.ſylueſtris m̄.j. ſeminis lini & fœnug. ſing ℥.ij. ß. coquantur, terantur, poſtea miſce adipis caprini, medullæ cruris vituli & cerui ſingul.℥.iij. cataplaſma.

℞. axung.gall.anſeris, anatis, ſing ℥.j.ß.axung. taxi, muli & aſini ſing.℥.j medullæ cruris vituli & cerui vel bouis ſingul ℥.iij.œſipi, ſtyracis calamitæ & bdellij ſing.quart.ß. muccag.ſeminis altheæ; lini & fœnug.ſingul.℥.ij.maſtiches & thuris ſing.℥.ß.olei amygd.dulc. & amurcæ olei de lilio ſingul.℥.iij.ß. ceræ quantum ſufficit, fiat emplaſtrum. vel.

℞. ammon.bdellij.galb.opop.in aceto diſſolutorum ſingul.℥.ij. litharg.auri ℥ ij ß.bulliant in aceto: poſtea miſce pyrethri, ſulphuris viui & ſeminis ſinapi ſing.℥.j ceræ & olei quantum ſufficit, fiat emplaſtrum.

℞. ammon. & bdellij in ſapa diſſolutorum ſingul.℥ iij myrrhæ, thuris & olibani ſingul.℥.j. ping.anguillæ.gallinæ & aquilæ ſingul.℥.ij adipis vituli ℥ j ß. olei antiqui & de lilio ſingul.℥.iij. ceræ quantum ſufficit, aquæ vitæ modicum, fiat vnguentum.

DE CANCRO TVMORE.

CAPVT XVII.

Cancer eſt tumor durus, rotundus, inæqualis, variis venis inſtar pedum cancrorum in ambitu turgidus, coloris liuidi ac nigricantis, dolore ac calore moleſtiſsimus. Is duplex eſt, aut vlceratus qui phagedæna dicitur, cutem & ſubiecta quæque depaſcens: Aut non vlceratus.

Vtriuſque cauſa & materia continens eſt bilis atra ac retorridus ſanguis, maiorem in phagedæna quàm in non vlcerato cancro malignitatem adeptus. Itaque ſæpenumero in viris ex retentis hæmorrhoidibus: in mulieribus ex ſuppreſsis menſtruis habet originem.

Huius ſigna ſunt durities, rotunditas, color liuidus ac denigricans, venæ in ambitu turgidæ aliquando tamen delitescentes, quum adhuc in profundo latitat, dolor ac calor intenſiſsimus: ac quum extra cutem ſe prodit & exulceratur, corruptæ carnis ſpeciem tumor exhibet cum fœtore, ſordida illuuie, aſpectu horrido, præduris & inuerſis labris.

Cancer mulieribus ſæpenumero mamillas inuadit, ſi ſuis menſtruis minùs purgentur. At in viris quibus hæmorrhoides conſuetæ non ſoluuntur inter humeros ſedem ſuam ſtatuit: Cancer cum particularis lepra dicatur, difficilis quemadmodum & vniuerſalis curationis eſt.

Confirmatus cancer non curatur, niſi radicitus extirpetur: Quod etiam non vacat periculo.

Vlceratus cancer peßimus eſt, quòd malignam & venenoſam quandã qualitatẽ eius materia contraxerit.

Quibuſcumque cancri abſconditi fuerint, hos melius eſt non curare quàm curare, ſiquidem curati citiùs intereunt: non curati longum tempus etiam tranſigunt.

CVRATIO.

CAncri curatio primò diætæ inſtitutionem deſiderat, quæ ad frigiditatem & humiditatem accedat: cibos itaque ſucci laudati, & qui facilè coquantur, quales de ſcirrho numerauimus, eligito: omnia ſalſa & acria, quæque ſuccos aduſtos & melancholicos gignunt, quemadmodum de ſcirrho dictum eſt, ſummoperè vitato.

Secundò materia antecedens eſt euacuanda, præparanda atque purganda. Propterea ſi plenitudinis ſigna ſubſint, vel hæmorrhoides, vel menſes ſuppreſſi, venam iecorariam dextri brachij ſecabis: priùs tamen ſi aluus ſit dura, clyſterem mollientem iniicies.

Humoris præparatio & purgatio.

Poſtea humor præparabitur, apozemate ſcripto de ſcirrho, cui addes acetoſæ m̄.j.ß. ſeminis acetoſæ & ſerici crudi ſing. ℥.j. corticis citri, & ſeminis eiuſdem ſingul. ʒ.vj. tamarindorum ℥.j. coquantur in aqua decoctionis ranarum viridium: decoctioni miſce ſucci mali punici iam maturi, ſucci roſarum, & ſucci pomorum redolentium ſingul. ℥.iij. aceti paſſulati ℔.ß. ſacchari quantum ſufficit, fiat ſyrupus perfectè coctus ad ℔.ij. & eo vtatur cum ſero lactis quinque aut ſex diebus. Vel vtatur iulapio etiam in ſcirrho deſcripto.

℞. florum trium communium ſingul. pug.j. epith. ʒ.iij. ſennæ orient ℥.ß. macerentur x. horas in ℥.iiij. ſeri lactis, & facta expreſſione, miſce ſyrupi viol. ℥.j. diapru. ſimpl. vel ſolutiui (ſi aluus durior) ʒ.iij. fiat potio. vel,

℞. fu-

℞. fumariæ m̄ j. ſennæ orient. & epith. ſing. ℥. iij. florum roriſmar.. cum ſemine (auget enim vim medicamenti melanagogi) pug. ij. infundantur in ℥ iiij. ſeri lact. & iis expreſſis diſſolue rhabarb. in aqua bugl. infuſi. ℥. j. cinamomi gr. iiij. mannæ granatæ ℥. j. ß. caſſiæ ℥. vi. fiat potio. Commendantur etiam ad eam rem hiera ruſſi, quæ ellebororum recipit : & pilulæ indæ, quanquam in hoc etiam affectu præſtat vti humidis. A purgatione, dato operam vt hæmorrhoides & menſes, ſi ſupprimantur liberè fluant.

At humorem paulatim abſumendum.

Tertio quod ſupereſt materiei antecedentis, id eſt abſumendum, & cor atque hepar confirmanda ſequentibus.

℞. pulueris cancrorum fluuiatilium, vel marinorum præparatorum, quart. j. pulueris ranarum & limacum ſingul. ℥ ij. cort. citri conditi ℥. ß. raſuræ eboris, oſſis de corde cerui ſingu. ʒ. iij. xylobalſami, ligni aloës, ſantali muſcatel. coral. rub. limaturæ chalybis ſing. ʒ. ij. ſeminis acetoſæ, citri. end. ſingul. ʒ. j. ambræ ʒ. ß. conſer. borag. bugl. & anthos ſing. ℥. j. aquarum meliſſæ & torment. ſing. ℥. ij. ß. fiat elect. de quo capiat ſingulis horis quantum volet.

Ad cor & hepar roborand.

℞. confect. de hyacintho ℥. j. ß. confect. alchermes ʒ. iij. conſer. roſ. conſer. rad. bugl. ſing. ℥. j. ſyrupi de pomis redolentibus quantum ſufficit, fiat confect. de qua capiat quater in hebdomade duabus horis ante paſtum inſtar nucis, poſtea bibat modicum vini generoſi aqua bugloſſi

diluti. vel,

℞. fragmentorum lapidum pretioſorum ſing. ℈.ij. pulueris margaritarum ʒ.j. coralli vtriuſque ſing. ʒ.ß ſeminis end. portul. & citri ſingul. ℈.iiij. limaturæ eboris ℈ ij. ſantali moſcatel. ℥.j.ß. myrobal. emblir. ſaccharo conditarum, cort. citri ſaccharo conditi ſing. ʒ.ij. moſch. & ambæ ſing. gr. vj. ſacchari ſolidi in ſucco puro pomorum redolentium diſſoluti quantum ſufficit, fiat confect. in tabellas, quibus vtatur quotidie manè. Vel capiat quotidie tabellam vnam manus Chriſti cum margaritis

Topica cancri abſumendi.

Quartò properandum ad topica remedia, quæ humorem impactum diſcutiant & partem confirment: huic affectui maximè conferunt omnes intypi ſpecies, ſolanum, ceterac, agrimonia, hypericum, centrum galli (hoc eſt orminum ſyluestre) coriandri ſuccus, lentes in aceto coctæ, & à facultate recondita cochlearum carnes elixæ, cancri fluuiatiles, ranæ virides, humanum ſtercus. Proſunt quoque vnguentum de plumbo, & plumbum ipſum quocunque modo adminiſtretur, & omnia metallica, vnguentum de pomphol. vnguentum de cancris fluuiatilibus axung gall. & tuthia: oleum de ranis opticum, tum ad diſcutiẽdum, tum ad dolorem ſedandum: eſt enim rana viridis excellens huius affectus antidotum: ſic autem fit oleum. Ranas virides in arboribus, vel aquis puris degentes in vas fictile vitro illitum, multiſque exiguis in fundo foraminibus pertuſum coniicito: earúm-

que ora butyro impleto: vas ne quid exhalet luto diligenter oblinito, & cooperito: cui alterum effoſſa terra concluſum ſupponito: ignem in ambitu ad diſtillandum accendito: oleum ſeu liquorem illum ſtillatitium colligito: & cum puluere ranarum viridium ſi vis ad linimentum conſiciendum miſceto.

Compoſita.

℞. ſuccorum vtriuſque plantag. & ſolani, aut vermicularis, ſucci ſymphyti minoris ſingu. ℥.ij ß. olei roſ. omphacini ℥.iij ſub radiis ſolaribus ſimul agitentur in mortario plumbeo, donec vt gluten craſſeſcant. aut,

℞. bol. arm. terrę ſigil. ſing. ℥ j. lapidis calamin. & ceruſæ lotæ ſingul. ℥ ß. ruth. præparatæ, marcaſitæ ſingu. ʒ.iij. pulueris cochlearum & ranarum viridium in clybano exiccatarum ʒ.iij. litharg. auri ʒ.ij. olei roſ. omphacini ℥.iij. olei de ranis ℥.j ß. aceti ʒ.ij. albumina ouorum ij. ceræ quantum ſufficit, pinſantur diu in mort. plumbeo & fiat vnguentum.

℞. teſtarum cancrorum fluuiatilium combuſtarum ℥ j. pulueris ranarum ʒ.iij. litharg. auri ℥ j. plumbi vſti & loti, ruth præparatæ ſingul. ʒ.ij. ceruſæ in aqua roſarum lotæ ʒ.j ß. ſuccorum burſę paſt. & arnogl. ſingul. ℥ iij. ß. olei roſ. omphac. vel olei myrtini ʒ.iiij. in mortario plumbeo diutiſſimè agitentur, & fiat linimentum. eſt Paul. Æginetæ. vel,

℞ litharg. & ceruſæ lotorum, ruth. præparatæ ſing ℥.j. plumbi in ſucco aceroſę vel vino albo loti ℥.ij. olei roſ. ʒ.vj. aquæ roſ. ʒ.iij. aceti ℥ j. albu-

mina ij. ceræ albæ ℥.j.ß cap. ℈ j. fiat vnguentum. Laudantur etiam paſſulæ dulces mundatæ, & cum foliis rutæ mixtæ & appoſitæ.

Ad furorem reprimendum, doloremq́ue leniendum ſic facito.

℞. olei roſ. ℥.iiij. ſeminis papau. albi. ℥.j. ſeminis hyoſcy. opij. ſing. ʒ.ß. gummi arab. ℥.ß. ceræ modicum, miſce, fiat vnguentum.

TVMORVM PARTICVLARIVM CVM ACCVRATA MEDENDI RATIONE breuis deſcriptio.

De hydrocephalo, hoc eſt aqua in capite pueri.

CAPVT XVIII.

Abſoluta tractatione & vniuerſali tumorum curandorum methodo, accedendum ad particularem. Nam pro diuerſa partium affectarum natura ſæpenumerò medendi ratio eſt immutanda. Auſpicandum verò à capite & ad alias partes progrediendum.

In capite (præſertim infantis recens nati) tumor ex aqua concluſa inter cranium & cutem ſæpe ſuccreſcit, qui hydrocephalus nuncupatur. Eſt igitur hydrocephalus tumor aquoſus totam externam capitis aut bonam ipſius partem in tumorem attollens. Eius materia ſeroſum eſt excrementum ex ſummis venis in externas capitis partes effuſum. At infantibus recens natis ex variis humiditatibus, quibus totum corpus in vtero ſcatebat, vel matris vel ipſius fœtus vitio & impuritate ſæpenumerò eiuſmodi hydrops accidit. Eſt & alia hydrocephali ſpecies, cuius materia intra & ſub cranio

nio cumulata deliteſcit.

Cauſa igitur eſt aquoſa illa humiditas, vel ex venis reſultans, vel ex ſudoribus aut aliis impuritatibus inter cranium & cutem coaceruatis. Signa patent oculis.

Eiuſmodi aquoſitas ſi in oculos defluat, varios affectus induces, vt lippitudines, ſuffuſiones, caliginem, nubeculam, apoſtemata frigida in auribus: dolorem dentium, ſi in eius radices & neruos decurrat. Omne denique arthritidis genus, in quancunque iuncturarum partem decubuerit.

CVRATIO.

ABſoluta methodo vniuerſali tumorum curandorum, accedendum ad particularem: nam pro diuerſa partium affectarum natura ſæpenumero medendi ratio eſt immutanda: auſpicandum verò à capite, & ad alias parteis progrediendum. Tumor in capite infantis recenter nati ex aqua concluſa inter cranium & cutem ſic curatur: nam ſub cranio difficilè admodum abſumitur.

Primò victus ratio nutrici præſcribatur, vt parcè ac tenuiter viuat, ſiccantibus vtatur: humectantia fugiat, parum admodum bibat: quemadmodum antea dictum eſt de tumore aquoſo, ita viuat: & interea ſemper aluus liberè fluat.

Secundò in capite infantis vtendum diaphotericis, quæ eam humiditatem abſumant, & aſtringant, quæ roborent. Proinde calamentum, origanum, pulegium, ſerpillum, ſaluiam, betonicam, ſauinam, chamæm. melilotum, flores ſtæchanthos, anethi, nuces cupreſſi, roſas, furfur, in li-

xiuio ex cineribus ſarmentorum confecto, & vino auſtero coquito: & eo decocto caput irrigato. Ea certè embrocha mihi eſt familiaris & vſitata: quæ vim habet exiccandi & confirmandi caput. Poſtea ſequens linimentum apponito.

℞. pulueris abſynthij, chamæm. vel aneth. ſing. ℥. ij. butyri recentis, olei chamæm. vel aneth. ſing. ℥. iiij. ceræ modicum, fiat linimentum. vel,

℞. mel. ℔. ß. origani m̄. j. ſalis communis ℥. ß. miſce in formam cataplaſ. quod calens applicetur: vel limaces cum cochleis tundito, & capiti applicato: ſicque donec ex ſeſe cadant relinquito: nam mirum in modum reſoluent. vel,

℞. olei chamæm. vel anethini ℥. iiij. ſulphuris ℥. j. fiat linimentum, quo bis quotidie liniatur caput pueri, & lana ſuccida, & calenti obtegatur: quo etiam potes à principio vti.

Tertiò caput eſt confirmandum, ne materia repullulet: id verò fiet medicamentis ſiccantibus, calfacientibus in forma pomi odorati.

℞. caſtorei & rutæ ſing. partes æquales, moſchi grana aliquot, cum ſucco ſampſuci, fiat pomum, quod naribus pueri admoueatur ſæpè: potes ad eam rem vti cypero, galanga, nuce moſc. caryophill. benioin & ſimilibus. Vel caput infantis vino auſtero & oleo communi illinatur.

Alij chirurgia vtuntur: quod mihi minùs tutum videtur: ea tamen ſi vtendum fuerit, fiant inciſiones pro materiei ſeu aquæ quantitate.

Alij à parte poſteriori per diametron ad anteriorem inciſionem ducunt: alij ſcindendo formam

mam efficiunt triangularem: alij formam crucis. Vt vt ſit, aqua tamen ſenſim ac paulatim effluat: ne infantis vires deiiciantur. Nam ſimul atque ea aqua effluit, ſpiritus quoque diſſoluuntur, in quibus virtus conſiſtit. Medicamenta cauſtica mihi non probantur ob cerebri viciniam, cerebri inquam adeò tenelli: nec mihi placent vel caputpurgia vel gargariſmata, quæ nutricibus imperari ſolent.

DE NODIS ET GLANDVLIS.

Capvt XIX.

Nodos, diximus ſuperiùs eſſe tumores ex craſſa lentáque pituita, vel naturali melancholia, qui paſſim extra neruos, articulos & adenes exoriri ſolent. Glandulas verò eſſe tumores adenum obturatos. Quæ quidem duorum ſunt generum. Aliæ enim ſunt duriores & ſicciores, erodentéſque ex acris materia, quales ſunt ſtrumæ. Aliæ molliores & mobiles, quales in emunctoriis ſuccreſcunt. Ex pituitoſa, aquoſa, aut flatuoſa materia hæc poſtrema naſci ſolent.

Cvratio.

Cvrantur nodi & glandulæ in capite quemadmodum in methodo vniuerſali dictum eſt, victu attenuante, purgantibus pituitam, & topicis mollientibus, incidentibus, reſoluentibus aut inciſione, in qua vide ne aliquid cyſteos remaneat.

DE TESTVDINE SEV TALPA.

CAPVT XX.

Teſtudo ſeu talpa eſt tumor ex impuris humoribus inter cranium & cutem putreſcentibus collectus, teſtudinis formam exhibens. Is autem eſt aut cum vlceratione & cranij corroſione, aut ſine exulceratione.

Varia eius apoſtematis materia eſt, aut enim nitroſa eſt, & exedens pituita, aut bilis pituita ſalſa permixta, facilè cariem cranio inducens, aut putrefacta aquoſitas, oſſa capitis tandem excauans.

Signa ſunt tumor mollis & latus teſtudinis formam referens.

Eiuſmodi apoſtemata, quemadmodum & alij capitis erodentes abſceſſus, propter cerebri vicinitatem, & ſuturarum cranij procliuem in cariem lapſum, periculoſi ſunt.

Quæ corruptionem cranij iam induxerunt, malæ ſunt.

CVRATIO.

TEſtudo ſeu talpa nonnunquam eſt ſine vlcere & carie cranij, aliquãdo cum cranij corruptione & carie. Vtriuſque curandi ratio communia habet præcepta: diætam conuenientem, humorum tum præparationem, tum purgationem. In victus ratione ſemper vitanda vaporoſa, vt & in aliis capitis affectibus: reliqua quoque inſtituenda pro humoris afficientis natura. Cùm enim ſunt humores calidi, tum refrigerantibus opus;

opus;cùm tenues,incraſſantibus: cùm acres, eorum acrimoniam obtundentibus:contrà,cùm frigidi,eſt calefaciendum; cum craſſi, tenuandum; cùm viſcidi, incidendum; tam in victus ratione, quàm in vſu medicamentorum, aut humorem præparantium,aut purgãtium,quorum omnium formas habes in diuerſis ſuperioris methodi capitibus: vnde in materia calida,ad calidos quoque tumores, in frigida verò ad frigidos tumores eſt recurrendum. Hoc tantùm addendum, quòd humores in capite contenti, præſertim frigidi, commodiùs educuntur pilulis quàm aliis medicamentis: quia pilulæ diutius in ventriculo ob ſuam conſiſtentiam remanentes à longioribus partibus attrahunt. Vnde in materia frigida & pituitea proſunt pilulæ alephang.de hiera, aſſaieret, de agarico, cocciæ, arabicæ, aggregatiuæ. In calida verò materia pilul. de rhabarb. de myrobal.aureæ,aſſaieret, aggregat. de fumaria. Topica ſunt incidentia & reſoluentia dicta, capite de ſtrumis, quando tumor eſt ſine vlcere & carie: niſi verò tumor reſoluatur, ad ſuppurantia capite de œdemate præſcripta, confugiendum: vel radicem altheæ & cepe ſub prunis coquito: ouorum vitellos, & axungiam vel butyrum miſceto, tundito, applicato & facto pure, ſtatim ne fiat os carioſum, vomicam reſerato. Teſtudo ſi cum cranij corruptione fuerit, Guido ſentit cura ficta ſeu fucata vtendum. Verùm ſi magna corruptio non fuerit, curandus erit affectus: quemadmodum fractura cranij, quæ poſtea tractabitur: nempe inciſione,

deterſione ex melle roſ.terebint. puluere ireos, myrrhæ, thuris. Caro putris erit abſumenda ægyptiaco, vel puluere mercurij, & reliqua vt in vlceribus perficienda. Si magna fuerit oſſis corruptio, vtendum prognoſtico, & ita dimittendus æger, niſi velis curatione vti fucata. Idem in cranij corruptione ex lue venerea faciendum arbitror: vbi enim magna eſt corruptio, erit ægrotus relinquendus. Videatque chirurgus, ne cum exiguam putat eſſe corruptionem, ea tamen magna ſit, quod mihi ſemel accidit: cùm enim cranij corruptionem, quæ exigua videbatur, detrahere tentarem, totum os bregmatis (quod coronale vocant) excidit omnino, ita vt craſſæ meningis magna pars, & cerebri motus nobis maximè eſſet conſpicuus: ægrotus tamen euaſit, ſed poſt vlceris curationem inducta iam cicatrice, cerebri motus nobis adhuc apparebat: nolim tamem chirurgo conſulere, vt tantam corruptionem ſuo periculo curandam ſuſcipiat. Sed ſi minor corruptio, os modiolo detrahendum, vel radendum, vlcus detergendum, corpus vngendum ſicut in lue venerea, minor tamen ſit hydrargyri quantitas, viuendum tenuiter cum decocto gaiaci. Eodem enim modo curatur talpa cum oſſis corruptione, quo oſſis corruptio à lue venerea.

DE

DE OPHTHALMIA.

CAPVT XXI.

Ophthalmia eſt inflammatio oculi ex eius angulis in totam membranam, quæ cohærens aut adnata dicitur, effuſa. Ea duplex eſt, vera nempe quæ calidior vel frigidior eſt. Calidior quidem, quæ tumor eſt oculi, cum eius albi rubore, atque adhærentis tunicæ inflammatione & punctione, Quæ quidem oritur ex tenuis bilioſíque ſanguinis è temporum, angulorúmque venis in oculos fluxione: frigidior quæ à materia, vt ſanguine frigidiore vel pituita aquoſa oritur. Altera eſt intemperies oculi calida cum calore & rubore ab extrinſeca cauſa forinſecus adueniens.

Cauſæ externæ ſunt, fumus, ſol, puluis, aer, &c. Cauſæ internæ, ſanguis, bilis, pituita ſalſa & acris, aquoſa aut craſſa materia in oculos defluens, quæ putreſcens adnatam tunicam inflammat.

Signa ſunt tumor, grauitas, dolor, rubor albi oculorum, cum fluxu lachrymarum & lippitudine in oculorum angulis collecta.

Lippientem & ophthalmiâ laborantem alui profluuio corripi bonum. Ophthalmia illacrymans velociorem recipit quàm ſicca curationem. Ophthalmia facilis fit tranſitus ab vno oculo ad alterum. Ophthalmia longo durans tempore, vlcerationem, vel oculi interitum tandem prænuntiat.

CVRATIO.

OPthalmiæ veræ primum curandi præceptum, victus rationem debitam conſtituit. Victus itaque ſit tenuis, ſerò potiſſimùm : abſtineat carnibus , ouorum vitellis,atque aliis multum ſanguinis gignentibus,fugiat vaporoſa:contrà verò in poſtrema menſa diſcutientibus flatus, oſque ventriculi conſtringentibus vtatur: vt coriandro,aniſo,cydoniis & ſimilibus,fumum,ventum, ſplendorem, puluerem, venerem, denique iram euitet. Oculos pannis nigris aut viridibùs cooperiat aut cæruleis.

Secundum præceptum ad materiæ tendit euacuationem : iniecto igitur clyſtere ex decoctione mollientium & refrigerantium,ex caſſia,melle violaceo & oleo violaceo , vt capite de phlegmone dictum eſt : cephalica eiuſdem lateris ſecanda : ſanguiniſque plus minúſve erit educendum, pro humorum redundantia,& aliis ſcopis ſanguinis mittendi , vel bis , vel ſemel tantùm vena aperietur , vt erit opus ad euacuationem, vel reuulſionem,cucurbitulæ affigendæ parti poſteriori capitis , vel inter ſcapulas,& ad reuulſionem & deriuationem,extrema fricentur,foueantur & ligentur. Altero vel tertio die ſi ſanguis ſit bilioſus,nulla præcedente præparatione,pharmacum cholagogum exhibebis ex decoctione communi cum ʒ.vj. tamarin. in qua diſſolues caſſiæ ℥ ß. elect. de ſucco roſ.ʒ.ij. & ſyrupi viol. ℥.j. aut rhab.℈.iiij. cinamomi gr.v. myroba. citrin. in oleo amygd.dulc. confricatarum.ʒ.ij.infunde

funde in ℥.iiij. aquæ end.& diſſolue elect. de ſucco roſ. ʒ.ij.ſyrupi roſ. ſolut.℥.j.ß. fiat potio: de ſequenti dabis conſeruæ roſ.℥.ß. Si poſtea tibi ſyrupis vtendum videtur: erunt vtiles ſyrupus viol. de ſucco cucurb. bugl. end. acetoſus ſimpl.roſ.myrtinus,cydon.& ſi magis incraſſanda bilis,ſyrupi de papau.& de nymph.cum aquis earundem rerum, vel recurrito ad capita de phlegmone & eryſipelate, vt neceſſarium videbis.

Tertium præceptum oſtendit,quibus in toto morbi decurſu topicis vti debeamus. Statim à venæ ſectione temporibus & fronti emplaſtrum contra rupturam ad repellendum admoueto. Vel bolum arm.gallas, acaciam, hypociſtidem, pſidiam ſeu malicorium, balauſt. aloën. thus, & lentium vel fabarum farinam cum oui albumine vel muccag.gummi tragag.miſceto:& iiſdem partibus,in forma cataplaſmatis,apponito.

In oculum initio collyria ſequentia ad repellendum & leniendum inſtillato.

℞.aquæ roſ.℥.ß.albumen oui.j.lactis mul.modicum, agitato & inſtillato: vel addito muccag. ſeminis pſyllij & cydon. gummi tragag. & arabici:aut diſſoluito collyrium album raſis ſine opio in aqua roſarum.

In augmento oculum lauato primum aqua roſarum, dein tempore interiecto decoctione fœnug.& ita ſæpius viciſſim facito. Collyrium album rhaſis in aqua roſ. & lact. mul.recens mulcto, diſſoluito: aut muccag. ſeminis cydon. &

fœnug. in aqua roſ. extrahito: & addito lacte inſtillato: cui ſi adeſt vehemens dolor, potes addere tantillum caphuræ: Ad magis etiam reſoluendum, addes nonnihil tuth. præparatæ.

℞. muccag. cydon. in aqua roſ. per decoctionem extractæ ℥. iij. lact. mul. recens mulcti ℥. j. ſyrupi roſ. ℥. ß. in quibus diſſolue collyrij albi rhaſis ſine opio ʒ. ij. tuth. præparatæ ʒ. j. ß. ſacch. candi. ℥. j. myrobal. citrin. ℈. ij. agitentur, & percolentur: colaturam vſui ſeruato, adde caph. ℈. j. ſi vehemens calor fuerit.

In ſtatu ab vbere mulieris frequenter lac in oculum inſtilletur. deinde,

℞. tuth. præparatæ ʒ. ij. cap. lucij. ſingul. ℈. ß. diſſoluantur in æquis partibus aquæ roſ. & decoctionis fœnug. fiatque collyrium. aut,

℞. muccag. cydon. & fœnug. in aqua roſ. extractæ ſingul. ℥. j. ß. ſyrupi de ij. rad. vel ſyrupi roſ. ℥ j. ß troc. alborum rhaſis ſine opio ℥. ij. ſarcoc. nutritæ ʒ. ß. ſacch. candi. ℥. j. ß. fiat collyrium.

In declinatione, fœnugræcum diligenter lotum in aqua hordei & roſarum coquito: eaque decoctione oculum foueto; poſtea oua decoctione indurata, & panno inuoluta adhucque calentia oculo applicato. vel,

℞. ſarcoc. nutritæ ʒ. x. aloës ʒ. ij. myrrhæ ℥. j. lucij ʒ. j. ß. fiat puluis tenuiſſimus, qui in oculum iniiciatur: vel potiùs in aqua euphraſiæ diſſoluatur, fiatque collyrium. Tandem balneum proderit, ac vini laudati potus ad reliquias humoris diſcutiendas.

Quar-

Quartum præceptum docet, quomodo ſymptomatis ſit occurrendum.

In dolore vehementiſſimo, confert pomum inter prunas coctum cui vitellus oui, aqua roſ. & lac muliebre modicè cocta miſcentur. Valet quoque mica panis in aqua roſ. & lacte muliebri infuſa & appoſita. Iuuat etiam portulaca trita & admota: aut muccago ſeminis pſyl. & cydon. in aqua roſ. vel pap. vel in decocto pap. extracta, applicanda. Si dolor adhuc magis ſæuiat, addes ſucci coriādri & ceruſæ modicum, cum aliquot granis opij. Poſtea nocumentum ex vſu narcotici medicamenti oculo illatum, fotu decoctionis chamæm. melil. & fœnug. tolles.

Quando in cornea tunica ex ophthalmię diuturnitate pus apparet, illud troch. de thure, vel de myrrha eſt detergendum.

Ophthalmia à ſanguine frigidiore.

CVm ophthalmia oritur à materia frigida: victus ratio preſcribenda iuxta humoris naturam, reuulſiones tum venæ ſectione, tum cucurbitulis, aliiſque modis faciendæ: humor præparandus ſyrupis capill. ven. acetoſi ſimpl. de bizantiis, de duabus & quinque rad. melle roſ. ſyrup. de hyſſopo, de ſtæch. & oxymel. ſimp. & ſcyllitico cum aquis fœnic. euphraſiæ, hyſſopi, betonicæ & aliis: vel apozema, de quo in œdemate, ex radicibus & herbis iiſdem præparandum. Purgandum verò pilul. de agarico, aſſaieret. aggreg. cocciis & lucis. In topicis, initio

temporibus & fronti cataplaſma præſcriptum poterit applicari. Oculo verò cataplaſ. ex pomo cocto cum tantillo croci admouebitur: aut fient collyria ſequentia.

℞. aquæ roſ. & fœnic. ſing. ℥.j. lactis mulieris ℥.iij. ſyrupi roſ. ℥.j.ß. ſacch. cand & troch. alborum rhaſis ſine opio ſingul. ʒ.j. fiat collyrium: vel ſemen fœnic. cum modico croci terito, & cum mica panis in iure galli, ſalis experti, macerati, tanquam cataplaſma apponito. In augmento & ſtatu decoctione ex maluis, ſemine lini & fœnug. florum chamæm. & meliloti oculum foueto, & magma in forma cataplaſmatis apponito: aut eadem in iure pulli coquatur ad fouendum oculum, aut fiat decoctio ex ſolo fœnug.

℞. aquæ fœnic. & euphraſ. ſing. ℥.ij. aquæ roſ. ℥.j. tuth. præparatæ ℥.ij. ſarcoc. nutritæ in lacte mul. ℈.ij aloës ʒ.ij.ß. ſaccha. candi & ſyrupi roſ. ſing. ʒ.ij. agitentur, & fiat collyrium. Denique laudatur ſanguis columbi ex ala eductus, & calens applicatus. In declinatione prædicta in vino coquantur ad oculum fouendum. Mica etiam panis toſti in vino maceretur, & admoueatur. Collyrium quoque nouiſſimum proderit, ſi aquam roſ. detraxeris, & vitreoli romani diligenter loti ʒ ß. addideris. Aquæ etiam ſequentes plurimùm ſunt profuturæ, ſi manè & veſperi in oculum inſtillentur.

℞. aquæ roſ. & vini albi ſing. ℥.j.ß. aquæ fœnic ℥.ij. ſucci limonum ℥.ß. myrobal. citrin. & tuthiæ præparatæ ſingul. ʒ.ß. ærug. raſilis gr.v.

caphu-

caphuræ grana ij. bulliant in phiala vitrea ad tertias, colentur, & aqua in oculum inſtilletur. Eadem etiam prodeſt oculorum pruritui & ardori.

℞. aquæ roſar. & fœnic. ſingu. ℥.j.ß. vini albi ℥.j. ſarcoc. nutritæ, tuthiæ præparatæ, aloës, myrrhæ ſing. ℨ.ß. ſacch. candi. ℨ.j. ærug. raſilis grana v. bulliant ad tertias, & poſt colaturam, gutta vna manè & veſperi inſtilletur: viſum enim efficit clariorem & maculam recentem tollit.

DE AVRIVM APOSTEMATIBVS.

CAPVT. XXII.

Aurium apoſtemata ſunt tumores in profunda aure aut eius ſuperficie prominentes, quæ iuxta cauſa aut materiæ conditionem maiorem vel minorem dolorem inferunt. Alia enim ſunt frigida, alia verò calida. Frigida ex pituita è cerebro, aut per interiores meatus in auris radices decurrente gignuntur, aut per externos inter cranium & cutem capitis in ſuperficiem auris decumbente attolluntur & extrinſecus prominent. Calida ex acri tenuiſſimóque ſanguine in illis partibus putreſcente oriuntur, qualis eſt phlegmone, quæ ex ſubtiliſſimo ſanguine ex interioribus venis eò irrumpente & tandem putreſcente generatur. Cuius ſi intenſior eſt dolor, ſanguinis vel bilis putreſcentis materiam indicat: contrà ſi leuiora ſunt ſymptomata, pituitam aut melancholicam arguunt.

Cauſæ itaque tumorum & dolorum aurium ſunt, aut intemperies frigida, aut calida, eáque vel cum materia vel ſine materia. Materia eſt ſanguis ſubtilis & tenuis humor corrodens, aut flatus diſtendens, aut pituita.

Dolor aurium acutus cum febre continua ac vehementi difficilis eſt exitus. Perículoſior eſt dolor auris, qui ex apoſtemate calido & profundo eſt, quàm qui cartilagines extrinſecus attollit & excruciat.

Ex aurium dolore & apoſtemate magis adoleſcentes quàm ſenes periclitantur.

CVRA.

CVRATIO.

AVrium tumor, victus rationem, venæ ſectionem, & alias reuulſiones, humorum tum præparationem, tum purgationem requirit, perinde atque ophthalmia, habita humoris ratione, qui vt in ophthalmia, erit vel calidus, vel frigidus.

Topica erunt diuerſa pro temporum tumoris diuerſitate.

Initio repellentia locum habebunt: neque enim cerebri propinquitas impedit, ob naturam partis affectæ & dolorem acerbiſſimum.

Initio itaque, cùm tumor eſt calidus, vapor ex decocto plantag. ſolani, violariæ, lactucæ & ſimilium in aceto & aqua facto, per infundibulum excipietur: auris eo decocto fouebitur: & ſi magis refrigerandum, addes papauer, hyoſcyamum & mandragoram. Poſtea magmati miſcebis oleum roſ. vel cydon. vel papau. vel aliud refrigerans & aſtringenss, & cataplaſm. conficies, quod auri admouebis: aut oleum roſ. myrtinum, cydoniorum, viol. pap. nymph. vel ſimile cum aceto coques ad aceti conſumptionem & in aurem inſtillabis guttatim & tepidè: aut olei roſ. partes ij. olei amygd. dulc. partem vnam, aceti treis parteis, coquito ad aceti conſumptionem, & oleum calens, vel tepidum guttatim inſtillato: aut herbarum refrigerantium & aſtringentium ſuccos, aut earũ aquas ſtillatitias, cum granis aliquot caphuræ ſi vehemens calor adſit, in-

ſtillabis : aut albumen oui cum lacte muliebri agitatum, quod refrigerabit & leniet : aut oleum roſaceum cum ſucco mali punici & tantillo croci coquito, & in autem paulatim tepidè immittito. Nam quæ auribus iniiciuntur, tepida ſint oportet & in parua quantitate. In incremento miſcenda refrigerantia, repellentia & diſcutientia. Ea de cauſa althea, malua, chamæm. & melil. & hord. ac lentes coquentur cum dictis aſtringentibus ad ſuffitum, fotum & iniectionem. Accedente ſtatu, cum ſit magis diſcutiendum, addes decoctioni ſemen lini & fœnug. & abſynthium, calamentum, origanum, & ſimilia, certa proportione, vt magis vel minùs voles diſcutere ac repellere, aut ſuccos earum herbarum, vel aquas ſtillatitias, & olea tum repellentia, tum diſcutientia miſcebis : autem ſuffies, fouebis, aut in eam inſtillabis, aut cataplaſma ex magmate decocti conficies, addito oleo & adipe conuenienti : aut vnguenta parabis ex muccag. pſylli cydon. ſeminis lini & fœnug. butyro, adipibus gall. anſeris, anatis & oleis conuenientibus, ad repellendum & diſcutiendum pro varia intentione, & diuerſo tumoris tempore. Diſcutiunt oleum chamæmelinum, anethinum, amygd. ireos, liliorum, nardinum & alia.

Si tumor ad ſuppurationem tendat, iuuanda quoque ſuppuratio : ea tamen in parte parum admodum vtendum eſt ſuppurantibus : periculum enim magnæ putredinis impẽdet. Cumque ea pars ſit maximè ſicca, medicamenta etiam ſiccantia deſiderat: ad ſuppurandum ſic fiat.

Si

℞. rad.altheæ ℥ ii. mal.viol.ſing. m̄.ß. chamæm.& melil. ſing. pug.ß. fiat decoctio, cui adde farinæ fabarum & hord. ſing.℥ ß. paſſ ℥.j. olei chamæm.℥.ii.fiat catapla. aut

℞. adipis gall.anſeris, capræ ſing. ℥ ß.butyri recentis & ſalis expertis ℥.i. mel. & œſypi ſing. ℥.vi.olei de lil. ℥.i.ß ſceræ quantum ſufficit, fiat vnguentum.

Denique dolor vehemens eſt leniendus diligenter: in quem vſum conferunt aquæ ſucci, & olea refrigerantia cum lacte muliebri, veluti ſuccus cucurb. & mali granati cum oleo roſ. & lacte: cum oleo nymp.pap.mandrag.ſi calor eſt acrior: aut olea cum aceto vel ſucco mali granati ad aceti conſumptionem coquito: ac muccaginem ſeminis pſyllij & cydon.vel nonnihil caphuræ, vel grana aliquot opii & croci cum lacte addito. Proſunt etiam oleum de vitellis ouorum (quo etiam vtêris in auris vlcere cum tertia parte mellis) oleum lumbricorum, oleum chamæmelinum,anethinum,& de ſemine lini:iuuant etiam pinguedo leporis,cuniculi,vulpis: adeps quoque ac medulla cruris vituli,ſi cum lacte miſceantur: aut lumbricos lotos in oleo roſaceo & vini exigua quantitate coquito,terito, addito ſemen lini,pingued.gall. ſeu cuniculi, & croci tantillum. Vel hoc nobis familiare.

℞.olei roſ.℥.i. vitellum oui i.opii ℈.i. miſce diligenter in mortario æreo,fiat linimentum.

Aurium tumor ſi à materia frigida, præſcribenda victus ratio, humoris præparatio & purgatio,vt frigida materia requirit,& ſuperiori vn

uerſali methodo dictum eſt: in topicis minus re-
pellendum, magis verò diſcutiendum: dolor et-
iam ſedabitur magis diſcutientibus, quàm in tu-
more calido. Proderunt in decoctione radix cy-
peri, galangæ, fraxini viridis, folia ſampſuci, rutæ,
pulegij, calaminthi, cepe, ſcylla, flores chamæm.
melil. ſamb. anthos, ſaluiæ, ſtæch. & olea diſcu-
tientia. vt,

℞. mentaſtri, rutæ, ſampſuci, abſynt. ſing. m̃. j.
chamæm. melil. ſtæch ſingul. pug j. fiat decoctio
ad conſumptionem tertiæ partis, & fumum exci-
cipiat per infundibulum: atque ſpongia eo de-
cocto imbuta auri admoueatur. Denique oleum
amygda. amararum immitte, vel oleum in quo ſit
cocta radix aſphodel.

DE PAROTIDIBVS.

CAPVT. XXIII.

*Parotides ſunt glandium, quæ pone aures ſunt, &
ad earum radices conſiſtunt affectus & inflammatio-
nes.*

*Oriuntur ferè à capite, humoribus calidis eò con-
fluentibus. Ea aliquando ſine febre ſunt, aliquando fe-
brem acutam coniunctam habent. Interdum etiam à
toto corpore materia in eas partes defertur ac præcipuè
in febribus per criſim illuc materiam & in caput pro-
pellentibus. Materia ea eſt aut ſanguinea, aut biliosa,
aut pituitoſa aut melancholica, aut etiam venenoſa,
qualis in Epidem. morbis proditur.*

*Signa ſunt, rubor loci, calor, dolor, grauitas, febris,
præ-*

præſertim ſi à bile aut ſanguine orta ſit inflammatio, aut color albus, vel rubor ad albedinem vergens, dolor minùs vrgens, nullaq; febris, niſi cum pus conficitur, ſi à pituitoſa materia ortum habet. Durities, nullus dolor, color liuidus, ſi materia melancholica.

Apoſtema ſub origine auris ex criſi ſalutari & cum concoctione exortum vacat periculo. Illud verò in quo ſigna bona concoctionis & ſalutaris criſis non præceſſerunt, malum.

Si in altum recurrat auris colluuies, non paruum præſagit periculum.

CVRATIO.

PArotides, hoc eſt, tumores ſub auribus curantur victus ratione, clyſterum iniectione, phlebotomia nonnunquam, medicamentis humorem præparantibus & purgantibus, quemadmodum in methodo vniuerſali à nobis fuit explicatum, habita humoris ratione, vt ſi ſanguis abũdet ad phlegmonem recurras, ſi verò materia pituitoſa, ad caput de œdemate. Topica repellentia hoc in affectu minimè conueniunt: tum quòd materia in cerebrum repelleretur propter venas illius loci maiores: tum quòd hic tumor ſæpius eſt criticus, vel ab humore peſtilenti & venenato: proinde potiùs eſſet natura iuuanda attrahentibus, potiſſimùm quando ad expellendum tardior videtur. Aduerte etiam quòd cùm tumor eſt criticus vix phlebotomia locum habebit, ob naturæ imbecillitatem, quam ex morbo

præcedenti contraxit.

Initio itaque nonnihil vtilitatis conferet hordei farina, in hydrelæo cocta : cui ob dolorem muccag. ſeminis pſyllij & cydon. adiungere poteris : poſtea magis diſcutientibus vteris, vt cæteris : ſypo cum oleo chamæm. & lana ſuccida aut oleo anethino, vel irino, vel laurino, vel ſimili oleo affectum illines : aut vnguenta ex iiſdem oleis, œſypo, adipibus & cera conficies: aut cataplaſmata ex decoctione herbarum diſcutientium, floribus chamæm. melil. ſtæch. anthos farinis lentium, orobi, ſeminis lini & fœnug. pinguedine gall. anatis, & dictis oleis compones. Si tumor in duritiem abeat, emplaſtri formam comparabis ex ammon. bdell galb. opop. ſtyrace, axung. ceruina, caricis, oleo de lilio : aut ad curationem ſcirrhi recurras. Si in ſuppurationem tendat, eam ſic adiuuabis.

℞. cepe inter prunas coctorum ℔.ß. radicum liliorum ſimiliter coctarum ℥.iij. vitellos ouorum iij. axung. ſuillæ, & dialtheæ ſingul. ℥.ij. fiat cataplaſma.

DE PO-

DE POLYPO ET NASI TVMORIBVS.

CAPVT XXIV.

Naſi tumor ſæpius oritur ex cauſis extrinſecis, veluti caſu, contuſione, aut ſimilibus. At polypus & ſarcoma cauſam ſui ortus interiorem habent. Sarcoma enim eſt præter naturale carnis in naribus incrementum, quæ caro ſi iam in eam longitudinem excreuerit, vt è nare foras propendeat aut in fauces relabatur, polypus dicitur. Eſt itaque polypus tumor præter naturam in naribus ortus cum caruncula protuberante polypi carni ſimili.

Is fit ex humoribus craſſis & viſcoſis è cerebro ad nares influentibus, vel etiam ex ipſarum narium nutrimento à virtute naturali in carnem mutato. Contingit etiam polypus ex recentibus vlceribus neglectis, eiuſmodi carunculam producentibus.

Polypus qui fit in naribus durus, niger, & non tractabilis aut mollis, putridus & fœtidus, ægrè ſanatur. At qui propendet in longitudinem, radicem habens gracilem, nec nimis profundam: inciſione facilè curatur.

CVRATIO.

INterdum in externa parte naſi rubor apparet. In parte vero interna veluti cruſtulæ ſeu ſcabies quædam, ita vt affectus Eryſipelatis ſimilitudinem referat: ad quem curandum admoueantur viciſſim ſucci fumariæ & ſolani: vel vnguentum roſaceum & oleum amygda. dulcium. vel,

℞. butyri recentis ℥ j. aquæ roſ. ℥ ß. ouum integrum, agitentur ſimul diutiſſimè & fiat linimen. poſtea frequenter & intus & extrà applicetur: nam ruborem tollit, ac dolorem lenit.

Aliquando excreſcit in naribus caro mollis & flaccida, quæ Polypi nomine comprehenditur. Cuius curatio victum tenuem, & attenuantem requirit, nonnunquã venæ ſectionem: poſtea humorum præparationem atq; purgationem, præcipuè melancholici ac pituitei, quemadmodum diximus de œdemate, ſcirrho & cancro: humor alias in parteis auertendus: denique caput roborandum, ne vel eos humores gignat, vel ab aliis partibus recipiat. Ad quam rem proderit pileum intertextum & compoſitum, ex iis quæ capitalia dicuntur: vt ex betonica, ſaluia, ſtæch. roſmar. lauendula, ſpica vtraque, calamo aromatico, cypero, galanga, carioph. ligno aloë & ſimilibus.

In topicis verò ſingulis diebus oleo calenti vngatur: deinde incidatur conuenienti ferro, vel cauterio abſumatur. Poſt inciſionem ſi quid carnis remanſiſſe videatur, illud erit cauſticis medicamentis abſumendum, qualia ſunt vitriolum, puluis draguntææ, vel,

Aquæ vitæ tertiò diſtillatæ, & arſenici albi in puluerem tenuiſſimum redacti parteis æqualeis miſceto: & in vmbra exiccato, altero die, tertio, quarto, iterum aquæ vitæ quãtum puluis ille abſumere poterit addito, & quotidie ſub die exiccato, puluerẽ illum in vſum ſeruato: eoq; cum pari mellis quantitate vtitor: ac dum eo vteris, locũ ab inflammatione refrigerantium vſu tuetor.

Si polypus, ſeu caro ſupercreſcens, in vlcus cancroſum degenerauit, nec ferrum admouendum, nec eius curatio tentanda, niſi ficta & fucata: ad quam rem nihil præſtantius eſſe puto ſequenti

quenti linimento.

℞. vnguenti de plumbo & ſucci ſolani ſingul. ℥ j. aquæ roſ. ℥ ß. diutiſſimè agitentur in mortario plumbeo, & liniatur affectus: huiuſmodi enim linimentũ temperat humoris acrimoniam, ac corroſionem maximè prohibet, & ſiccat.

DE PALATI AC GINGIVARVM TVMORIBVS. CAPVT XXII.

Palati & gingiuarum tumores, ex iiſdem cauſis oriuntur ex quibus ſuperiores tumores. Aut enim humorem acrem & bilioſum è cerebro in ſubiectas partes delapſum ſuæ generationis cauſam habent, aut ſalſam & nitroſam punitam, aut flatus, aut melancholicum humorem vel à ventriculo vitioſorum humorum vapores in gingiuas efferuntur, quemadmodum accidit in febribus. Ex huiuſmodi cauſis, inflammationes, vlcera ſerpẽtia, Eryſipelata & gingiuarum cancri ſeu phragedenæ, parulides & epulides enaſcuntur. Quorum affectuũ ſinguli ſuis propriis ſignis, prout antea diſtincti ſunt, innoteſcunt. Hic tantum parulidis & epulidis diſtinctionem afferemus. Parulis itaque eſt alicuius partis gingiuarum inflammatio cum tumore, quæ niſi diſcutiantur in ſuppurationem vertitur. Epulis eſt excreſcentia carnis ex inflammatione ſecuta iuxta interiorem dentem molarem, aliquando cum febre & vehementi dolore internarum mandibularum, vt neque os ægro aperire liceat. Materiæ ſpecies cognoſcitur potiſſimum ex calore & tactu: inflãmationes autem & vlcera per ſe manifeſta ſunt.

CVRATIO.

IN hoc quoque affectu præſcriptis vniuerſalibus remediis, vt victus ratione, euacuatione,

reuulſione & purgatione pro humoris, qui tumorem efficit natura, iuxta methodum vniuerſalem ad topica ſequentia accedes: quæ tum dolorem leniunt, tum diſcutiunt, tum ſuppurationem accelerant.

℞. rad. bug. ℥. ij. ficus ſiccas & dactylos iiij. iuiubas xx. paſſul. mundatarum ℥ j. hordei modicum contuſi & furfuris ſing. m̃. j. coquantur in iure pulli ſalis experti, exprimantur, & ius percolatum iterum cum ſacch. coquatur, donec redeat ad tertiam partem : ac ægrotus ius huiuſmodi ore contineat : vel xylon eo imbutum , vel linteum applicetur: præſertim ſi tumor extrà appareat.

In vehementi dolore proderit ſuffitus ex ſemine hyoſcy. capite operto ore exceptus: aut hyoſcyami folia ſub cineribus coques: axungiam ſuillam, & vnguentum roſaceum miſcebis: & externę parti applicabis, cum tumor gingiuas occupat.

Cùm vomica fuerit aperta, melle roſ. detergebis : vel ſi vehementiori ſit opus, ægyptiaco : deinde melle roſ. cum vino auſtero & ſarcocolla.

DE VVVLÆ INFLAMMATIONE.
CAP. XXVII.

Vuulam vocat author, quam potius gurgulionem aut columellam dici oportuit. Eſt enim vuula non partis oris nomen, ſed affectus gurgulionis ſpecies vna acini ſimilitudinem referens. Accidit autem ei parti inflammatio, quæ faucium & eius partis oris tumor eſt, cum dolore & magna deglutiendi difficultate.

Cauſæ huius inflammationis ſunt nimia meri potio,

aut nimius ciborum acrium vſus, humores è capite in laryngem defluentes, vel vapores febrili calore concitati & in eas partes elati.

Signa ſunt tumor columellæ cum dolore & rubore, depreſſa lingua conſpicuus, deglutiendi difficultas. Æger aliquid præſentit in radice linguæ inſiſtere. Apoſtemata, vlcera, & corroſiones eadem lingua depreſſa maniféſtè ſe produnt. Accedit & eiuſdem partis relaxatio, quum videlicet tonſillæ, aut columella plus iuſto humiditatis aqueſæ aut pituitoſæ recipiunt, aut quum etiam, apoſtemate in ſuppurationem verſo, ea caruncula emolleſcit & relaxatur.

CVRATIO.

PRimus huius affectus curandi ſcopus in victus ratione tenuiore & frigidiore conſiſtit. Proderunt alimenta medicamentoſa initio repellentia & aſtring. poſtea diſcutientia & detergentia. Alter ſcopus eſt, in humoris reuulſione: quæ fiet venæ ſectione in media cubiti vena, poſtea ſub lingua, & cucurbitulis origini ſpinalis medullæ appoſitis, fricationibus, fotibus & ligaturis dolorificis extremorum. Si corpus cacochimumnta, medicame humorem noxium præparantia & purgantia propinabuntur: clyſteres acres etiam ad reuulſionem iniicientur ſequenti forma.

℞. herbarum mollientium ſingu. m̄. j. beton. meliſſæ ſingul. m̄. ß. florum chamæm. ſtæchad. ſamb. ſing. pug. j. prunorum & caricarum pinguium ſing. par. vj. ſeminis aniſi & fœnic. ſing. ℥. ij. ſeminis cartami contuſi ℥. j. agarici trochiſ-

cati ʒ.iij. ſeminis lini & fœnugr. ſing.℥.ß. colocynt (ſi vehementiùs vis trahere) ʒ.j.ß.fiat decoctio in ℔.j.ß. col.diſſolue caſſiæ cum ſacch.& catholici ſingul.℥.ß.elect. indi maioris vel bened. ʒ.vj. olei de lilio.℥.iij. ſucci ciclæ & mel.roſ.colati ſing.℥.j.ß.vitellos ij. vt diutiùs retineatur,ſalis parum, fiat clyſter.

Nonnulli reuulſionis gratia cauterium regioni oſſiũ bregmatis admouẽt,quod prudenter faciẽdum,ne dura meninx nimis exiccetur & ægrotus in conuulſionem labatur. Alij reuellunt ſetonibus ſuperiori ſcapularum regioni admotis.

Tertius ſcopus ad topica pertinet : quæ initio quidem repellentia eſſe debent,& ore ſumenda: nam externæ colli parti reſoluentia potiùs admouebimus.Sic verò fient repellentia.

℞.calicum glandium, malicorij, balauſt.ſing. ʒ.ij. ſummitatum rubi, fol.oleaſtri, mori,ſolani, plantag. morſus diaboli, herbæ roberti,agrim. ſingul.m̃.ß. fol.& baccarum myrti. ſingul. ʒ j.ß. roſarum rub.℈.iiij. hord. pug.j. fiat decoctio,in ℔.j.colaturæ, diſſolue dianucum & diamorum ſingul.℥.iij. ſucci roſ.depurati, & ſucci mali granat.ſingul.℥ j.ß.fiat gargariſma, quo frequenter vtetur. vel,

℞. decoctionis hord.℔.j.diſſolue mel.roſ.col. ℥.iij.ſacch.rubri ℥.j.ß.fiat garg. vel,

℞. penid. diatrag.frig.ſing.℥ j.ß. ſacchati albi ℥.ij.puluer.diairis ſimp. vel diapapaueris recenter diſpenſati ʒ.ij.ſyrupi viol.vel de iuiubis quantum ſufficit,fiat pantaleon ore continendum,ac ſenſim deglutiendum. vel,

℞. pulue-

℞. pulueris elect. diatrag. ſing ʒ.ij. pulueris diapenid. ſine aromat. ʒ j.ß. pulpæ paſſul. ʒ.iij. pilular. ſub lingua ℥.iij. ſucci glycirrhizæ ℈ iiij. amygd. ℥.ß.cum ſyrupis viol. & capill. ven. fiat linctus de quo capiat cum baculo liquiritiæ. Si præcedentium compoſitionem attendas,ea non modò in principio inflammationis,ſed in incremento quoque proderunt: inflammatione iam ad ſtatum properante,ſequentibus erit vtēdum.

℞. radicis acori vel galangæ craſſæ,rad.ireos ſing. ℥ j. verbenæ, agrim.braſſicæ ſing m̄.ß. fol. oleaſtri plantag. & ſummitatum rub. ſing. m̄.j. ſerpilli & pulegii(ſi humor non ſit calidus) ſing. tertiam partem m̄ j. baccarum myrti. ʒ.j ß.rolarum rub. pug.i. myrrhæ & thuris ſingul. ʒ ij fiat decoctio ad ℔ j.ß.in col.diſſol. ſacch.roſ. ℥ iij. mel.depuſmati ℥.ij.ß fiat garg. poſtea,

℞. lapidis hæmat. ʒ.ij.amyli. ʒ j.ß.tragag. ℈. iiij. ſarcoc.ʒ.j.ß. ſacch.duplum pondus,fiat puluis,qui per canulam inſuffletur.

Quartus ſcopus eſt in medicamentis capiti applicandis ad ſiſtendam defluxionem.

℞. picis naualis ʒ.ij. maſtich. ʒ j ß. roſ.rubr. ℈.ij.nigel.romanæ ℈.j.carioph. nucis moſc.macis ſing.ʒ.ß.fiat emplaſtrum longitudinis & latitudinis duorum digitorum, & regioni oſſis bregmatis apponatur. vel,

℞. fermenti acris ʒ.j.fimi columbini,ſalis terreſtris ſing ℈ ij. fiat forma emplaſtri, & admoueatur. Si affectus eſſet in puero,emplaſtrum ex ſola pice paratum ſufficeret.

Occipiti verò admoue emplaſtrũ ex ammon.

ʒ.ij.ladani ʒ.ß.Si materia tumoris iam ſit in pus commutata, & vomica ſponte non aperiatur: ferro cādenti per cannulam immiſſo eſt aperienda. Poſtea eſt detergendum decoctione hord. & melle.roſ.col. vel,

℞. ſucci agrimo.braſſicæ & verbenæ ſingul. ℥.iiij.mel.roſ.col.℥.ij. ß.fiat gargar.cui poſtea adde ſarcoc.& myrrhæ ſing.ʒ.i.

Si putris,& pure admodum referta vuula apparuerit,lauanda eſt aqua ſublimata cum modico aquæ roſ.Poſteà vtendum gargariſmate ex vino, thure & myrrha ſimul mixtis:lactis quoque vſus & tūc,& toto inflammationis tempore proderit,modò non adſit febris:nam lac lenit ac terget. Vuula tandem ſi gangrenoſa & nigreſcens, atque abſcindenda videatur,& abſcindendo ſanguis in ventriculum defluxerit, atque concreuerit, diſſolue coaguli leporis ʒ.j ß. in ℥.ij. vini optimi, & bibat, vel alio coagulo pro arbitrio vtêtis. Denique caput roborandum, ne iterum recrementa gignat vel recipiat, quæ denuò in vuulam labantur,eámque inflamment.

℞. rad.acori, corticis citri ſicci ſingul. ʒ.ij. coriand.præparati ℥.ß.ſant. vtriuſq; ſingul.℈.iiij. carioph. nucis moſc. ligni aloës ſingul.℈. ii.fol. beton.ʒ ß. fol.& baccarum myrti, ac roſ.rub. ſingul.ʒ j.ß.granorum tinctoriorum ℈.i.fiat puluis, quo aſpergatur commiſſura coronalis manè & ſerò,ea parte prius aſpero linteo confricata.

De Vuulæ relaxatione.

Vuulæ relaxatio requirit victus rationem

humori relaxanti contrariam, reuulſiones, tum venæ ſectione, ſi plenitudinis notæ adfuerint, tum cucurbitarum aliis modis factas, purgationem quoque pro humoris defluentis natura.

Denique accedendum ad gargariſmata repellentia, exiccantia & detergentia: quorum formulæ deſcriptæ ſunt ſuperiori capite: poteris tamen ſequentibus vti.

℞ lentium hord. ſing. pug. j. baccarum & fol. myrti. ſing. pug ß. balauſt. ℥. ß. roſ. rub. pug. ß. aquę & aceti parteis æqualeis, bulliant ad medias, & col. adde ſacch. rub. vel med. roſ. col. ℥. iij. fiat garg. vel ex Galeno. κτ. τόπȣς.

℞. gallas virides xv. ſpicę celticæ ℥. iij. roſ. rub. pug ß. nidi vel pulueris hirundinum ℥. iij. fiat puluis tenuiſſimus qui in vuulam iniiciatur: alij partem vnam pip. & duas parteis myrobal. citrin. in puluerem redigunt & iniiciunt cùm frigida eſt materia: vel alumen vſtum, & in puluerem redactum.

DE ANGINA A MATERIA CALIDA.

CAPVT XXVII.

Angina eſt muſculorum ceruicis interiorum aut partium circumſtantium inflammatio fauces præcludens, reſpirationem & deglutionem impediens. Ea duplex eſt, vera & exquiſita, altera non vera & minùs legitima. Exquiſitæ quadruplex differentia eſt. Vna omnium periculoſiſſima eſt, cuius nempe inflammatio penitus deliteſcit & abstruſa eſt, grauiſſima infligit

ſymptomata. Altera quum interiores laryngis & faucium muſculi manifeſta inflammatione tentantur. Tertia eſt quum externa ceruix vna cum interioribus faucibus inflammati ſunt, tumore atque rubore conſpicuis. Quarta omnium leuiſsima eſt, quum ſcilicet exteriores tantum ceruices partis & muſculi phlegmone prehenduntur.

Cauſæ exteriores ſunt potus frigida, ebrietas aeris frigiditas & eiuſ id genus. Interiores ſunt bilioſa vel ſanguinea fluxio, quæ è venarum iugularium ramis in has ſedes influens phlegmonem aut Eryſipelas progignit. Angina notha febris eſt expers. fitque ex pituitoſa nec acri materia in fauces delapſa.

Signa ſunt difficultas ſpirandi, febris, impedita deglutio, dolor circa guttur, tumor intrinſecus, vox interrupta. Ab Angina habita ſi tumor fiat in collo, bonum: foras enim morbus propellitur.

Angina grauiſsima eſt ac celerrimè interimit, quacunque nec in ceruice nec in faucibus conſpicuum aliquid efficit, ſed plurimum doloris infert, ac ſpirationis difficultatem Orthopnœam dictam.

Securiſsima eſt Angina, ſi rubor maximè foras vertatur.

CVRATIO.

IN hac anginæ ſpecie, primo quidē iniecto clyſtere molliēte, vena cephalica in cubito ſecāda pro ratione plenitudinis & virium: & ſi videbitur iterū iterumq; aperiēda. Poſtea verò eodē: vel vt alij volūt altero die, vena ſub lingua pertūdenda: cucurbitulis quoq; in ſecunda colli vertebra, frictionibus, fotibus & ligaturis extremorū ad reuulſionē vtēdum. Altero die à venæ ſectione exhibēdū catharticū ex decoctione communi cū ℥. j. ta-

j. tamarind. in qua diſſolue caſſiæ ℥.vj. elect. de ſucco roſ. ℥.ij. ſyrupi viol. ℥ j. Si verò potionem bibere non poſſit, clyſter iniiciatur ex decoctione communi, in qua diſſolue caſſiæ recenter extr. & ſacch. rub. ſing. ℥.j. elect. de ſucco. roſ. ℥. ß. olei viol. ℥.iij.

Poſtea accedendum ad topica. In principio itaque ore continebit æger repellentia: qualia ſunt decoctum hord. cum ſucco mali punici & ſyrupo roſ. vel ſuccus ſolani cum ſyrupo roſ. vel aqua roſ. cum aceto, vel diatrag. frigidum. vel,

℞ diamor. ℥.ij. ſucci granatorum ℥.j. aquę periculi roſ. & plantag ſing. ℥.iij. fiat garg. vel,

℞. gallarũ viridiũ, rhois, balauſt. malicorij ſing. ℥.j. fiat decoctio in aqua plantag. ad ℔.j. in aqua diſſolue diamorũ & vinũ granatorũ ſingul. ℥.ij. ſyrupi viol. ad dolorem leniendum ℥.ij. fiat garg.

Parti verò externæ colli lanam ſuccidam oleorum vio. & chamæm. æquis partibus mixtorum imbutam apponito: vel imbuatur oleo liorum & chamæm. vel,

℞. olei lil. & chamæm. ſingul. ℥.ij. œſypi & axung. gall. ſing. ℥.ß. croci ℈.iij. ceræ quantum ſufficiat, fiat linimentum: fiant etiam ſacculi ex milio & ſale torrefactis, qui capiti applicentur.

Hora ſomni ſyrupi roſ. ſyrupi de papau. & de nymph. ſing. ℥.ß. miſceto, & cum cochleari exhibeto. Secundo die iam cum repellentibus diſcutientia, ſiccantia & detergentia permiſceto. vt,

℞. gallarum viridium, balauſt. piſydiæ ſing. ℥. j. lentium pug j.ß. roſ. rub. pug. j fiat decoctio, in ℔.j. diſſol. diamorum & dianucum ſing. ℥.j.ß.

mel. roſ.col. ℥.j. caſſiæ recens extractæ ℥.ß.& ad dolorem demlucendum lactis mul. vel aſinini ℥.ij.miſce, & fiat garg.Parti externæ colli adhuc oleis de lilio & chamem.cum lana ſuccida,vel linimento deſcripto vtitor.

Tertio die in gargariſ. eadem præſcribenda, quæ in ſecundo : vel valentiùs debent diſcutere & detergere. vt ſequitur,

℞. balauſt. ℥.j. caricas pingues vj. dactylos ij. ſeminis lini & fœnug.ſing. ℥.ß.fiat decoctio ad ℔. j.in qua diſſolue caſſiæ ℥.ß.myrrhæ ʒ.ij. croci ʒ. ß.lactis mul. ℥.ij. fiat garg. Parti externæ colli proderit ſequens cataplaſma.

℞. radicum altheæ, liliorum & bryoniæ ſing. ℥.iiij, mal.viol. & pariet.ſing. m̄.j.ß. cum nido hirundinum, coquantur, pinſantur, cribro traiiciantur, addendo axung.gall. & anſeris ſing.℥.j. farinæ fænug. & lini ſingul. ℥.ß. fermenti acris ℥.j.ß.olei de lilio & chamæm.ſing.℥.ij. fiat cataplaſma quod bis eodem die applicetur : aut nidum hirundinum cum oleo de lilio & amygd. dulciũ terito,&in forma cataplaſ.collo applicato.

Quarto die ℞.caricarum pinguium par.v.dactyl.ij. ſeminis lini & fœnug. ſingul., ℥.j.florum chamæm. pug.j. fiat decoctio ad ℔.j.in col. diſſol. pulueris hirun.ʒ.iij. myrrhæ.ʒ.j.ß. vel illius loco ob amatorem ſarcoc tantundem,croci ʒ ß. mel.communis ℥.j.ß.fiat garg.

Parti externæ cataplaſma nouiſſimè ſcriptum prodeſt. Elapſis quatuor diebus, niſi tumor iam in abſceſſum ſit mutatus, ſequenti iuuanda ſuppuratio.

℞.de-

Alij vtuntur garg. ex ℔ j. lactis & ℥ j. caſſiæ in eo diſſolutæ: poſtea viciſſim garg. ex oxymel. & puluere radicis ireos: nam iſta leniunt dolorem, ſputum facilius reddunt, coquunt & maturant.

Parti externæ ad ſuppurationem iuuandam radicem lilij, caricas pingues, fermentum in iure cochlearum coquunt, formam pultis efficiunt & applicant. vel,

℞. farinæ volatilis molendini ℥ iij. farinæ ſeminis lini & fœnug. ſing. ℥ j. caricas pingues vj. nidi hirundinum ℥ j. ß. miſceantur cum oleo de lilio, & fiat catap. Ego in hoc affectu loco ſtercoris canis aut pueri & pulueris hirundinum, vtor puluere ireos: non enim in illis vim tantam ineſſe comperi quantam authores affirmant.

Quando pus eſt cõfectum, vtor ſuperiori gargar. cui addo ſinapi & pyrethri ſing ℥ j ß. Aperta vomica cauendum ne pus influat in pulmones aut ventriculum, ob periculum alterius affectus, ſed illud eſt diligenter ore reiiciendum: tumque ad deterſionem valet frequens gargariſma ex aqua mulſa, & alia de inflammatione vuluæ prædicta. Toto morbi decurſu ad dolorem leniendum iuuat gargar. ex lacte mul. vel aſinæ, vel capræ cum ſyrupo viol. & exigua ſacch. quantitate. Quando tam vrget, angitque affectus, vt impendeat ſuffocationis periculum, frequentes cucurbitulæ, ſunt ſecundę vertebræ colli affigendæ.

De angina à materia frigida.

Victus ratio debet hîc quoque eſſe tenuiſſima & iuſculis alendus ægrotus. Venæ ſectio

etiã ſi nulla plenitudinis adſint indicia, ob affectus magnitudinem prodeſt, & aliæ quoq; reuulſiones. Si bibere poſſit, potionem ex decocto communi cum ſtæchade, ſumat: in qua diſſolue cathol. ℥.ß. elect. indi maioris & diaphœn. ſing. ʒ.ij. mel. roſ. colati ℥.ß. Prodeſſetque pilularum cocciarum ʒ.j. loco potionis ſi tranſglutire poſſet. Ideoque iuuanda tranſglutitio cucurb. collo admotis: vel loco eorum medicamentorum, iniiciendus eſt clyſter acris ſequens.

℞. herbarum mollientium ſing. m̃ j. centaurij minoris & ſampſuci ſing. m̃. ß. rad. galangæ ℥. iij. florum chamæm. meli. & ſtæch. ſing. pug. j. ſurfuris pug. ß. fiat decoctio ad ℔ j. ß. in col. diſſolue benedictæ & hieræ picræ compoſitæ ſing. ʒ. vj. mel. anthoſ. ℥. j. ß olei chamæm. ℥. iij. ſalis gemmæ ʒ. ij. fiat clyſter. Deinde accedendum ad topica, tum interna tum externa.

Primo die, ℞. nucum cupreſſi & balauſt. ſingul. pug j. maſtich. ℥. j. fiat decoct. in aqua mellis ad ℔. i. in qua diſſolue dianucum & diamorum ſing. ℥. ij. mel. roſ. col. ʒ. ij. ß. aluminis ℥. ij myrrhæ & croci ſing. ʒ. ß. fiat garg. Poteſt ſemper addi acetum & ſyrupus acetoſus. Parti externę admoueantur linimenta antedicta ex oleo liliorum, chamæm. & ſimilibus, quibus etiam lana ſuccida imbuenda. Die ſecundo, tertio & quarto fiat ſequens gargar.

℞. paſſul. mundat. ℥. j. caricarum pinguium par. iij. ſeminis lini & fœnug. ſing. ʒ. ß. fiat decoctio ad ℔. j. in qua diſſolue pirethri & ſinapi ſing. ℥. j. ß. myrrhæ & cruci ſing. ℈. ij. pulueris hyrund.

rund. ℨ.ij. fiat garg. Externæ parti, tunc temporis applicato n di hirund. ℥ iiij & vnguenti dialth. ℥.iiij. Si materia tendere videatur ad ſuppurationem eam ſic iuuabis.

℞ caricarum pinguium par. iiij paſſ. mund. ℥. j. ſeminis lini & fœnug. ſing. quart. ß fiat decoctio ad ℔. j. in qua diſſolue muccag. ſeminis lini & alth. ſing. ℥ ß pulueris hirund. vel ireos ℨ. j. fiat gargar. Parti exteriori ſequens cataplaſm. apponito.

℞. farinæ volatilis, farinæ ſeminis lini & fœnug. ſingul. ℥ j ß. caricarum pinguium par. vj. miſce cum axungia ſuilla ſalis experti, & oleo amygd. dulcium, fiatque catapl. vel vnguentum d alth. & pinguedinem gallinæ miſceto.

Quando angina eſt in parte interna, non eſt illius expectanda ſuppuratio: ſed quàm fieri poteſt diligenter iuuanda, & ante integram ſuppurationem aperiendus eſt abſceſſus ob ſuffocationis periculum. Cùm angina eſt deſperata,

℞. gummi ſambuci ℨ. j. ariſtol. rotundæ ℨ. j. aquæ caprifolij ℥ iiij. bulliant ſimul, & fiat garg.

DE TVMORIBVS ADENVM ET GLANDVLARVM COLLI.

CAPVT. XXVIII.

Tumores adenum ſunt excreſcentiæ externæ in colli adenibus ex prauis humoribus è capite in eã partem delapſis prominentes. Eorum materia aut calida eſt aut frigida, ex cuius conditione apoſtema facilius aut diffi-

cilius redditur. Glandulæ ſunt minores adenum tumores ex eadem materia pertinentes, quæ ſi fuerit ſiccior & excedens, longa ſerie glandulas, quæ ſtrumæ dicuntur, producet. Oriuntur etiam glandulæ ex materia ſcabiei iis locis infarta, quales infantibus ſolent contingere.

CVRATIO.

ADenes ſeu glãdulæ colli interdum tument pueris propter capitis ſcabiem: quibus ſunt applicanda anodina, & diſcutientia, vt oleum chamæm. anethinum, de lilio, amyg. irinum, cum pinguedine gallinæ, vel œſypo, & lana ſuccida. Si tamen materia videtur calida, vtendum oleo violaceo, roſ. myrtino, cum exigua quantitate ole chamæm. vel alterius ſimilis.

In alterius parte materia tam frigida quàm calida vitellos ouorum, & medullã cruris vituli vel bouis miſcere poſſumus, & micã panis macerati in iure carnis ſalis experti, & nonnihil croci: atque ita variè permiſcendo conficies linimenta, vnguenta, cataplaſ. quæ vim habebũt leniendi dolorem, & diſcutiendi aut ſuppurandi. Potes iis diachylon minus, deinde maius applicare.

DE BRONCHOCELE.

CAP. XXIX.

Bronchocele eſt tumor inter aſperam arteriam cutémque prominens, vtcumque mollis, corpori concolor, ex craſſa lentáque pituita congeſtus.

Cauſa igitur eſt pituita craſſa & lenta, quæ ſenſim ex capitis externis partibus per auris poſteriora in eam partem deuoluitur.

Signa

Signa ſunt prominens tumor in gutture, corpori concolor, vtcunque mollis & mobilis, doloris expers.

Eius materia putreſcens malignam tandem adipiſcitur naturam, vnde in cancrum degenerans ſæpius vitæ periculum infert.

CVRATIO.

BRonchocele, ſi ineſt à natura, non curatur: quæ verò non ineſt à natura, curatur difficillimè: cuius curandæ primus ſcopus eſt in victus ratione: eſt autem victus præſcribẽdus quemadmodum dictum eſt de œdemate & ſtrumis. Nam tenuiſſimè viuendum, à vaporoſis & craſſum ac viſcidum humorem gignentibus cauendum: vini tamen generoſi vius vtilis. Capitis inclinatio, ac vociferatio noxia. Alter ſcopus ad vacuationem & purgationem eſt referendus. Itaque vbi plenitudinis aderunt ſigna, poſt iniectionẽ clyſteris mollientis venã ſecabis. Deinde humorem pituiteum & craſſum ac viſcidum præparabis, vt cap. de œdem. & ſtrumis dictum eſt. vel,

℞. ſyrupi de ij. rad. mel. roſ. col. & oxymel. ſcyll. ſing. ℥ ij. aquarum beton. ſampſuci, fœniculi ſing. ℥. iiij. pulueris pliris arcoticon, vel diamoſci dulcis, vel diambræ, vel cinamomi ℈. iiij. fiat iulep. clarific. & aromat. pro iii. doſibus, & iteretur.

Humoris purgatio.

℞ turbith. gummoſi ℈. iiij. zinzib. ℈. j. elect. indi maioris ℥. ij. ſacch. modicum, fiat bolus, aut in vino albo diſſoluatur. aut,

℞. turbith. ℥. j. ß. zinzib. viridis conditi ℥. ij. ſacchari modicum, fiat bolus. aut,

℞. agarici troc. in melle roſ. col. infuſi & expreſſi (niſi ſit æger ad vomitum propenſus) ℈. iiij. turbith ʒ.j. ſalis gemmæ & zinzib. ſing. gr. vi. ſyrupi roſ. ſolut. ℥.j.ß. aquarum beton. & meliſſæ ſing. ℥.ij fiat potio, vel pilulis de œdem. & abſceſſibus, pituiteis dictis, purgato: altero à purgatione die ſumat ʒ j. theriacæ, vel mitridatij, vel aureæ alexandrinæ.

Ad humorem paulatim abſumendum.

Tertius ſcopus eſt in vſu pulueris ſequentis qui paulatim humorem diſcutit atque abſumit.

℞. ſatureiæ, hyſſopi, polij montani, pulegij regalis, ſpicæ nardi ſingul. ʒ.ij ſeminis apij & petro. ſing. ʒ.j.ß. aniſi ʒ iij. glycyrrhizæ ʒ.ij nucis moſ. caryoph. ſing ʒ.ß. cinamomi ʒ.iij. pip. longi & myrrhæ electæ ſing. ʒ.j.ß. fiat puluis tenuiſſimus; quo vtatur ter in hebdomade cum vino albo ad ʒ.j. tribus horis ante paſtum, idque hieme potiùs quàm æſtate: Si vis addes ſaccharum ad ſaporis ſuauitatem.

Topica remedia.

Quartus ſcopus ad topica pertinet ſequentia. ℞. ammon. bdellij, galb. in aceto diſſolutorum ſing. ℥.j.ß. picis naualis ℥.ij. reſinæ pini quart. ß. miſceantur manibus vnctis oleo ſicyonio, & fiat emplaſt. Laudat Aëtius bdellium, mel. mixtum, & calcem viuam, axungiæ ſuillæ mixtam, caprinum ſtercus in aceto liquatum, lixiuium cum melle plurimùm agitatum. alij ſic faciunt:

℞. rad. lilij, bryon. cucumeris agr. ſing ℥ iij. ficuum immaturarum par. vi. amygd. amararum ℥.ij. ſcyllæ ℥.j.ß. colocynt. ℥.ß. bulliant in æquis

parti-

partibus olei veteris & vini maluatici ad vini conſumptionem, terantur & cribro traiiciantur: poſtea adde farinæ fab. & orobi ſing. ℥. ij. ß. farinę ſeminis lini & fœnug. ſing ℥ j. medul. cruris bubuli ℥. iiij olei nucum, vel de piperibus, vel irini quantum ſufficit, croci ℥. j. fiat catap. vel,

℞. ſeminis ſinapi & vrticæ ſingul. ℥. ß rutæ agreſtis. ℥. ij. ireos ℥. ß. aceti ℥ j. ß. olei de caſtoreo vel olei vetuſtiſſimi ℥. iiij. ceræ quantum ſufficit, fiat vnguentum. Quod ſi affectus medicamentis minimè ceſſerit, ex Rogerij conſilio admouendi ſunt duo ſetones, vt ſenſim humor defluat: ac quod ſupererit medicamentis erodentibus paulatim eſt abſumendum, velut puluere aſphodelorum & ſimilibus. Denique ſi venis, arteriis & neruis implicata non fuerit, inciſione debet extrahi cum cyſti, quemadmodum de glandulis antea diximus, & à nobis ter aut quater iam factitatum eſt.

DE PHYMATE.

CAPVT XXX.

Phyma eſt quoque adenum tumor ex ſanguine pituita permixto procreatus, qui ſtatim ad incrementum & ſuppurationem feſtinat.

Cauſa eſt ſanguis pituitoſus, non ſyncerus, quò fit vt minus moleſta ſit inflammatio, quam phlegmones, qua ratione pituita facilè putreſcente ad ſuppurationem citò perducitur.

Signa ſunt tumor planus in adene, nec multum elatus, parum rubens, & doloris expers.

CVRATIO.

PHyma tribus remediorum generibus profligandum: Primum eſt victus ratio tenuis & frigida: Alterum eſt ſanguinis miſſio: Tertium in topicis verſatur: quæ aut diſcutiant, aut ſuppurẽt oportet: nam & hic tumor facilè ad ſuppurationem ducitur. Ex Oribaſio radix altheæ, atriplex, & pariet. & adiantum vino incoquuntur & apponuntur: aut ammoniacum cum melle mollitum: aut lupini amari & propolis cum aceto illinuntur: aut radix cucum. agreſt. & cortex radicis capparis, terebint. excipiuntur: aut nitrum cum fermento & ficubus: aut ſequens parabimus ad diſcutiendum & molliendum.

℞. ammon. bdellij ſing ℥. j ß. ladani puri & tereb. ſing. ℥. j. propoleos & olei antiqui quãtum ſufficit, aceti modicum, eliquentur & fiat emplaſtrum. Si eo modo diſcuti non poſſit, vtendum ſequenti ad diſcutiendum & ſuppurandum.

℞. cort. radicis capparis ℥. j. ß. caricarum pinguium paria v. farinæ lupini ℥. ij. fermenti acris ℥. ß. coquantur in aceto & oleo de lilio vel amigdal. dulc. ad aceti conſumptionem, cribro traiiciantur, addendo nitri ℥. iij. ſi cepe addideris, magis ſuppurabit: aperta vomica, detergendum curandumque vt alia vlcera.

DE PESTE.
CAP. XXXI.

Peſtis eſt morbus venenoſus & contagioſus, ex aeris pernicioſa ac venenata qualitate potiſſimùm profectus, humoribus corporis ac præcipuè cordis affectibus maximè

ximè infeſtus.

Huius origo eſt ex venenata aeris qualitate, qui variis modis infici ſolet. Aut enim ex infœlicis ſyderum poſitu & coniunctione inquinatur, quemadmodum ex cõiunctione Martis, Iouis & Saturni in ſigno humano contingere ſolet. Aut ex terræ halitibus & vaporibus, cuius etiam terræ ſidera & virtutes ita infœliciter commiſcẽtur, & tandem in aerem exhalant, vt eum prorſus inquinent, nec tantùm aerem, ſed fruges & omnia terra producta hoc ſuo veneno inficiant. Quo fit vt qui iis veſcuntur, in peſtiferos morbos incidant. Eiuſmodi ſunt vapores & halitus ex venis & fodinis metallicis frugibus inſerti: Aut in aerem exhalantes quum metalla, aut mineralia humano generi infeſta efflore ſcunt. Eaſdem ob cauſas nonnullæ aquæ venenum contrahunt, ita vt qui ex iis hauſerint, mortem repentinam incurrant: Aut ex putridis vaporibus polluitur aer, vnde in humanum genus facilè peſtis propagatur: præſertim ſi ex putridis hominum cadaueribus aer putredinem contraxerit.

Cauſæ igitur peſtis eò omnes reduci poſſunt, vt ſint vel cœleſtes vel elementares, aut ex elementaribus productæ: Quò fit vt, licèt infinita experimenta habeamus, aduerſus peſtem in pauciſſimis ea proſint. Siquidem ea remedia, quæ tantùm ex elementorum craſi agere nata ſunt, cœlum oppugnare non poſſunt: Aut quæ cœlo aduerſantur, elementaribus cauſis non obſiſtunt, vel ei peſti, quæ ex cadauerum putrefactione oritur, ſedandæ inepta ſunt.

Signa ſunt præcipua, febris intus excrucians cum capitis grauitate & dolore, præcipuè ſi humoribus putridis, iiſque billioſis ſcateat æger: Alioqui mitis, cor nullo calore, ſed ſola venenata qualitate fatigans: frequens

animi defectio, aſſiduus vomitus, vires languida, pulſus celer, paruus & inaqualis, vrina naturali propè ſimilis, niſi ex humorum putredine turbetur, bubo, carbunculus, aut exanthemata tandem protuberantia.

Omnis febris peſtilens periculoſa eſt. Carbunculus niger periculoſiſſimus, viridis minùs periculoſus, & qui tandem ab iis recedunt colores, vt glaucus & ruber, minus periculi inferunt.

Quantò à principibus membris carbunculus aut bubo diſtat, tantò minùs periculoſa eſt peſtis. Qui poſt ſeptimam, à peſtis inuaſione, diem perit, mala potiùs cura id eueniſſe, quàm morbi conditione certum eſt.

Curatio in praſeruatione à peſte, & in eius curatione, ſi inuaſerit, perficienda eſt.

CVRATIO.

CVm medici munus, primũ quidem in morbis futuris præcauendis, deinde verò in præſentibus curandis conſiſtat: mihi ſanè priùs de peſte præcauenda dicendum videtur: deinde de eiuſdem curatione: quæ, quàm breuiſſimè fieri poterit, tractabimus: ſi quis autem plura volet, perlegat libellum de peſte Raymundi Vinarij, opera Iacobi Dalechampij medici doctiſſimi in lucem editum. Itaque præcauemus à peſte quatuor modis.

Primus eſt in aeris mutatione aut purgatione à vaporibus putridis & corruptis. Secundus in humorum corporis purgatione conſiſtit. Tertius in cordis confirmatione & corroboratione verſatur. Quartus ad omnem putrefactionem cauendam pertinet.

Aeris praparatio.

De primo ſanè ita exiſtimandum, nihil eſſe ſa-

lubrius fuga aëris peſtilẽtis:ne eũ aërem putrem ac peſtilentem inſpiremus:qui humores ac ſpiritus labefactat. Quòd ſi nec fugere, nec domi perpetuò pro negotiis deſidere, ac latitare permittatatur, ſaltẽ in publicũ minimè prodeũdum cenſeo, niſi antidotum ſumpſeris. In ædibus ſuccendendus ignis luculentus ex lignis ſiccis & redolentibus, qualia ſunt iuniperin. laurinum, myrtinum, & ex vitis palmitibus, roſmarino, lauendula & ſimilibus: ſuffitus etiam conficies ex ſaluia roſmarino, lauẽdula, abſynthio, ſampſuco, betonica, origano, baccis iuniperi & lauri, denique ex thure: locupletiores verò parabunt etiam ex gallia & alipta moſcatis, caryoph & ſimilibus rebus redolẽtibus. Quę verò dicta ſunt hyeme potiùs & aëre nebuloſo ac turbulento, & pluuioſo conueniunt. Nam æſtate ſolum irrigãdum oxycrato, aqua roſacea: & inſternendi flores roſarum, viol. nymph. folia vitis, myrti, ſalicis, cydoniorum, arundinis, iunci: Denique ſuffitus faciẽdi ex roſis, caph. ſantalis, baccis & foliis myrti, ac floribus nymph. quibus etiam addi poterunt ambra, moſcus, xyloaloë, thus, ladanum: minimè verò cortex citri conuenit, quomodocumque diſponatur.

Humorum præparatio & purgatio.

Alter præcauendi modus ad humorum vacuationem & purgationem eſt referendus. Venæ ſectionem certè in corpore plethorico profuturam puto: purgationem verò in cacochymo præſertim cùm bilis redundat. Commodè quidem fiet purgatio frequens pilulis communibus: quæ recipiunt aloë ℥ ß. myrrhæ ʒ. ij. cro-

ci ℥ j. fiuntque cum ſyrupo de bug. aloë purgat. myrrha putredinem arcet: denique crocus corporis facultates conſeruat. Priùs verò ſi humores velis præparare: iuuabit ſyrupus acetoſus ſimplex & compoſitus, ſyrupus de limonibus, de acetoſ. citri, oxyſach. de bug. de end. capill. ven. de bizantiis, & de fumaria, quorum ſuperiores arcent putredinem: poſteriores meatus reſerant & aperiunt. Proderunt quoque aquæ oxalidis, ſcabioſę, end. bug. capil. ven. & ſimiles: aut decoctum comparabis tum ad bilem, tum ad pituitam ex radicib. ruſci, graminis, aſparagi, tunici (quam aiunt alteram eſſe ſpeciem betonicæ) oxalidis, ex lupulo, fumaria, hyſſopo, meliſſa, ſcabioſa, agrimon. borag. bug. endiu. cichorio, capil. communibus, quatuor ſeminibus frig. maioribus. ſemine aniſi, ex prunis, paſſulis, hordeo, glycyrriza: addere poteris aliquos ex ſyrupis dictis, cum pulueribus cardiacis cum cinamomo, diamoſco, triaſant. Poſtea purgabis decocto ex capilli ven. floribus communibus, thamar. mirobal. citrin. & ſenna: in decocto diſſolues caſſiam, mannam & rhab. elect. de ſucco roſ. nimis humores exagitat ob diagridium. Si pituita vel melancholia magis ſit præparanda & purganda quam bilis, ad cap. de œdem. ſcirro, & cancro in ſuperiori methodo eſt recurrendũ: ſemper tamen fugiendus valentiorum medicamentorum vſus, & eorum quæ immoderatè vel præparãdo, vel purgando humores exagitent: ac perpetuò miſcenda quæ maximè humorum putredini aduerſãtur.

Ad cor-

Ad cor confirmandum.

Iam tertius præcauendi ſcopus occurrit in cordis corroboratione: id autem fiet tum aſſumptis, tum admotis. Inter ſimplicia proſunt aurum purum & argentum, margaritæ, ſaphyrus, ſmaragdus, hyacinthus, bolus arm. terra ſigil. ambra, moſchus, caphura, & xyloaloë, cortex citri & eius ſemen, radix tormentil. dictamni, gentianæ, betonica, endiuia, ſcabioſa, meliſſa, borago, bugl. acetoſa, lupulus, fumaria, caſſia lignea, mirobal. citrinæ conditæ, os de corde cerui & alia, ex quibus poſſunt parari ſuffitus, epithemata, potiones cardiacę, opiatę, electuaria. Inter compoſita maximè iuuant pilulæ communes præſcriptæ, theriaca vetus, mitrid. elect. de ouo imperatoris Maximiliani, diateſſarō, elect. de bolo, puluis de gēmis, puluis bezoard. diamarg. & ſimilia. Cōfectio liberantis probatur: cuius hæc eſt deſcriptio.

℞ rad. tormentil. ſeminis acetoſæ, endiu, citri, coriandri præparati ſingul. ℥. j ß. ſantal. omnium ſing. ʒ j. boli arm. terræ ſigill. ſing. ʒ ß. margaritarum, coralli vtriuſque, ſuccini, limaturæ eboris, ſpodij. oſſis de corde cerui, ben vtriuſque, doronici, cardam. macis, ligni aloës ſing. ʒ ß. ſmaragdi, granati, ſerici crudi, caph. moſci, ambræ, ſing. grana iiij. cinamomi, croci. zedoar. caſſiæ ligneæ, ſingul. ʒ. ß. ſacch. cand. penid. ſingul. ℥. iij. ſacch. diſſolut. in aqua roſ. quantum ſufficit, fiat confectio. Electuarium de ouo fit hoc modo: albumen per acutiorem oui partem educitur: ouum croco repletur: pulte poſtea circunlinitur: ſub cineribus, donec in puluerem redigi poſſit, coquitur

eius pulueri ſequentia adduntur: rad. torment. rad. morſus diaboli, angelicæ, pimpinellæ, dictã ni, zedoariæ ſing. ʒ. j. theriacæ veteris ℥. iij aqua ſcabioſæ, vel roſarũ diluuntur: puluis oui præ dictis miſcetur: & eius mixtionis quotidie manè ℈ j. vel ℈. j. ſumuntur.

Aliud electuarium optimum.

℞. boli arm. dictamni, pimpinell. myrrhæ, zedoariæ ſing. ℥ j. ß. terræ ſigil. ʒ. x. torment. ʒ. vi. ſeminis citri ʒ. ij. margaritarum nõ perforatarum, & ſmaragdi ſing. ʒ. iii. caph. ʒ. j. croci ʒ. ß. theriacæ in vino diſſolutæ & in diplomate diſtillatæ ℥. i. ſyrupi de acetoſ. citri quãtum ſufficit, fiat elect. de quo detur manè inſtar caſtaneæ, cum aqua meliſſæ. Theriaca trium annorum cum aqua acetoſę æſtate vti poſſumus: hyeme verò antiquiore cum vino. Idem dicendum de mitridato. Proſunt etiam conſerua roſ. & acetoſæ: parandæ ſunt quoque conſeruæ radicis tapſi barbati & radicis tormentillæ, tum ad præcautionem, tum ad morbum curandum. Ex paratu facilibus, quotidie maſticanda verbenaca, & illius ſuccus deglutiendus, vel cum vino, vel iure carnis ſumendus: mirum in modum etiam ad præcautionem confert ſequens electuarium de nucibus.

℞. nuces cõmunes xv. & caricas pingues ſimiliter xv. rad. ariſtol. vtriuſque ſing. ℥ j. ß. torment. dictamni, albi, pimpinell. ſing. ʒ. j. ß. fol. abſynth. rutæ, ſcab. aſari ſing. m̃ j. baccarũ lauri ʒ. ij ß. corticis citri, galangæ, macis ſing. ʒ j. florum borag. pug. ij. oſſis de corde cerui, bol. arm. myrrhæ ſingul. ʒ. j. cum ℔. iij. mel. deſpumati miſceantur, & ex mi-

ex mixtura detur manè inſtar lupini.

Quid agendum iis, qui inuiſunt peſte correptos.

Cæterũ quibus incũbit peſte correptos inuiſere, eiſque mederi: priuſquã ſeſe aëri peſtilenti cõmittãt, ſumant modicũ panis, ſucci limonum, vel aranciorum, vel mali punici acidi, imbuti, vel theriacã, vel corticem citri vel limonũ, vel maſticent zedoariã, angelicã, pimpinellã, pentaphyllon, vel aliquo vtantur cardiaco præſcripto. Vel vnam ex ſequentibus pilulis ore contineant.

℞ corticis citri, zedoar. ſing. ℈.j. pimpinellæ ℈.j. boli arm. præparatæ ʒ.ß. maſtiches ʒ.j. aliptæ moſc. & galliæ moſ. ſing ʒ ß. cũ muccag. gummi tragag. in aqua bugl. extractæ & aceti tantillo, fiãt pilulæ xij. pro ʒ. teneat vnã in ore. Præterea nõnihil vtilitatis afferet orbiculus redolens naribus ſæpè admotus, æſtate quidem ſub hac forma.

℞. cort. citri, calami arom. ſing. ℈ j. ligni aloës tantundem, ſantal. omnium, ſing. ʒ j. ladani & maſt. ſing. ʒ ß. florum chamæm ℈ ij. roſ. rub. ʒ. iij. caph ℈. j. cum muccag gummi, tragag. in aqua roſ. extractæ, fiat globulus: hyeme verò ſic fiat.

℞. ſtyracis calamitæ, ladani, caryoph. cinamomi, macis, aliptæ moſc. galliæ moſc. ſingul. ʒ. j. moſci & ambræ ſingul. grana iiij. fiat orbiculus. Quartus peſtis præcauendæ ſcopus in eo conſiſtit: vt omnem putrefactionem cohibeamus, quod futurum puto, ſi vſum ſex rerum non naturalium, & annexarum ita conſtituerimus, vt ad frigidum & ſiccum vergant: corpus recrementis vacet & optimè tranſpiret. Itaque obſeruanda in cibo & potu mediocritas: vitanda ebrietas

& ſatietas: cibi ſint coctu faciles, & putredini minimè obnoxij: condiantur ſuccis acidis, veluti citri limonum, mali punici, arancij, omphacij, ſucco oxalidis, aut aceto: à fructibus abſtineant, niſi ſint acidi: vinum ſit tenue & oligophorum: fugiendi motus vehementes, tum animi, tum corporis. aluus liberè fluat: Balnea & venus immoderata vitentur.

Aliqui ex ſequentibus pilulis primo ſumũt v. altero die iij. tertio i. quarto die ℥ j. theriacæ. & poſtea bibunt modicum vini: quinto die vtuntur opiata cardiaca: ſexto die capiunt vnã ex tabulis ſequentibus. Rurſus die ſeptimo redeũt ad pilulas. & eundem deinceps ordinem perſequuntur.

℞. zinzib. albi & raſi infuſi in æquis partibus aquarum roſ. bugl. & ſcab ℈. iiij fiat ebullitio ad tertias in expreſſione macerentur agar. troc. ℥. iij. & cum fuerint expreſſa, adde aloës bis lotæ in aqua acetoſæ, & aceto ℥. j. cort. mirobal. citrin. & cebularum, & rhab. optimi ſing. ℥. ij. rad. dictamni, tormentillæ tunicæ ſing. ℈. j. myrrhæ in aqua acetoſæ lotæ ℥ ß. croci ℥ j. ß. moſci & caph. ſingul. grana ij. ſyrup. acetoſi, quantum ſufficit, fiant pilul. v. pro ℥.

℞. theriacæ veteris ℥ j. vtatur, vt dictum eſt.

℞. rad. gentiañ ę tormentil. dictamni ſing ℈. j. ſeminis acetoſæ & citri ſing. ℥ j. omnium ſantal. ſing. ℈. ß boli arm. præparati, pulueris bezeraici ſing. ℥ ß. cinamomi ℈. j oſſis de corde cerui ℈. ß. margaritarum, ſaphyri, & ſmaragdi, & hyacinthi, ſing ℈. j. conſeruæ acetoſæ & bug. ſing. ℥. vi. ſyrupi de limonibus, & ſyrupi conſeruationis corticis

ticis citri ſing. quantum ſufficit, fiat opiata pro diuitibus : Pro pauperibus verò,

℞. ther. veteris ℥. j. conſeruæ bugl. & acetoſæ, pulueris elect. de bolo & bezeraici ſing. ʒ. ß. aureæ alexand. ʒ. j. fiat opiata.

℞. pulueris bezeraici, pulueris elect. de bolo, diamarg. frig. & de gemmis ſingul. ℈. ij. diapenid. ſine aromatibus ʒ j. conſeruæ bugl. acetoſæ & roſarum ſing. ʒ. iij. ſacch. in aqua ſcab. diſſoluti quantum ſufficit, fiat elect. in tabellas ponderis ʒ. ii. vtatur vt dictum eſt.

DE FEBRE PESTILENTIÆ. CAP. XXXII.

Febris peſtilens duplex eſt, aut ſimplex aut compoſita. Simplex, quam venenata & pernicioſa cœli aut elementorum infert expiratio. Compoſita, quæ præter venenatam qualitatem, qua cor fatigat, præparatos in nobis humores & vitioſos incendit.

Signa, cauſæ & prognoſtica ex ſuperioribus petenda ſunt.

CVRATIO.

PEſtilentis febris curatio primò requirit victum tenuem & frigidum. Cibi qui facilè putreſcunt, & difficilè coquuntur fugiendi: acida autem commendantur: iura & cibi condienda ſuccis acetoſæ, omphacij, limonum, mali granati, arancij, aceto & ſimilibus. Continuò ore contineat & maſticet radicē angelicæ, vel tormentillę, vel pentaphylli, vel corticem arancij, vel limonum, à ſomno quantum fieri poteſt, in principio abſtineat, ne faciliùs venenum ad cor perueniat.

Secundo requirit vacuationem:ea autem fiet venæ ſectione,ſi vires permiſerint : idque initio tantùm : nam ſolet hæc febris eſſe tam ſæua, vt vires citò proſternat. Vomitus etiam initio iuuabit, & aliæ reuulſiones,habita ratione loci , in quo eſt tumor peſtilens. Tertiò à venæ ſectione ſudores mouendi ſequenti decocto.

℞.cardui benedicti ℥.ij.verbenæ,ſcabioſæ ſingul.m̄.j.fol.ruth.ſaluiæ,calendulę ſing.m̄ j.ß.macerentur in vino albo, & diſtillentur : ac dentur illius aquæ ℥.ij.initio morbi ad ſudorem prouocandum:aut detur ℥ j.ß.aquæ chelidoniæ,aut ʒ.iij tripheræ perſicæ, vel ſatracenicæ ad eumdem effectum. Quartò humores leniter purgandi, & ſine magna eorum agitatione hoc modo.

℞. mirobal.citrin.& cebul.ſing.ʒ.ij.tamarind. ſebeſten.ſing.ʒ iij. fiat decoctio in aqua ſcabioſæ vel bugloſſi, colaturæ adde ſyrupi roſ. ſolut.℥.j. fiat potus. Poteſt addi caſſia, & rhab. vt capite ſuperiori. Quintò cor eſt confirmandum,tum aſſumptis,tum admotis,qua de cauſa poſt euacuationem factā,vel venæ ſectione, vel vomitu, vel medicamēto aluum laxante, potus cardiaci ſunt propinandi : & epithemata regioni cordis admouenda : de quibus capite de carbunculo meminimus. Maximè vero confectio alchermes laudatur, niſi immoderatè ſit aluus lubrica, aut lapis lazuli, qui in illa compoſitione recipitur, fuerit nouies lotus, vt purgandi & laxandi vim amittat. Potibus verò cardiacis additur ℥.j. ſyrupi viol. vel nymph. vel de pap.ad ſomnum cōciliādum,poſt morbi principium. Iuſculis etiam ad ro-

ad roborandum aliqua miſceri poſſunt: vt iuſculis pauperum puluis coralli, o ſſis de corde cerui portul. acetoſa, omphacium, folia tapſi barbat. (niſi ſit aluus aſtricta) fol. bug. borag. ſcabioſæ. Pro diuitibus verò,

℞. fol. verbenæ, ſcab. acetoſæ, ſcordij, bugl. ſingul. m̄. j. granorum citri vel aranciorum ʒ. j. corticis citri, ℥ ß. roſ. rub. pug. j. fiat decoctio in iure pulli ad ℔. ij cui adde pulueris cornu cerui, coralli vtriuſque, ben vtriuſque, rad. pētaph. ſing. ℥. j. pulueris diamarg. & de gemmis ſing. ʒ. ij. pulueris bezeraici ʒ. j. ſucci aranciorum, vel omphacij, ℥. ij. aceti ℥. j. fol. auri iiij. diſtillētur omnia in diplomate, vel coquantur horam vnam, & ex eo decocto ſumat cochlearia duo vel iij. cum ſuis iuſculis. Sextò ventriculus etiam roborandus. Nam ſæpe vomitu laborant: ex quo ſequitur frequenter animi deliquium aut aliud cordis ſymptoma, aut cibos & potus cardiacos retinere non poſſunt. Itaque ſuperior pars ventriculi ſequenti vngenda vnguento.

℞. olei roſ. myrt. cydon. ſingul. ℥ ij. olei nardini ʒ. ß. vngatur regio ventriculi, aut vtere oleo roſ. & aceto. Ad animi deliquium & cordis palpitationem potus cardiaci frequenter propinandi, & epithemata noctu & interdiu quater aut quinquies applicanda. Septimò ſiti occurrendum decocto hordei cum ſyrupis de limon. de acetoſ. citri, acetoſæ ſimpl. oxyiach. aut,

℞. aquæ roſ. ℥. j. aquarū acetoſæ, bugl. nymph. ſingul. quart. ß. aquarum ſcab. verb. ſing. ℥. j aceti albi ℥. ß. ſacch. quantum ſufficit, fiat iulep. arom.

ſantalo albo: vtatur dum ſitiet.

Topica tumoris peſtilentis.

Octauò habenda eſt ratio tumoris, qui ſuboriri ſolet in inguine, vel alio emunctorio. Is fouendus eſt decocto radicis lilij, altheæ, maluæ, chamæm. anethi, adianti. Poſtea addemus farinam tritici, butyrum & oleum ad cataplaſma cōficiendum. Et ſi verò iuuanda eſt natura in expulſione materiæ venenatæ, trahendo ad partes ignobiles & externas, maximè dum natura non ſatis expellit: tamen cauendum ab immoderatè trahentibus, quòd dolores & febres plurimùm adaugeant, ac vires deiiciant: tuncque nec vomitus ciendus, nec catharticum exhibendum: ne venenatos humores, quos natura foras propellit, intrò reuocemus: ſed perſeuerandum in epithematis, & potibus cardiacis: atque attrahendum moderatè: nec enim cucurbitulis vtendum cenſeo, niſi in partibus tumori vicinis: ſed tumori potius gallina eſt applicanda, quæ ſphynctere ani ſui trahat ſatis, ſine vehementi dolore aut humorum agitatione: aut aliud animal, aut ſtupas imbutas ſuperiori decocto applicet in ſeptem dies. Alij interea vngunt oleo ſicyonio: alij œſypo vtuntur: alij capiūt ammon. bdellij, galb. ſing. ℥.j. pulueris iridis florentiæ ʒ.ß olei ſicyonij, vel de lilio, quantum ſufficit, alij diachylon ireatum, alij diachyl. magnum capiunt: alij verò id improbant: quod venenum exhalare non ſinat.

Subinde cum humor ſit malignus, & diſcutiētibus minimè cedat, ad ſuppurantia eſt properādum. Cepe itaque inter cineres coctum & ca-

ricas

ricas elixas cum fermento & butyro miſcebis ad cataplaſma conficiendum. aut,

℞. rad. lilij ℥. ij. mal. biſmal. viol. ſing. m̄. farinæ ſeminis lini, far. hord. & tritici ſing ℥ ij. caricarum par. ij. florũ chamæm. & viol. ſing. ℥. j. flor. ſamb. pug ß fiat decoct. & facta per cribrũ traiectione, adde axung. ſuill. gall. vel vituli ſingul. ß. j. olei amygd. dulc. vel lilij, vel viol. ℥. iij. croci ʒ ß. fiat cataplaſ. cui poteris addere cepe vnum ſub cineribus coctum: ac priuſquam catap. admoueas, locum affectũ decocto huiuſmodi rerum fouebis. Quando pus confectus fuerit, ſtatim vomica aperienda, vlcúſque detergendum. Carbunculi, quemadmodum fieri ſolet, ſi ſuperuenerint, iis erit medendum, vt antea præſcriptum fuit cap. de Carbunculo.

DE BVBONE NON PESTILENTI.

CAPVT XXXIII.

Bubo alius eſt peſtilens, qui ex materia calida ac verè phlegmonode, venenoſæ qualitatis participe, ſolis adenibus, nempe conſiliis, alıâs & inguinibus inſidet.

Alius non peſtilens, qui iiſdem partibus etiam incumbit, ſed nullam veneroſam qualitatem obtinens. Alius præterea criticus eſt, alius non criticus.

Huius cauſa varia eſſe poteſt ex materiæ varietate: Alia eim frigida eſt, alia calida, cuius ſigna ex ſuperioribus, cognoſci poſſunt.

CVRATIO.

INterdum in emunctoriis & adenibus naſcuntur tumores critici, aut alia ratione, partibus

principibus recrementa propellentibus : in quibus curandis, nec venam ſecamus, nec cathartica propinamus, nec humorem repellimus ne naturæ motum intercipiamus, vel cohibeamus : imò nonnunquam attrahimus : maximè verò ſtatim confugimus ad anodyna roborantia, diſcutientia, tandemque ad ſuppurantia.

Nonnulli vtuntur oleo roſ. chamæm. anethino, œſypo, pingued. gall. ex quibus cum cera vnguẽtum parare poteris: aliis placet ad dolorẽ leniendum oleum roſ. cum ſale: quod initio Guido non probat. Ad materiam diſcutiendam, commendatur diachylon cum omni genere gummi. aut,

℞. chamæm. melil. ſing. pug. j. farinæ ſeminis lini & fœnug. ſing. ℥. j. ammoniaci ʒ. vi. cum oleo chamæm. fiat catapl. Qui ſub axillis tumores oriuntur, ſeu bubones, frequentius ſuppurãt: cùm ſit materia calida, & in loco calido.

Accidit quandoque ſub axilla tumor à materia frigida, quæ ſugilla dicitur Arabibus : in quo curando præter victus rationem, & alui ſolutionem quæ cap. de ſtrumis præſcripta ſunt, admouere poſſumus emplaſtrum ex cineribus limacum cum melle & adipe, ex Archigenis ſententia: cui etiam poſſumus terebint. addere : aut ex melle & terebinthina emplaſtrum parare.

Quandoque etiam bubones oriuntur ex doloribus partium extremarum: ad quos curandos, initio venam ſecare, atque aluũ laxare proderit.

DE TVMORE ET VENÆ. SECTIONE.

CAP. XXXIV.

Quum nerui, arteria, & muſculorum tendones, venis quæ ſecari ſolent, ſubſtrata ſint, cõtingit interdum vt in ſectione venæ ſimul aut tendo, aut neruus, aut arteria vulneretur. Ex quibus, præſertim ex neruo, aut tendone ſectis, tumor, dolor, ingens, aut conuulſio etiam ſequitur.

Punctum igitur neruũ aut tendonem indicãt doloris vehementia, inflãmatio, tumor, & in ſequenti conuulſio.

Arteriam ſectam ſequitur exolutio, & aliquando partis inciſæ gangrena.

CVRATIO.

CVrabitur, ſi alterius brachij venam ſecueris, virtute permittente. Tumori appones albumen oui cum oleo roſ. addeſque ſi vis bolum arme. Iuuat quoque fotus ex refrigerantibus, emplaſtrum de ceruſa, oleum lumbricorum, & poſtea, quæ valentiùs diſcutiunt.

DE CHIRAGRA A PITVITA.

CAPVT XXXV.

Pleniùs articularem morbum ſuo loco deſcripturi, hîc tantùm quicquid compendij inſtitutum iubet, afferemus, quo ſingulorum duntaxat huius therapeuticæ capitum theoriam quàm pauciſſimis fieri poteſt verbis exponere nobis propoſitum eſt. Itaque quum ſolius chiragræ, eiúſque pituitoſæ hîc fiat mentio, de ea tantùm & hîc breuiter agemus. Eſt igitur manuum dolor cum tumore, à materia in neruis, tendonibus, aut articulorum manuum vinculis contenta.

Eius cauſa continens, humor eſt articulorũ vinculis infixus, qui è capite, in quo inter cranium & cutem cõ-

geſtus erat, in eas partes vel ſponte, vel leui occaſione delapſus eſt.

Signa ſunt, dolor intenſus interdum cum tumore, interdum ſine tumore articulos excrucians.

CVRATIO.

MEdebimur huic affectui, primò victus ratione, calida & ſicca: fugiemuſque fructus crudos & herbas, legumina, lac, caſeum, piſces, præter ſaxatiles in vino coctos vel aſſos, denique omnia pituitoſa. Secundò humoris præparatione & purgatione vtendum, quemadmodum capit. de œdem. & ſtrumis dictum fuit: fient quoque auerſiones cucurbit. frictionibus, ligaturis partium oppoſitarum. Poſt totius corporis purgationem, præſcribendum decoctum gaiaci ex vino vel aqua factum, iuxta corporis temperiem & habitum, atque affectus naturam.

Tertiò medebimur topicis attenuantibus, incidentibus & reſoluentibus. Fiet itaque lixiuium ex cineribus quercus, ficus, ſarmentorum, corticis fabarum: in quo concoques radicis ebuli ℥.ij ß. cauliũ rub. m̃. iij. lupinorum & fœnug. ſing. pug. iij. florum ſambuc. & ſtæch. ſing. pug. ij. aluminis, ſulph. ſing. ℥.ij. ſalis ℥ iij. aceti ℥ v. qua decoctione foueatur manus: & ex magmate catap. conficiatur: & faſcia eo decocto imbuta circunligetur. Limatura etiam cornu cerui vino albo diu coquitur: & ea decoctione cum limatura manus fouentur. Cùm humor iam fuerit reſolutus: alumen, acacia & hypociſtis aceto diſſoluuntur: & eo manus fouentur ad eas roborãdas, ne iterum humorem influentem recipiant.

DE PARONYCHIA SEV PANARITIO.

CAPVT XXXVI.

Paronychia eſt tumor cum intenſiſsimo dolore in radicibus vnguium inflammatus.

Fit autem aut à nitroſa pituita ibi coercita & putreſcente, quæ vim corrodendi nacta eſt.

Aut à tenuiſsimo bilioſóque ſanguine vnguium radices exurente & depaſcente.

Signa ſunt dolor, rubor, tumor, & inflammatio in vnguium radicibus maximè ſæuiens.

Niſi Panaritij vehementia citò coerceatur, periculum eſt ne totum digitum cum dolore maximo tandem corrumpat & ſideret.

CVRATIO.

IN his tumoribus victus ratio, venæ ſectio, ac purgatio eadẽ atque in phlegmone ſunt præſcribenda. In topicis initio repellentia cum anodynis miſcenda: quorũ ſunt formulæ ſequentes.

℞ ſucci portul. ſolani, plantag. aut craſſulæ & vmbilici ven. ſingul. ℥.ij. muccag. ſeminis pſyllij cum ſuccis extractæ ℥.ij. boli arm. ʒ.ij. gallarum ʒ.ß. caph. ℈.j. olei roſ. ℥.iij. miſceantur ac frequenter applicentur. Prodeſt quoque initio oleũ roſ. myrt. cum oleo de lilio: aut vnguentum album cum caphura, & vnguentum populeum æquis partibus miſcentur: nam ea mixtio modicè repellit, calorem cohibet, & tumorem calidum ſuppurat: aut hyoſcyamus coctus cum axung. & muccag. pſyllij, vel maluæ miſcetur, &

apponitur: aut ea miſcentur cum vnguento albo, quod caphuram recipit, & populeum. Interdum in maximo dolore miſcemus opij aliquid, ex Auicennæ ſententia cum lacte & croco: vel olei roſ. ℥.j. opij & hyoſc. ſing. ℈.j. apij. ℈.j.ß. vitellum vnum oui, ſimul miſcentur. Ego tamen expertus ſum oui albumen cum oleo viol. magis dolorem mulcere, quàm illud narcoticum: imò verò nulla aſtringentia loco affecto, ſed vicinis admouenda cenſeo: quod ea humorem impingendo dolorem foueant & adaugeant, atque periculum oſſi afferant: ſed diſcutientibus potiùs ac ſuppurantibus cum mediocriter roborantibus vtendum. Vino itaque calenti lauabis, ác fouebis: poſtea oleo roſ. vnges. Ad ſuppurandum & leniendum, ſequens eſt optimum.

℞. ſacch. roſ. ℥ß. axung. gall. ʒ.iij. vitellum oui vnum, & butyri recentis modicum, fiat vnguentum in mortario abſque igni: aut muccaginem pſyllij, adipem ſuillum, butyrum recens, vitellos ouorum, farinam lini & fœnug. miſceto, & applicato. Cùm erit aperta vomica, detergẽdum melle, terebinth. & hordei farina, & vnguento apoſtolorum ſi videbitur conuenire, aut puluere mercurij, ſi opus fuerit. Poſtea ſarcoticum ſequens proderit.

℞. aloës ʒ.iij. myrrhæ, thuris, & ſarcoc. ſing. ʒ.j. terebinth. ʒ.v. mel. roſ. col. ʒ.ii. miſce.

Si accidat oſſis corruptio, ſeu caries, cauterium admouendum, deinde efficiendum vt eſchara decidat: idque fiet medicamentis, quæ cap. de vlcere cum oſſis corruptione dicentur.

DE

DE MAMMARVM TVMORIBVS. CAPVT. XXXVII.

Mammis apoſtemata tam calida quàm frigida ſæpenumerò accidunt. Calida ex ſanguine craſſo, & impuro putreſcente, ſæpius ob menſtruorum retentionem in mammas redundante: vel ex lactis corrupti, ac venenoſas qualitates induentis coagulatione generantur. Frigida ex deſtillatione capitis in eas partes recumbente contingunt.

Signa nota ſunt ex ſuperiorum apoſtematum deſcriptionibus.

In mammillarum apoſtematibus periculum eſt de mania. Quibus ad mammillas ſanguis corrumpitur, mania ſignificatur. Mammillarum inflammationes propter cordis vicinitatem & partis naturam periculoſæ. Apoſtema in cancrum deſinens, malum.

CVRATIO.

Mammarum inflãmatio curatur victu frigido & tenui: venæ ſectione in cubito eiuſdem lateris: purgatione, vt cap. de phlegmone dictum eſt: ac menſium prouocatione, ſi ſuppreſſi fuerint: denique procedendum ad topica. Quę verè repellentia dicuntur initio, nequaquam hîc conueniunt: ſiquidem perſpirationem impedirent, & materiam ad cor pellerent: ſed ſufficient oleum roſ. & albumen oui, ac ſuccus plantag. vel oxyrhod. calens: vel endiuiæ ſuccus cum aceto: aut folia ſolani, melilotum: & farina fab. cum oxymelite & oleo amygd. dulc. coquentur in forma catap. Vel applicabis folia hyoſc. cum oleo roſ. aut ſemen hyoſc. cum oleo roſ. poteſq; addere farinam hord. & vinum. In augmento & ſtatu

proſunt diſcutientia.

℞. fol.mal. viol.ſing.m̄.j. hord.mund.pug.ß. florum chamæm. melil.ſing. pug.j.fiat decoctio. qua ſuffiiatur & foueatur mamma:deinde cape butyri ℥.iij. olei viol.℥.ij. liniatur locus affectus. Prodeſt quoque pinguedo gall.& anatis cum farina fabarum. Ad ſuppurandum valet emplaſtrum Auicennæ.

℞. micæ panis quart.j. farinæ faba. quart.ß. far. fœnug. ℥.j. rad.altheæ quart.ß. vitellos ouorum iij.myrrhæ & aſſæ fœtidæ ſingul.ʒ.j. croci ℈ j. vel,

℞. rad.altheæ ℥.iiij. mal.viol. ſing.m̄. farinæ tritici & hord.ſing.℥.j.fiat decoctio:pinſantur,& ſetaceo traiiciantur: deinde adde butyri recentis ℥.iij. pingued. ſuillæ ℥.ij. vitellos ij. fiat catapl. Vomica poſtea aperienda in loco inferiori, cauendumq́ue â venarũ præciſione:ne poſtea mãma lacte priuetur:detergendum autem melle,tereb.myrrha,ſarcoc.& ſimilibus.

Quãdo tumor eſt ab humore frigido, præſcriptis victus ratione & purgatione,ſicut in methodo vniuerſali de tumoribus frigidis fuit explicatum. In topicis toto morbi decurſu proſunt oleum de ſpica,de lilio, chamæmelinum, anethinum, amygdalinum,pinguedo gallinæ cum cera & lana ſuccida.

DE LACTIS CONCRETIONE.
CAPVT XXXVIII.

Quum præ nimia lactis copia turgent mammæ,quod accidit ſtatim à partu.Si frigus ea ab aëre,aut ex ad-

motis

motis frigidioribus medicamentis contrahunt, illud ſolet concreſcere, vnde apoſtemata & cancri progignuntur. Reſtat igitur vt ante ipſius coagulationem lac perimatur vel aliò eius materia reuocetur, aut ſi concreuerit, diſſoluatur.

CVRATIO.

STatim à partu, quando mulier non eſt infantem alitura, ne lac ad mammas confluat in iiſque concreſcat, cucurbitulæ ſunt pectini admouendæ ad finem muſculorum rectorum epigaſtrij, vel vtrique inguini: mammis autem ſequentia apponito.

℞. aquæ liliorum & mentæ ſing. ℥.iij. aquæ chelidon. ℥ j. aquæ roſ. & nymph. ſing. ℥. vj. miſce ac frequenter mammas laua, pannóſque iis immerſos applica. Ceram nouam in formam cerati rotundi, quod in medio propter papillam ſit pertuſum apponito: aut eam ceram priùs in oleo violato diſſoluito & ceratum conficito, & admoueto. Sequens quoque puluis confert, ad lac abſumendum.

℞. ſeminis fœnic. ℥ i. aniſi. ℥. ß. apij, petro. & agni caſti. ſingul. ℥ j. coralli rub. cornu cerui vſti ſing. ℈. ij. ſacch. duplum pondus: fiat puluis de quo capiat manè & ſero cochlear vnum. Si mammæ in tumorem attollantur, vtere ſequentibus.

℞. vnguenti roſ. & cerati, ſantal. ſing. ℥. j. olei roſ. & chamæm. ſing. ℥. ij. miſce, & liniantur partes vicinæ, manus fricentur ſaluia & menta.

Ex ſaluia quoque menta & virgā paſtoris, fiat puluis quo vtatur in iuſculis. Poteſt etiam fieri decoctio ex ſicla, menta & apio ad fotum: poſt-

ea herbæ huiuſmodi tritæ ſunt, velut cataplaſmi, apponendæ: nam optimum id eſſe experientia probat: quod incidat, aperiat, tergat & ſiccet.

℞. farinæ fab. & orob. ſing. quart. j. ſucci chelidon. maioris ℥. ij. ſucci mentæ ℥. iiij. olei lil. & mentæ ſing. ℥. iiij. fiat cataplaſma.

℞. farinæ fab & hord. ſingul. ℥. j. ſtyracis in oleo roſ. diſſolutæ ℥. ß. coagulum vnum hœdi, miſce, & fiat catapl. quod mammis applicetur, pręcedente litu ab oleo roſ.

Volunt ſalſamentum petroſelini triduo manè & ſerò appoſitum, lac concretum diſcutere: quia etiam incidit, aperit, ſiccat, & diſcutit.

Idem efficit vnguentum album Galeni aceto diſſolutū: nam acetū incidit, & tenuat, & ſiccat.

Idem præſtat butyrum aceto lotum: nam mollit, incidit, ob acetum, ac reſoluit.

Prodeſt etiam aqua roſacea cum aceto mixta, argilla in puluerem redacta, & cum aceto acri mixta, tumorem pungentē, ex lactis cōcretione, tollit: idem efficit nidus hirundinum cum aceto.

℞. furfuris ℔ j. florum chamæm, & melil. ſing. pug. j. farinæ fab. ℥. iiij. pingued. gall. ʒ. x. croci ℈. ij. olei roſ. chamæm. & anethi ſingul. ℥. j. ß. olei. viol. ʒ. x. miſce & addita ſapa, fiat catap. aut ex far. hord. melle & ſapa, fiat cataplaſma.

Si lac concretum non diſſoluatur & diſcutiatur, eſt ſuppurandum præcedenti catapl. vel,

℞. mal. viol. ſing. m̄. j. florum chamæm. melil. ſing pug. ß. fiat coctio: cui adde micæ panis albi ℔. j. butyri ℥. j. ß. vitellos ij. olei roſ. ℥. ij. olei chamæm. ℥. j. ß. fiat catapl, aut micam panis albi ea

deco-

decoctione imbutam miſce cum vitellis ouorum & croco. Aperto abſceſſu, ſequentia conferunt ad detergendum.

℞. vnguenti regis ℥.ij. mellis roſ. col. ℥.ß. ſuccorum plantag. apij & abſynthij ſing. ʒ.j. farinæ hordei ʒ.j.ß. fiat vnguentum: aut miſce vnguentum regis cum melle roſ. col. Ceratum quoque applicetur ex diachyl. communi in oleo roſ. diſſolu. Nonnunquam poſt inductam cicatricem, remanet in aliqua parte mammæ durities, cui ſic medendum: adeps veruecis ſuper pannum lineum extenditur, puluere ceruſæ aſpergitur & applicatur: aut emplaſtrum ex foliis rutæ: aut oriza in vino dulci vel iure pingui coquitur & crocus additur: ac cum vitellis ouorum oleo viol. fit catapl. aut,

℞. rad. altheæ coctæ ℔.ß. pingued. anatis ℥.j. medullæ cruris vituli & bouis ſingul. ʒ.vj. ſebi vaccini ℥.iij. olei roſ. ℥.j. olei chamæm. & anethini ſing. ℥.ij. olei de lilio ℥.j.ß. ceræ albæ quantum ſufficit, fiat ceratum optimum: quando de ſcirro dubitamus, ſi tumor in cancrum degeneraret, prohibenda eſt illius generatio, litu ex olei roſ. ℥.iij. in quibus coxeris pap. hyoſc. & opij ſing. ℈.j. & diſſolues gummi arabici ℥.j.

Si cancer iam genitus eſt, ad illius curationem, totius mammæ exciſionem tutam exiſtimare non poſſum, tutius itaque vteris fucata curatione, quàm chirurgia.

DE INFLAMMATIONE PECTORIS ET PARTIVM INTERCOSTALIVM.

CAPVT. XXXIX.

Inflammationes earum partium ſunt vel internæ vel externæ. Internæ quarũ tumor intus deliteſcit. Externæ quæ extra protuberant & tumorem ſuum foras produ̅t. Internarum ſpecies ſunt pleuritis & peripneumonia, quãquam & eæ internæ tumorem ſuum foras produ̅nt. Pleuritis eſt inflãmatio eius membranæ quæ coſtis ſubtẽditur. Ea duplex eſt, vera & exquiſita, quæ vel inter coſtas & eam membranam, quæ intus illas ſuccingit, vel in muſculis meſopleuriis ſedem habet. Altera notha, quæ muſculos extrinſecus coſtis incubantes afficit.

Earũ materia eſt, aut tenuis bilioſúſque ſanguis in venas intercoſtales impetu irruens, & ibi putreſcens. Aut pituita à deſtillatione cerebri illis partib. collecta. Aut flatus inter mẽbranas externas aut interiores incluſus.

Peripneumonia eſt pulmonum inflammatio ex bilioſo & tenui ſanguine per venam arteriam in pulmones è dextro cordis ſinu vehementiùs excuſſo, ibiq́; putreſcente. Aliquando ex acri & tenui, multáq́; deſtillatione è cerebro in pulmones illapſa oritur.

Horum ſigna ſunt febris vehemens, tuſſis, ſpirandi difficultas, lateris dolor. Eiuſmodi inflammationes plerũque in abſceſſus ſuppurationem & fiſtulas deſinunt, ſed prius propter cordis vicinitatem, partis ipſius nobilitatem grauiſſimaq́; ſymptomata non carent periculo.

Quæ intus & extra crepuerunt, inquit Hippocrates, malum.

CVRATIO.

PEctoris inflãmatio poſtulat victum tenuem & frigidum, venæ ſectionem, & alias reuulſiones, medicamenta laxantia, quemadmodum à nobis eſt explicatum in methodo ſuperiori de phlegmone, & aliis tumoribus calidis.

In vſu topicorum, in principio inflammationis, repellentia & adſtringētia aut nulla aut imbecilla admouenda: tum ob cordis propinquitatem, ne in partem principem humor repellatur: tum ob reſpirationem, neceſſariam, ne impediatur pectore conſtricto eorum vſu. Sufficient ergo olea, roſaceum, myrtinum & violaceum, cum aquis roſ. viol. & ſucco plantaginis.

In incremento vtilitatem afferunt oleum chamæm. & roſaceum vel viol. mixta: aut farin. hordei, fab. & lentium cum oleo roſ. miſceto: aut altheam, maluas, chamæm. & melil. coquito: in decoctione micam panis furfuracei macerato: omnia trita cum butyro, oleo chamæm. vitellis ouorum & croco miſceto, & cataplaſ. conficito. In tumoris conſtitutione eadem procedunt, ſi addideris ſemen lini & fœnug. & ſimilia. Si tumor diſcuti non poſſit, ſequentia ad pus gignendum proſunt.

℞. rad. lil. ℥. iij. mal. viol. ſingul. m̄ j. in iure gali elixato: deinde cum mica panis albi in decoctione macerata pinſito: & cum butyro & oleo communi catapl, facito. aut,

℞. rad. altheæ ℔. j. ſeminis lini & fœnug. ſing. ℥. ij. coquito: poſtea butyri ℥ iij. vitellos ouorum iiij. in formam catapl. miſceto.

Cùm pus apparuerit, ſtatim ſecundum coſtarum longitudinem vomica aperiatur: ne pus acre erodat, penetret, ac in cauitatem thoracis delabatur: aut fiſtuloſum vlcus efficiat. Deinde aliquot diebus vtendum digeſtiuo ex terebinthina & vitellis ouorum: poſtea detergendum. Si

k

in pectoris cauitatem penetret, ad caput de curatione vulneris in pectore, & de curatione fiſtulæ recurrendum.

DE TVMORE FRIGIDO PECTORIS.

CAPVT XL.

Tumor frigidus pectoris eſt qui potiſſimum ex deſtillatione pituitoſa è cerebro naſcitur, & quem nulla febris ſequitur comes. Ex eadem deſtillatione duplex fit vomica, vna pulmonis, qui abſceſſus eſt exiguus, & puris in pulmonis quadam parte collectio.

Altera intercoſtaliū partium, quæ & œdema dicitur

CVRATIO.

PEctoris tumor frigidus victum attenuantem, calidum & ſiccum, medicamenta pituitā pręparantia & purgantia expetit: ſicut de œdemate fuit oſtenſum: quibus erunt miſcenda, quæ pectus adiuuant: vt ſunt iris, enula, hyſſopus, meliſſa, glycyrrhiza, paſſulæ, hordeum & ſimilia.

Quo ad topica, iuuabunt reſoluentia, diſcutiētia, incidentia, detergentia. Itaq; oleum chamęmanethinū, liliorum, amygd. irinum, de ſpica applicato: aut eorū aliqua cum flo. chamæm. & farinæ ſeminis lini & fœnug. miſceto: aut radicē altheæ, maluas, coriādrum, ſquinātum, ſemen lini & fœnug. flores chamæm. melil. & ſtæchad. coquito: decocto locum foueto: poſtea cataplaſma ex iis apponito, vel ex mica panis & farina fabarum in vino & oleo chamæm. in formam pultis efficito.

Denique cùm tumor diſcuti non poteſt, pus hoc modo gignito. ♃. rad.

℞. rad.alth.℔.ß.rad.lil.℥.iiij. eas elixato: poſtea terito, & addito far.tritici, ſeminis lini & fœnug. butyri & axung.ſuillæ ſing. ℥.iij. vitellos ouorum iij.croci ℈ j.ac catapl.conficito.

Vomicæ apertio vt ante dictum eſt minimè eſt differenda ne vlcus fiſtuloſum, aut caries in oſſibus ſuboriatur, quod multis ſæpiſſimè accidiſſe viſum eſt à nobis. Ad deterſionem proſunt oleum de vitellis ouorum cum melle roſ.col. & modica quantitate myrrhæ & ſarcoc.

DE HYDROPE QVI ASCITES APPELLATVR.

CAPVT. XLI.

Tres hydropis traduntur ſpecies aſcites ſeu vtricularis, Anaſarca ſeu ſarcites, & tympanias. Aſcites eſt abdominis & crurum ex aquoſo & ſeroſo humore diſtẽtio, ſuperioribus corporis partibus marceſcentibus. Anaſarca ſeu leucophlegmatias eſt totius corporeæ molis, præter naturam, ex cruditate & pituitoſo humore intumeſcentia. Tympanias eſt abdominis ex multo flatu in illius capacitate concluſo diſtentio.

Cauſa omnium hydropis generum eſt immodica iecoris refrigeratio, ſiue primario affectu id laboret, ſiue ex conſenſu aliarum partium refrigeretur, ſiue ex cauſſis externis intemperies frigida exhauſto nutrientium facultatum robore inducatur.

Signa Aſcitis ſunt ventris grauitas cũ ſtupido dolore, aqua huc & illuc commota & obmurmurans vagatur ſi prematur abdomen. Tactus vtris aqua pleni ſimilitudinem exhibet, venter & inferiora intumeſcunt, ſuperiora marceſcunt.

Signa hypoſarca ſunt totius corporis inflatio: ac præ-

ſertim faciei, cuius compreſsio foueam reliquit: nulla ex illius tactu aut commotio vt in aſcite, aut ſonus vt in tympanite obauditur.

Signa tympanites ſunt magna ventris tenſio tympanum referens, qui ita tenſus & pulſatus, tympani ſimilem reddit ſonum: reliqua corporis membra propè omnia exareſcunt.

Aqua intercute laborantibus vlcera in corpore facta difficulter ſanantur: his tuſsis ſuperueniens malum. Aſcites omnium hydropum periculoſiſsima eſt: hypoſarca minùs habet periculi: Tympanias omniũ tutiſsima, Omnes tamen hydropis ſpecies non vacant periculo, præſertim ſi acutas ægritudines conſequantur.

CVRATIO.

PRimus huius morbi curandi ſcopus in victu tenui, calido & exiccante verſatur. Aër ſit purus & ſiccus: ad cuius præparationem, prodeſt hic ſuffitus.

℞. cinamomi, carioph. ſpicæ nardi ſingu. ʒ j ß. ſtyracis calã benioin ſing ℈. ij. ladani puri ℈. iiij. gummi tragag. in aqua florum citãguli eliquati quãtum ſufficit, fiant troc. qui in carbones coniiciãtur. Æſtate, prædictis addemus flores nymph. roſ. & ſantala. Cibi omnes acres, acidi, ſalſi, craſſi & viſcidi fugiendi: herbæ, fructus horarij, iura, & alia humectantia vitanda: Omnia ſiccantia & diuretica proſunt. A potu quantum fieri poteſt abſtinẽdũ: panis hordaceus iuuat cum ſaccharo, ſeminibus aniſi & fœnic. in puluerem tenuiſſimum redactis: ſic quidem vt in ℔. j. paſtę ſic ℥. j. ß. ſacch & ℥. ß. ſeminum. Somnus diurnus vitetur: nocturnus verò ſit breuis: Exercitatio vſque ad

ſudores

ſudores,ad aquam abſumendam,optima.

Venæ ſectio locum hîc nullum habet,niſi eſſet hydrops ob menſium vel hæmorrhoidum retentionem: aut ſubeſſet inflammatio in hepate vel liene,aut plenitudinis notæ apparerent.

Secundus ſcopus in vſu catharticorum conſiſtit. Erit autem auſpicandum ab hoc clyſtere.

℞. fol.ſiclæ,mercurialis,parietariæ,agrim.ſing. m̄.j.ſeminis aniſi, fœnic.carui,dauci ſing ℥.j. ſeminis melonũ contuſi ℥.ß. florũ chamæm.melil. ſing.pug.j.fiat decoctio,cape de col.℔.j. in aqua diſſolue caſſiæ recẽter extr.℥.j.hieræ picræ gal.℥.ß.olei de lil.vel chamæm.vel amyg amararum ℥.iij.mellis deſpumati ℥.j.ß. ſalis ʒ.j.ß. fiat clyſter, quo bis in hebdomade vti poterit, niſi laboret alui profluuio.

Ad corporis & humorum præparationem.

Poſt primã clyſteris iniectionem corpus & humores ſunt præparãda,de quorũ præparatione iã habes ſuperiori methodo ca. de tumore aqueo: Præparabis quoq; hoc modo,ex iis quæ aperiunt meatus,tollunt obſtructiones,incidũt,tenuant & humores ſeroſos educunt & abſumunt & ſiccant,

℞ radicũ filicis,apij,petro.ruſci, graminis, aſparagi & fœnic.in vino albo xij. horas; maceratarum:corticis mediani fraxini & tamaricis,corticis ſambuci,cort.radicis cappar.ſimiliter maceratorum ſing.℥.rad.aſari & glycyrrhizæ ſing.℥.ß. ſaluiæ agreſtis,valeria.chamædr.chamæp. auriculæ muris, auagalidis agrimon. capillarium communium, lapathi acuti totius endiuiæ non lotæ, bugl.& ſummit. lupuli ſing.m̄.j. hyſſopi & men-

tæ ſing. m̄. ß. abſynth. rhimeleæ, chameleæ & braſſicæ marinæ ſing. modicũ, ſeminis viticis, kalicacabi, petro. apij, dauci, aſpar. ſeſeleos, aniſi & fœn. ſing. ℥. ij. ſeminis caſſutæ (cuſcutam vocant) portul. & melonum ſing. ℥. iij. ſeminis cartami cõtuſi ℥. j. ſennæ ℥. j. ß. florum hyperici, geniſtæ & cicerum rub. ſing. pug. j. iunci odorati, ſpicæ nardi & celticæ ſing. ℥. ij. coquantur ſimul ſuo ordine: cape de col. ℔ ij. in quibus diſſolue ſucci rad. ireos depurati ℥ iij. ſacch. quantum ſufficit diarhod. abb. ℥. ij. rhabar. aqua end. irrorati ℥. iij. cinamomi grana xv. fiat apozema clarif. & aromat. pro vj. doſibus continuis, vel per interualla ſumptis. ſi adſit hepatis intemperies calida, non erit tam calidis vtendum.

℞. ſyrupi de quinque radicibus, & ſyrupi de bizantiis ſing. ℥. ij ß. vel ſyrupi de eupat. & ſcolopend. tantundem, aquarum fœniculi, aſpar. vel graminis, vel capill. ven. vel cichorij vel end. ſing. ℥. v. diarhodon. abb. ℥ j. miſce & fiat iulep. clarif. & aromat. pro iij. doſibus, quod iterum fiat pro aliis iij. doſibus.

Purgatio.

℞. rhabarb. in ℥. iij. aquæ end. & ℥. j. vini albi infuſi & expreſſi ℈. iiij. cinamomi gr. v. cathol. ℥. vj. ſyrup. viol. vel ſyr. roſ. ſolut. ℥. j fiat potus. vel,

℞. liquiritiæ, & paſſul. mund. ſing. ℥. j. ſeminis apij, petro. & halicac. ſingul. ℥ j. ſeminis braſſicæ marinæ ℥. ij. ſennæ orient. & ſeminis cartami cõtuſi ſing. ℥. vj agarici troc. ℥. j. ß. florum anthos & geniſtæ ſing. pug. j. fiat decoctio in col. ℥. iiij. diſſolue diaphœn. ℥. iij. diacart. ℥. ij. ſyrupi de bizantiis &

tiis & ſyr.roſ.ſolut.(qui educit aquam & leni ſua aſtrictione roborat hepar) ſing.℥.j. fiat potio. Cumque ſemel purgaſſe non ſufficiat : erunt ex vſu ſequentes pilulæ, vel opiata laxans.

℞.maſſæ pilularum de hiera ſimplici ʒ.j.ß.pilul.de rab. ʒ.j. pilul. de ſagap.ʒ.ß. pilularum de mezereo ℈.j.cum melle roſ.col.fiat maſſa,de qua formentur pilul.vij. pro ʒ.ſumat.iiij. aut v.decimo quoque die.

℞.ſeminis cartami ʒ.x.ſennę orient.℥.j.cathol. ℥ j.ß.pulueris braſſicæ marinæ,aut eius loco elaterij ʒ.j. thymeleæ in aceto præp.ſing.ʒ.j.ß.cum ſyrupo roſ.ſolut.fiat opiata,de qua capiat ℥.ß.bis vel ter in menſe.

Ad abſumendam aquam,obſtructiones tollendas, & roborandum hepar.

Tertius ſcopus ad ea quæ aperiunt , roborant & aquam abſumunt pertinet.

℞.rad.rubiæ maioris ℥.iij.cõſeruæ florũ geniſtæ,conſeruæ.capill.ven.& ſcolopẽd. ſing.℥.j.cõfect.dialac. & diacucur. ſing ʒ.ij. trochiſcorũ de eupat. & de rhab. ſing.ʒ.j.ß. pulueris diamarg. frig ℈.iiij.cum ſurup.de quinq; rad.fiat opiata de qua capiat ter hebdomade, manè,trib.horis ante paſtum,inſtar auellanæ:vel vtatur,ſequenti elect.

℞.corticis citri conditi ʒ.j.ß. conſeruæ capill. ven. & florum cichorij. ſing.℈.iiij.troc.de eupat. & de cappar. ſing.ʒ.j.diarhod.abb. ʒ.j.ß.roſatæ nouellæ ʒ.ß triazãt.duplicatis ſeminibus & rhab. ℈ ij.ſacch.in aqua abſinth.& end.diſſoluti quantũ ſufficit,fiat elect.in tabellarũ formam,quæ ſint ponderis ʒ.iij.capiat quater in hebdomade. O-

piata præcedens magis abſumit aquam & aperit tollitq́ ſe obſtructiones : Electuariũ verò etiã roborat hepar & ventriculũ. Vide alia tũ aſſumẽda tum apponẽda parti externæ hepatis & ventriculi, ca. de tumore aquoſo in methodo vniuerſali.

Topica ventri hydropici admovenda.

Quartus ſcopus topica ventri applicãda docet.

℞. radicum fœnic. ebuli, ariſtol. rot. acori, iridis florentiæ ſing. ℥. j. ß. corticis rad. cappar. & corr. interioris vlmi ſing ℥. ij. fol. agrim. & rutæ ſing m̃. j. ſeminum aniſi, fœnic. cumini, ameos, ſeſeleos, apij. & petro. ſingul. ʒ. iij. florum ſamb. chamæm. melil. ſtæch. & roſ. ſingul pug j. ſulph. viui ℥. iij. ſquamarum ferri (quæ tundendo ferrum candens excidunt) ℥ iiij. fiat decoctio in vino albo, qua ſpongiis imbutis totum ventrem foueant, dempta hepatis regione. deinde,

℞. milij. ſeminis apij & cumini ſing. ʒ. ß. ſeminis carui ℥ j. baccarum lauri ℥ ij. centaurij minoris ℥. j. florum chamæm. aneti, & roriſmar. ſing. pug. j in ſartagine torreantur, vino albo irrigando, & fiant duo ſacculi, qui viciſſim ventri applicentur. poſtea,

℞. olei amygd. dulc. olei nardini ſing ℥. iij. olei laurini ℥. ij. ceræ quãtũ ſufficit, fiat linimentũ vel,

℞. ladani ʒ ij. calami odorati, florum iunci odorati ſingu. ʒ. j ß. croci ℈ j. axung. anatis olei rutacei ſing ℥. iij. aceti ℥ ß. fiat vnguentum.

Probãtur etiam vnguenta, martiatum, aragon. & agrippæ, ac emplaſtrũ de baccis lauri: cataplaſmata etiam quę ex ſtercoribus parantur, proſunt.

℞. ſtercoris bouis ℥. iij. ſtercoris capræ ℥. ij. ß. bac-

ß.baccarũ lauri, ſtaphiſag. ſing ℥ vj. caricarum in aceto diu infuſarum pug.x. ſulph. viui ℥.ij. rad. ireos & aſari ſing. ℥.ß. coquantur omnia in vrina pueri & terantur, addendo axung anſeris & anatis ſingul. ℥.iij. olei rutacei & irini ſingul. ij. fiat cataplaſma. vel,

℞ ſterch. columb. ℥.ij. ariſtol. rotundæ, pyrethri ſingu. ℥. ß. ſpicæ nardi, cardam. ſing. ℥.j. coſti amari ʒ.iij. marcaſi. ʒ.ß. ladani ʒ.iij. bdellij in vino albo diſſoluti ℥.j. thuris ℥ j ß. olei laurini & ceræ quantum ſufficit, fiat vnguentum, vngatur venter. vel,

℞. ſucci cyclam. & braſſicæ marinæ ſingul. ℥ j. ſucci cucum. agreſt. ℥. ß. aſari ʒ.vj. ſeminis apij petro. & ſeſeleos ſing. ʒ j. pingued. cuniculi & ſcorpiorum ſing. ℥ j. ceræ modicum, fiat vnguentum pro ambitu vmbilici: Stercus quoque caprinum lotio humano mixtum ex Raſi iuuat illitum: oleo de meſereo Meſue illinit ventrem, Cochleæ denique in lixiuio coctæ & tritæ vtiliter in formam catapl. ventri admouentur.

In vſu topicorum quæ ventri apponuntur, cauenda eſt regio hepatis: nam illa ſępe ſunt admodum calida, hepar nimis incaleſceret, eiuſq́ue robur omnino diſſolueretur: ſed ne ea noceant regio hepatis ſequenti vnguento erit munienda.

℞ cerati ſantal. ℥ ij. vnguenti roſ. ʒ j. ß. ſpicæ nardi ℥ j. ſpodij. ℈ iij. olei de abſynth. ℥ ij. olei de nymph. ℥.j. aceti acerrimi modicum, ſeminis endiuiæ & portul. ſing. ʒ.j. fiat vnguentum, quo tepidè regio hepatis vngatur.

Nonnulli aiunt ʒ.j. ſpicæ nardi cum vino quo-

tidie ſumptam & potam hydropicos curare: alij ʒ.j. thymeleæ in puluerem redactæ & in aceto maceratæ, cum vino albo interdum propinant: alij capiunt teſtæ nemoralis teſtudinis ʒ.j.ß. coralli rub ℈ iiij. ſeminis portul. ʒ j. aquarum tamariſci & ſcolopend. ſingul. ℥.j.ß. ac potum faciunt, quem frequenter propinant: voluntque remedium eſſe præſtantiſſimum.

De hypoſarca.

EAdem propemodum in hoc affectu debet eſſe victus ratio atque in ſuperiori: humor pituiteus eſt ad expulſionem præparandus, incidentibus, tenuantibus & aperientibus ac purgandus, quemadmodum dictum eſt de œdemate, de abſceſſu phlegmatico, de ſtrumis, ſuperiori capite, niſi quod non eſt vtendum tam valenter cientibus vrinas, & ſerum ſanguinis abſumentibus: in omnibus ſemper habenda ratio hepatis & ventriculi, vt earum partium vires non diſſoluantur, ſi ſolitæ purgationes ſiſtuntur: & menſes vel hæmorrhoides ſunt ciendæ. Denique procedunt frictiones moderatæ partium tumidarum, ad calfaciendum & tenuandum humorem, poſtea ſudoris & vrinarum prouocatio, atque in vnguentis, cataplaſmatis & emplaſtris ea omnia quæ rarefaciunt, tenuant, incidunt, aperiunt, diſcutiunt & tergũt: quorum omnium formas habes ſuprà cap. de œdem. de ſtrumis, & proximo, ſed ea tibi ſunt deligenda, vt videris has vel illas parteis magis affici, & pituitæ naturam.

De

De tympanite.

SImilibus præſidiis curatur tympanites, atque duæ ſpecies hydropis præcedentes: præter quàm quòd hoc in affectu in omnibus medicamentis maximè præſcribenda quæ flatus diſcutiunt, quemadmodũ in vſu alimentorum, ac præterea quæ pituitam euacuant & abſumunt, cùm ſit materia flatuum. In reliquis roborandus ventriculus, roborandum hepar: Topica eadem iuuant quæ antea fuerunt præſcripta, modò cauſam conſideres, num calida, num frigida: nam cùm cauſa calida, in omnibus mediocriter calida ſunt exhibenda & applicanda: cùm autem cauſa frigida, calidioribus tutò vtimur. Cucurbitula magna etiam ventri inferiori admouenda. Cauendum etiam ne acria medicamenta ventriculi calorem imbecillum reſoluant, aut vbi magna eſt pituitæ copia, maiores flatus excitent extenuando. Theriacæ & mitridatij vſus vtilis tum ad ventriculum calfaciendum, tum ad pituitam abſumendam, tum ad flatus diſcutiendos.

De ſcyrrho hepatis.

Hepatis ſcirrhus curatur, primo victu attenuante, molliente & incidente, vnde ficuum & paſſularum vtilis eſt vſus, & eorum decoctum, cappares quoque iuuant & hordeatum.

Secundò humores præparandi & euacuandi, vena non eſt aperienda, niſi plenitudinis apparerent notæ, aut ſcyrrhus eſſet à retentione hæmorrhoidum vel menſium.

Humorum præparatio fit incidentibus, mollientibus, aperientibus & detergentibus, & ſy-

rupo capillorum ven. de end. de cichorio, de eupat. de bizantiis, de abſynthio, de duabus, & quinque radicibus, cum aquis graminis, fœniculi, end. capillorum ven. & ſimilibus, aut apozema parabitur ex radicibus aperientibus capparum cortice, ſcolopend. & aliis capillaribus ex agrimo. end. cichorio, hordeo, glycyrrhiza, paſſulis, ficubus, & aliis vt quæ vrinas cient & calculum in renibus frangunt, vt capite de ſcirrho dictum fuit, & de œdem. habita humoris ratione. Animaduertendum enim num pituita craſſa, num humor melancholicus, ſcirrhum effecerit. poſtea catharticis conuenientibus vtendum, inter quæ laudatur hiera picra ſimplex cum terebinth. vel ammoniaco in pilulis.

Tertiò ad topica procedendum. Sint autem mollientia, incidentia, tenuantia & mediocriter diſcutientia neceſſe eſt, mixtis tamen aſtringentibus ad hepar roborandum, ne eius vis diſſoluatur. fotus mollientes ex decoctione liliorum, altheæ, maluæ, viol. parietariæ prodeſt, modo non ſit frequens & diuturnus.

Linimenta & vnguenta ex oleo liliorum, irino, nardino, ex ammoniaco. bdellio, galb. & aliis ſimilibus mollientibus, diſcutientibus, additis ſantalis, ſpica nardi, calamo aromatico, oleo maſtichino, & de abſynthio ad roborandum conferunt, vt hoc modò ex Gal. & Paulo.

℞. ammoniaci in aceto diſſoluti ℥ j. bdellij ℥ ß. ſpicæ nardi ʒ. iij. croci ʒ. j. ß. abſynthij ſicci, maſtich. aloës, olibani ſingul. ʒ. ij. ſebi & medullæ vituli ſingul. ℥. j. ß. œſypi ℥ iiij. olei de abſynthio

ſynthio & ceræ quantum ſufficit, fiat vnguentum. vel,

℞.olei roſ.℥.ß.olei nard. & maſtich.ſingul.℥.ß.ſucci abſynthij ℥ j. ſquinanthi, ſpodij, caſſiæ ligneæ, caudæ equinę ſing.ʒ.iij.ceræ quantum ſufficit, aceti modicum, fiat vnguentum.

DE SCIRRHO HEPATIS. ET LIENIS.

CAPVT XLII.

Scirrhus tam iecori quàm lieni moleſtus. Eſt autem tumor præter naturam, durus, doloris expers, ex inueterata obſtructione trahens originem. Obſtructio fit ex humore craſſo, lento & copioſo, vel ex cerebro delabente in ventriculum, ex quo in tenues iecoris aut lienis venas cum alimento penetrat. Aut fit ex alimentis viſcoſos, craſſos & pituitoſos humores generantibus. Interdum etiam ex bile diutius in iecore coercita, aut ex fæculento & impuro ſanguine diutius lieni inhærente, ſcirrhi earum partium concreſcunt.

Ex eiuſmodi obſtructionibus & ſcirrhis naſcuntur cacchexiæ, icteritiæ, hydropes, & atrophiæ.

CVRATIO.

HOc in affectu eadem eſt curandi methodus atque in ſuperiori affectu, niſi quod lien valentiora quàm hepar medicamenta ſuſtinet.

Itaque primò victus attenuans conſtituendus. In quo frequens vſus capparum, ſummitatum aſparagi, & lupul. probatur.

Alterum in hoc affectu neceſſarium eſt humoris tum phelegmatici tum melancholici pręparatio atque purgatio. Quam ad rem efficien-

dam commoda ſunt cortex radicis capparis, cortex tamariſci, fraxin', radic. graminis, ruſci, aſparagi, lapathi, acuti, acetoſæ, geniſta, ebulus, fumaria, lupulus, ceterac. ſcolopend. & aliæ capillares, end. cichorium, borago, bugl. ſemen agni caſti, cuſcutæ, portul. acetoſæ, ſemina frigida maiora, flores communes, flores ebuli, ſamb. geniſtæ, roriſmar. Surupi capil. acetoſus, de fumar. de duabus & quinque radic. de pomis, oxymel ſimplex & ſcylliticum & ſimiles.

Ad purgationem conferunt thymus, epith. ſenna, polypodium, agaricus, tartarum, catholicum, diaſenna, confectio hamec, diaphœn. indum maius, triphera perſica. Miſceri enim debent phlehmagoga & melanagoga: Nam vterque humor cùm ſit craſſus, poteſt lienis & hepatis obſtructiones & duritiem efficere. Prodeſt quoque tartarum.

Tertiò accedendum ad topica, inter quæ commendantur cortex radicis capparis in potu ſumptus, vel extrà appoſitus: cortex radicis hederæ, & enulæ camp. radicis ebuli & ireos ſuccus, vino ſenſim infuſo dum teruntur. Succus centaurij maioris ſumptus & illitus, cyclamen viride & ſiccum illitum, vinum in quo carbones tamariſci extinguuntur. Puluis ſcolopend. ceterac, & betonicæ, acorum, caprinum ſtercus cum ficubus applicatum, emplaſtrũ de meliloto, dialthea, ceratum œſypi, ammoniacum diſſolutum in aceto miſcetur oleis de cappar. & de lilio. Denique iuuant omnia quæ molliunt, incidunt, tenuant, aperiunt & reſoluunt.

♃ am-

℞ ammoniaci ℥ ij. bdellij, ſagap. opop. ſing. ℈. ij. farinæ lupinorum ℥. ß. farinæ ſeminis lini & fœnug ſing. m̃. j. olei de cappar. ʒ. vj. olei de ſpica & de tereb. ſing. ℥. ij. diſſoluautur gummi in aceto & fiat emplaſtrum, quod applicetur, præcedente fotu ex decoctione corticis radicis cappar. tamariſci, ebuli, ſambuci, ceterac. ſcolopend. & herbarum mollietium, poteris etiam fota regione lienis, magmati illius decoctionis addere farinas ſeminis lini & fœnug. œſypum, adipes, butyrum, olea liliorum, amygd. chamæm. lumbricorum & alia mollientia, incidentia, tenuantia, diſcutientia & ſplenica ad cataplaſma conficiendum.

℞. ſuccorum bryon. & cyclam. ſingul. ℔. ß. olei ℔. j. ß. medullæ crurum bouis ℔. ß. butyri recentis quart. j. bulliant lento igni ad ſuccorum conſumptionem, adde cortices radic. capparis & tamar. ceterac. ſeminis agni caſti, in puluerem redactorum, ſingul ℥. j. ß. miſce & fiat vnguentum quod certa experientia à me comprobatum eſt optimum in ſcirrho lienis. Ammoniacum additur aceto diſſolutum & galb. bdellium, ſtyrax, radix ireos, ſemina apij, cumini, rutæ & flores anethi ac geniſtæ: olea, ſicyonium, ſeſaminum & ſimilia.

DE VMBILICO PROCIDENTE.
CAPVT XLIII.

Vmbilicus prominet aut procidit & interdum aperitur, vel aquarum copiæ, vel flatibus inter perito-

naum & cutem corporis concluſis. Cauſa & ſigna eadem ſunt quæ hydropis & herniarum, quanquam & à vitioſa vmbilici infantis prima ligatura ſucceſſu temporis interdum aperitur.

VMbilici eminentia ſeu procidentia cùm à flatibus fieri ſoleat: victum humorum præparationem & purgationem, quemadmodum de tumore flatuoſo diximus, expetit: in quibus omnibus maximè iuuant ſemina flatus diſcutientia, vt aniſi fœnic. cumini, dauci, carui, ſeſeleos, ameos, rutæ. Poſt purgationē vis concoctrix ventriculi confirmanda tum aſſumptis, tum admotis, ſicut ſuprà dictum eſt, de tumore flatuoſo & œdemate.

In topicis, Raſis pulueris ſpicę celticæ ℥ ß. cum terebinthina miſcet atque applicat in formam emplaſtri: vel illa miſcenda cum oleo, ſeſamino vel amyg. in formam vnguēti, vel in formam epithematis: vt ſtupæ eo imbutæ applicentur: Aut ex eodem Raſi lupinos amaros & pannos lineos comburito: vino perfundito, & cum ſtupis adponito: fotus etiam fit ex decocto aſtringentium: poſtea lentes & arnogl. ſimul cocta in formam catapl. admouentur: Thus quoque cum albumine oui, gallis, malicor. acacia prodeſt.

DE ANI TVMORE.

CAPVT XLIV.

TVmet Anus condylomate, aut hæmorrhoidibus. Condyloma eſt tuberculum in ani margine ortum grani vuæ mori, aut ficus effigiem referens. Ex atro melancholicóque ſanguine illic ſenſim extuberat, tædio

potius quam dolore moleſtum.

Hæmorrhois tumor eſt ex eadem in ano collecta materia ſurgens, ſed grauiore dolore excrucians breuiorique tempore extuberans quàm condyloma.

CVRATIO.

COnſtituenda victus ratio huic affectui congruens, vena ad reuulſionem ſecãda in brachio, ſi ſit à ſanguine tumor: aluus non eſt cienda vehementibus medicamentis, ne in partem affectam recrementa ducantur: ſed ciendæ potiùs vrinæ aut vomitus prouocandus, niſi ſit ad phthiſin propenſus æger: confert enim vomitus ad reuulſionem.

In topicis initiò vtimur oleo roſ. vel myrt. vel cydo. cum oui albumine. Aut cydonia cum aceto & aqua cocta, miſcenda cum oleo roſ. & in formam catapl. admouenda: cui adiicere potes corticem granatorum, & gallas virides coctas in aqua, vel vino rubro.

In augmento ad repellendum & diſcutiendum iuuant lentes coctæ cum gallis viridibus, ouum integrum cum oleo violaceo, vnguento roſato & tantillo croci: in ſtatu mediocriter diſcutientia cum anodynis ſunt admouenda, cuiuſmodi ſunt chamæm. melil. ſemen lini & fœnug. roſmarinus, & à proprietate, cerebrum anſeris & eius adeps.

℞. lentium pug. iij. florum chamæm. melil. ſambuci ſingu. pug. ij. coquantur & terantur addendo farinæ ſeminis lini & fœnug. ſing. ℥. j. butyri recentis ℥ ij. pingued. anſeris ℥. j. cerebrum eiuſdem, vitellum oui, croci modicum, miſcè, fiat catapl. Dolor ſedabitur oleo viol. vel hyoſc.

oui albumine, vel vitello & croco: Aut catapl. de pomis præſcripto. cap. de ophthalmia.

Cùm tumor ad ſuppurationem tendit, coquuntur radic. altheæ & lilij, malua, viol. tapſus barbatus: decoctioni adde oleum viol. butyrum & vitellos ouorum: aut vtere emplaſtro ex cepe.

Poſt ſuppurationem ſtatim aperiatur vomica: ne fiſtula inde oriatur ob puris retentionem eiuſque acrimoniam.

DE BVBONE VENEREO.

CAPVT XLV.

Bubo luis Venereæ aliquando character eſt in inguinibus prominens, ex maligna & venenoſa luis venereæ materia in eas partes propulſa. Cognoſcitur venereus eſſe bubo ex ſignis quæ eum morbum comitari ſolent, qualia ſunt defluuium capillorum, & barbæ, maculæ inſtar lentiginis toto corpore efflореſcentes, cruciatus nocte ingraueſcentes.

CVRATIO.

Victus in hoc affectu tenuis debet eſſe, cibique euchymi. Vena initiò nequaquam eſt ſecanda, nec medicamentum laxans propinandum: ne naturæ motus impediatur: ſed ſi natura ad expulſionem tardior videatur: attrahentib. eſt adiuuanda: vt aquâ & oleo calentibus, vel decoctione lilij, altheæ, maluæ, viol. ſeminis lini & fœnug. quâ foueatur tumor: vel cucurbiculæ affigantur. Poſtea ad reliqua topica progrediendum qualia ſunt ſequentia: quæ vim habent attrahendi & diſcutiendi.

♃. emplaſtri. diachyl. ireati ℥. iiij. terebint. ℥. j. amurcæ olei de lilio quart. ß. fiat ceratum. vel,

♃. diachyl.

℞. diachyl.magni cum gummi ℥.iiij.miſceantur cum oleo irino,& fiat ceratum. Si in medio galb.ʒ.j.addideris,magis trahet. vel,

℞ ammoniaci,bdellij,opop.diſſolutorum in aceto acri ſing.℥.j.terebint.lotę ℥ j.ß.florum chamæ. ſamb.ſing.pug ß.pulueris iridis florentiæ.ʒ. ß.olei chamæ.vel de lilio quantum ſuff.fiat forma emplaſtri.Tumor verò ſi medicamentis diſcutiẽtibus ſit contumax,ad ſuppurantia confugiemus: de quibus iam pleriſque in locis dictum eſt:præſertim de bubone peſtilenti : deinde vomica eſt aperienda. Interiectis aliquot diebus, ſi adſint ſcopi ſanguinis mittendi,venã tundito,catharticũ exhibeto,pro humorum & corporis natura,alioqui ægro periculũ immineret incidendi in morbum venereum.Eadẽ verò medicamenta laxãtia hic conuenient,quæ in morbo venereo. Iamque ad vlcus eſt redeundum : quod deterges primò quidem mitioribus,ſi dolor adſit:tandemque ad valentiora gradiendũ:ac toti buboni emplaſtrũ diuinum,vel diachylon ireatum admouendum. Tam dedecens autem ſi fuerit diſcutiẽdum vſus, vt iam ſubnaſci ſcirrhum animaduertas,ad mollientia de quibus copioſè capite de ſcirrho diximus,te recipito:& radicem bryoniæ ac cucumeris agreſt.tum ad incidendum, tum ad molliendum,tum ad diſcutiendum permiſceto. Quando malet æger bubonem diſcuti ac reſolui quàm pus gigni, clyſma commune iniicito, & cathol. aliaque laxantia in eo diſſoluito.deinde,

℞. pilul.hieræ ſimpl.& pilul. aſſaieret. ſingul. ʒ.ij.miſceantur : & cum oxymel. ſcyll.in quo agarici ʒ.j.ſit infuſas,fiant pilulæ,de quibus ſumat

iiij. ſingulis iiij. diebus horis duabus ante cænam:

℞. olei lil. ℥. j. olei chamæm. ℥. ß. miſceto: bubonem linito: & lana ſuccida operito.

℞. emplaſtri de melil. & mucilag. ſing. ℥. ij. miſceantur cũ oleo de lilio, & parti admoueantur.

DE INFLAMMATIONE SCROTI ET TESTIVM.

CAPVT XLVI.

INflammatio teſtium & Scroti ab humoribus calidis in eam partem decumbentibus naſcitur. Ea nonnullis Chirurgis dicitur hernia humoralis, quod eæ partes intumeſcant ex humoribus eas incendentibus. Aliud in iiſdem partibus naſcitur ſed à frigidiore materia. Signa habent communia cum aliis ſuperius deſcriptis.

Ea apoſtemata difficilioris ſunt curationis propter partium eximium ſenſum, quòd ſint emunctoria aliarum partium, & quòd facilè corrumpantur & putreſcant.

CVRATIO.

TEſtium & ſcroti inflammatio expetit victus rationem, venæ ſectionem, vel ad euacuationem, vel ad reuulſionem & purgationem, quemadmodum diximus de tumoribus calidis, iuxta humorum naturam & mixtionem. Ad reuulſionē etiam proderit vomitus, niſi ſit ægrotus ad tabem propenſus. Aluus glandibus, vel clyſteribus ſubducenda potiùs quàm medicamentis valentibus. Vrinæ quoque ciendæ non ſunt: ne corporis recrementa in partem affectam adducantur. Topica erunt præſcribenda pro temporum, morbi totius diuerſitate & partis natura.

In principio quidem ad repellendum nonnihil vtilitatis afferent oleum roſ. vel myrt. vel cydon.

don. cum cimolia & aceto, atque oui albumine in forma linimenti: aut ſuccus plantag. vel ſolani cum oleo roſ.& ouo integro tum ad repellendum, tum ad dolorem leniendum.

In augmento partim ad repellendum, partim ad diſcutiendum, partim ad molliendum, partim ad leniendum.

℞.rad.alth.℥.iij.rad.lil.℥.ij.rad.cucum.agreſt. ℥.j.ß.mal.viol.brancæ, roſ.ſing.m̃.j.ſummitatum abſyntij m̃.ß.roſ.rub.& florũ viol.ſing.pug.ß.florum chamæm.melil.ſamb.ſing.pug.j.coquantur, terantur, cribro tranſmittantur, addendo farinæ hord.& fab.ſing.℥.ij.axun.gall.recentis ℥.j.ß.olei chamæm.& roſ.ſing.℥.ij.croci ʒ.ß.miſce, fiat catap. Proximè ſtatum ſi magis velis diſcutere.

℞.radic.altheæ ℥.iiij.mal.plantag.cauliũ rub. ſing.m̃.j.florum chamæm.melil.ſamb.ſing.pug.j. roſ.rub.pug ß.coque, tere atq; adde farinæ fab.℥. iij.far.ſeminis lini & fœnug. ſing.℥.ß.ſeminis cumi.in puluerẽ redacti ℥.j. coriand. ſimiliter pulueriſati ℥.ß.coquantur iterũ ad craſſitiem: poſtea adde olei chamæm.& anethini, aut de lil.ſing.℥. j.ß.pingue. gal.℥.j. miſce & fiat catapl. Poſſunt etiam alth.mal.viol.roſæ.chamæm. melil.ſemina lini & fœnug. cũ farinis fab.& hord.vel lupinorum, ſi minor ſit calor, coqui in æquis partibus aquæ communis, & lixiuij, poſtea addi adipes & oleum chamæm.ac anethinum, fieriq; catapl.

Ad dolorẽ leniendũ proſunt lac, butyrũ & ol. roſ.mixta: aut catapl.ex hyoſc.mal.chamæm.farina hord.& fab.cũ oleo roſ.& chamæm. Aut folia hyoſc.contuſa & appoſita ad ſtuporem. Si tumor non diſcutitur, ſuppuretur, vt tumor mãmarum,

De tumore ſcroti ac teſtium ab humore frigido.

In hoc tumore victum attenuantem & ſiccantem conſtitutio humores incidentibus, tenuantibus non tamen aperientibus, ne eò ferantur excrementa, præparato: aluum phlegmagogis mediocribus ſubducito: vomitum ad reuulſionem cieto: poſtea ventriculum roborato.

In topicis ad dolorem leniendum, & reſoluendum conferent far.hordei, fabarum, orobi, lupin.ſeminis lini.fœnug. Flores chamæm. melil. ſtæch. roriſmarini: Adipes anſeris, anatis, gallinæ, medulla cruris vituli, mica panis: Oleum chamæm. anethinum, irinum, cum modico olei roſ. vel myrt. Si medicamentis valentioribus opus, redeundum ad caput de œdemate.

DE HERNIA AQVEA ET FLATVOSA.

CAPVT. XLVII.

Hernia ſeu ramex fit in inguinibus, vel in ſcroto: cui tam mulieres quàm viri obnoxij ſunt. Eſt autem tumor ex illapſa in has partes quapiam materia. Quæ quum ſit multiplex, varias etiam gignit herniarum differentias, Aut enim flatus eſt, Aut aqua quæ influit, & dicitur hydrocele, aut caro quædam ibi adnaſcitur, & dicitur ſarcocele. Aut inteſtinum eſt quod illabitur & vocatur enterocele, Aut omentum ſeu peritonæi membrana, & fit epiplocele. Si peritonæum in inguina delabitur, dicitur bubonocele.

Signa ſingulorum ramicis generum conſpicua ſunt. Ramex inteſtinorum ægritudo difficilis eſt. At aquoſa hernia facilis. Carnoſus ramex ægrè aut nunquam curatur. Omnes inueterati ramices ſuſpecti ſunt

ne te-

ne teſtes corrumpant.

CVRATIO.

QVæ in vniuerſum de tumore aqueo & flatuoſo ſuperiùs dicta ſunt, ea huc quoque ſunt referenda. Præterea iuuat catapl. ex baccis lauri, farina fab. & fœnug. ex furfure, ex puluere cumini, ammoniaci terebint. ſapa, oxymel. & oleo laurino ſimul mixtis, vt ſæpe ſum expertus. Nec mediocriter adiuuat cataplaſm. ex ſtercoris bubuli ℔. j. pulueris cumini. ℥ j. baccarum lauri. ℥. ß. cum furfure, antè tamen eorum vſum locum fouebis decocto pulegij, calaminti, origani, ſeminis aniſi. fœnic. dauci, cumini, carui, ſeſel. ameos, rutæ, florum chamæm. melil. ſaluiæ, ſtæch. anthos & ſimilium.

Poſtea lines oleis de ruta, de coſto, de caſtor. de euphorbio, de baccis lauri & ſimilibus: deinde admouebis cataplaſ. in quibus omnibus tibi erit vidēdum, num plus ſit flatuum, num plus ſit ſeri ſeu aquę in tumore: Nam vbi plus eſt ſeri, maior debet eſſe furfuris quantitas: vbi plus flatus, etiam augebis flatus diſcutientia: hernia aquoſa ſi iis non cedat, aperiatur in loco magis decliui.

Hernia verò flatuoſa curationem manuariam non admittit.

De Enterocele & Epiplocele.

HIc affectus vel chirurgia, vel pharmacia curatur. Chirurgiam peritus chirurgus relinquet empiricis, pharmaciam verò ſuſcipiet, in qua primo victus ratio inſtituenda tenuis, vſus ciborum laudati ſucci probatur. Vitentur autem omnia flatuoſa, vt legumina, rapum, herbæ recentes, fructus horarij, omnia quæ diffici-

è coquuntur, & reliqua, vt de tumore flatuoſo, & de œdemate dictum eſt, fugienda ſatietas & immoderata repletio, corporis agitatio, ſaltus, coitus & vociferatio. Aluus perpetuò liberè fluat, præſertim in enterocele, ne ſtercus induratum in inteſtino, quod in ſcrotum delabitur, plurimum negotij faceſſat.

Secundò euacuationi & humorum præparationi ac purgationi eſt inſiſtendum. Proinde ſi in adoleſcente (nam is adhuc ob partium mollitiem & humiditatem medicamentis curari poteſt, tametſi iam difficiliùs quàm pueri & infantes) ſi inquam in eo adſunt plenitudinis indicia, venæ ſectio proderit: priùs iniecto clyſtere ex decocto mollientium, ſymph. & tamarind. humores præparabuntur iuxta eorum naturam: ſi craſſi & viſcidi, tenuantibus & incidentibus, ſi tenues & acres, incraſſantibus & acrimoniam obtundentibus: quæ dicta ſunt in methodo generali. Poſtea purgabuntur iis medicamentis quæ relinquant aſtrictionem, qualia ſunt tamarind. rhabar. & omnes myrobal. ſpecies.

℞. maſſæ pilul. alephang. ʒ ij. ß. pilul. de bdel. ʒ j. ß. capiat pilulas iij. horam vnam ante cœnam ſemel in hebdomade.

Tertiò vtendum opiata ſequenti, quæ aſtringit & ſiccat.

℞. conſeruæ ſymphyti maioris, conſeruæ roſarum antiquæ, corticis citri, ſacch. conditi ſingul. ℥. j. ſigilli beatæ Mariæ, iaceæ albæ & nigræ ſing. ʒ. ij boli arm. in aqua roſarũ loti, ſanguinis drac. ſing. ʒ. ij ß. acaciæ, hypociſt. ſingul. ʒ. j. ß. carnium cydon. ſacch. cond. ſine aromatibus ℥. ij. limaturæ

chalybis

chalybis ℥.j.ſyrupi myrtini quantum ſufficit, fiat opiata : de qua capiat manè ante paſtum inſtar nucis, & poſtea bibat modicum vini rub. aqua ſymphyti,vel agrim.diluti.

Quartò procedendum ad topica: quæ etiam vim adſtringendi,glutinandi,& ſiccandi habeāt.

℞ pſidiæ, balauſt, nucum cupreſſi, calicum glandium ſing.℥.j.ß. glaſti,plantag. ſymph.valerianæ ſingul.m̄.j.florum roſ.chamæm. melil.anethi ſing.pug.j. coquantur in vino rubro auſtero & foueatur locus.

℞.maſſæ emplaſtri contra rupturam & emplaſtri de maſtiche ſing.℥.iij. lapidis magnetis ℥.ij.acaciæ, hypociſt.boli arm.ſing.ʒ.ij. miſceantur cum oleo cydon.& de terebint.ac fiat maſſa emplaſt.quod applicetur & xv. quoque die renouetur,ac perizomate circumligetur. vel,

℞.herbæ hernioſæ quātum vis,tertio,ac paulatim vinum album auſterum affundito,& quotidie manè ʒ.iij. vel iiij.potui dato : Poſtea aquis roſ. plantag. ſolani & ſymphyti aliiſque aſtringentibus locum foueto. deinde,

℞.herbæ herniolę m̄.iiij.in vino albo & auſtero coquito , & dieb.ſing. in formam catap. affigito,vel ſequentibus etiam expertis vtitor.

℞.corticis granatorum,balauſt.calicum glandium ſumac,ſing.ʒ.j. herbæ hernioſæ, calcitrapæ & ſimphyti ſing.m̄.j. hypociſt.gallarum, aluminis,ſingu.ʒ.ij. roſ.chamæm.anethi. ſingul.pug.ij. coquantur in æquis partibus vini auſteri & aquæ fabrorum & ex decoctione foueatur locus.

℞. rad.ſymph. & oſmundæ regalis ſingul.℥.ß. herbæ herniariæ m̄.j. far.fab. & hord. ſingul.ʒ.ij.

cum aqua fabarum & vino auſtero, fiat catapl. Et dum hæc fiunt, bibat ſequens decoctum.

℞. rad. ſimph. & oſmundæ regalis ſing. ℥ vj. fiat decoctio in æquis partib. aquæ & vini albi, in col. diſſolue ſyrup. viol. & cydoniorum ſing. ℥. ij. ß. fiat iulep. pro iiij. doſibus.

Cùm fotu præcedenti & cataplaſmate xv. dies vſus fuerit, ſequentibus vtetur viij. diebus.

℞. aluminis ℥. ß. bulliat in ℔ j. aquæ fabrorum ad medias, & fiat fotus.

℞. gummi elenij ʒ. iiij. maſtich. olibani ſarcoc. ſing. ʒ. ß. mirob. cebul. & indarum ſingul. ʒ. ß. olei myrtini quantum ſufficit, emplaſtri contra rupt. ℥ j. miſce & admoue. Proderit ſemper & ad curationem & ad præſeruationem circumcingi perizomate, ſubligaculo, & firma ligatura. Quando inteſtinum delapſum eſt, in quo ſtercus induruit: adeò vt clyſter immitti non poſſit, fotu ex mollientibus tendanda eſt inteſtini reductio.

Alia curatio empirica.

Radicem vnam lilij & apij ac hederæ terreſtris ſingul. m. j. capito: in ℔. ij. aquæ ad medias coquito: ne quid dum coquuntur exhalet, caueto: colaturam in tribus doſibus potui dato: magna in treis globulos redigito: & ſingulis tribus diebus ſingulos globulos in ſartagine cum oleo frixos apponito: & ſtupis ſuperpoſitis partem perizomate circunligato: ſexies aut ſepties decoctionem repetito: interea ægrotus ſupinus decumbito & duodeuiginti dies in lecto maneto.

DE

DE TVMORIBVS PENIS. CAPVT XLVIII.

Penis tumor aliquando cum inflammatione & dolore excruciat ex nimio membri labore, vt equitatione, coitu, &c. ſanguinea illic materia collecta & putreſcente. Aliquando ſine inflammatione, quum aquoſa quadam materia, aut flatus, quemadmodum in herniis dictum eſt coaceruantur, ademaq́ue progignunt.

Signa calidi apoſtematis ſunt tumor, rubor, durities, dolor. frigidi ſunt tumor albidus ſine rubore & dolore, niſi flatus permixti ſint qui dolorem ex tenſione inferant, color pellucidus, tactui pars obmurmurans ſi aqua ſit, aut materia vagans ſi flatus.

Inflammata ea pars non caret periculo propter ſenſus ſubtilitatem quo exquiſitè pollet, & propter membri naturā quod maximè putrefactioni obnoxium eſt.

CVRATIO.

PEnis tumorib. calidis eadem proſunt, quæ antea ſcroti & teſtium inflammationi prodeſſe diximus, & in vniuerſalibus, & particularibus remediis, obſeruata temporum tumoris varietate. Penis tamen magis aſtringentia recipit, quàm ſcrotum & teſticuli. Commodè verò valenter aſtringentia pectini admouentur ad fluxionem prohibendam, quale defenſiuum noſtrum de quo ſuprà cap. de carbunc. Et peni initiò proderit ſuccus vel aqua ſolani cum cimolia: vel ſuccus ſolani vel plantag. cum ouo, aut oxyrhodinum cum bolo in forma linimenti, aut lentes, cortex mali granati, & roſæ ſiccæ cum oleo miſcentur & coquuntur ac loco applicantur. Cùm vehemens dolor adeſt ab intemperie

calida iuuant folia hyoſc. & maluarum cocta, & oleum viol. cum oui albumine: aut mica panis infuſa in lacte cum vitellis ouorum, addito tantillo opij & croci, oleum papauerinum, & emplaſtrum de pomo ſub cineribus cocto cum lacte.

Procedente tumore fiet catapl. ex far. hord. lẽtium, oleo roſ. vel viol. & ſucco portulacæ: poſtea remiſſo calore ſuccus origani iis miſcebitur. Si tumor frigidus, eadem ſunt facienda tum in vniuerſalibus tũ in particularibus, quæ de tumore frigido ſcroti & teſticulorum diximus: cumq; voles valenter reſoluere, coques lẽtium & hord. ac fab. far. ac ſtercus caprinum in ſuccis betonicæ & origani, vino rubro auſtero & aceto. Si ſtatus miſceantur, adde rapum & raphanum. Potes etiã ad methodum vniuerſalem recurrere.

DE GENVVM TVMORIBVS.

CAPVT XLIX.

Tumor in genibus naſcitur alius phlegmonodes, alius œdematodes, Phlegmonodes ex ſubtili ſanguine, aut birlioſo inter articulos effuſo & putreſcente gignitur. Oedematodes ex pituita illic congeſta, aut ſero ſanguinis vel flatibus concluſis exurgit. Phlegmonodes dolores interdum maximos inducit, quòd ſenſu exacto articuli præditi ſint. Oedematoſi doloris ſunt expertes. Interdum calidius cum frigido humore complicatur quod in curæ inſtitutione maximè obſeruandum eſt.

Minùs videntur habere periculi illis in partibus apoſtemata, quòd à nobilibus ea ſatis remota ſint, diu tamen ægrum contorquent, difficilliſq; fiunt reſolutionis, quòd partium ſuperiorum excrementis recipiendis ſemper ſint obnoxia.

CVRA-

CVRATIO.

GEnuum tumores ab humore calido ſunt profligandi victu tenui & frigido, venæ ſectione, cucurbitulis & aliis reuulſionibus, ac medicamentis catharticis. Denique topicis remediis tum repellentibus, tum diſcutientibus, iuxta temporum morbi varietates, ſimul etiam anodynis, de quibus omnibus ſatis dictum eſt in methodo vniuerſali: hoc tamen obſeruandum videtur, quòd ſcarificationes cùm illis eſt opus prudenter fieri debent: nam omnes articuli ſunt imbecilles, præditi tamen ſenſu exacto, vnde ex ſcarificatione ſequitur dolor & alia accidentia. Tumores verò œdematoſi, vel à pituita, vel à flatibus, vel ab aqua ſeu ſero ſanguinis, vel ab illis tribus ſimul mixtis, victum & cathartica requirunt, ſicut in methodo vniuerſali diximus: laudatur etiam puluis ex turbith ʒ.ij. (modò ſit turbith. optimum) hermodactyl. ʒ.j. zingib. ℈.j. ſacch. ℥.ß de quo ſumantur ʒ ij.ß. cum decocto cicerum rub. topica fiunt ex medic. incidentibus, detergentibus, diſcutientibus & ſiccantibus etiam antè dictis: fotus fiunt lixiuio ex cinerum ſarmentorum ℔.ij. ſalis ʒ.ij. & ſulph. tantundem. Poſt fotum emplaſtru[m] de ſinapi admouendum: vel, capito farinæ hord. & fab. ſingul. ʒ.iiij. furfuris m.ij. ſtercoris caprini ℔.ß florum. chamæm. melil. ſingul. pug. j. olei chamæm. & anethini ſingul. ʒ.ij. lixiuij & ſapæ quantum ſufficit, fiat caplaſma.

Dolori ſedando confert hyoſc. cum ſtercore ouillo & aceto: vel ſtercus bubulum cum aceto,

vel ſtercus caprinum cũ poſca, & hordei farina. Cùm humor calidus cum frigido miſcetur, etiam indicationes ſunt complicatæ: tũcque lixiuij loco vti potes muccag. altheæ, vel eius decocto.

DE TIBIARVM ET PEDVM TVMORIBVS, QVOS ELEPHANtiam vocant.

CAPVT L.

Tibiarum & pedum tumores eiuſdem ſunt naturæ cum genuum œdematis, hoc vno excepto, quod tibia careat articulis. Ideo leuioribus doloribus expoſita. Facilè tamen eæ partes ob decliuem etiam ſitum ſuperiorum ſuperuacaneos humores excipiunt.

Cauſæ, ſigna, & curatio eadem etiam ſunt cum ſuperioribus. At præter eiuſmodi tumores, alij longè grauiſſimi: ex impuriſſimo morbo iis in partibus extuberant, qui licet ex eadem aut ſimili materia, ex craſſo videlicet & fœculento ſanguine vel terreno humore conſtent, venenum tamen quoddam & corruptionem inſignem copulatam habent. Quales enim ſunt cauſæ Elephantiæ, & prout hereditariæ, aut ex contagione morbum inuexerunt, abſceſſus & tumores ex iis cauſis progeniti facilitatem vel difficultatem habebunt.

CVRATIO.

VIctum tenuem, calidum & ſiccum hic affectus exigit: ciboſque qui facilè coquantur, ac ſanguinem laudatum, non pituiteum, nec melancholicum gignant.

Secundò ſi humori ſanguis permixtus appareat, vena ſecanda, & aliæ reuulſiones faciendæ in partib. ſuperioribus: vomitus ciendus: cathartica quæ pituitam & melancholicam purgent, vt de

de œdemate & ſcirrho dictum eſt, exhibenda.

Tertiò in topicis proderunt incidentia, tenuantia, mollientia, rarefacientia, detergentia, diſcutientia cum aſtringentibus ad partem confirmandam. Fotus fiet lixiuio ex cineribus ſarmentorum quercus, ficus, caulium, in quo concoxeris pulegium, calamentum, origanum, lupinos, ſtœch. ſulph. & ſal, cum aſtring. vt acacia, hypociſt. alumine & ſimilibus. Acetum quoq; cum aqua fabrorum confert: Terra lemnia: bolus arm. cum aceto vtilis, deniq; conueniunt quæ de chiragra diximus. Poſt fotum,

℞. ſulph. ℥.j. ſterc. columb. ℥.x. far. fab. furf. ſing. ℥.j.ß cum decocto aſphodel. ſucco caulium rub. & aceto, fiat cataplaſma.

Faſcia quoque qua tibia circumuoluitur, imbui poteſt vino auſtero, vel decocto aſtringentium, vt etiam facimus in œdemate, tumore flatuoſo & aqueo.

DE VARICIBVS.
CAPVT LI.

Varix eſt immodica venæ dilatatio, in cruribus præſertim frequētiſſima. Ea fit, aut ab externa cauſa, vt nimio conatu, cōtuſione, ictu, caſu, aut ab interna, vt à plethora ſeu nimia vaſorum repletione. Idque maximè ſi ea craſſo & melancholico ſanguine turgeant. Incipiunt autem cum inflatione, dolore & quadam veſicatione.

Signa ex vena dilatatione, atro illius colore, tumore & puſtulis conſpicua ſunt.

Antiquæ & confirmatæ varices difficilis ſunt curationis. Niſi rarò cuóq; varices curentur in vlcera maligna & cancros periculoſos degenerant.

CVRATIO.

VArices initio victus rationem ad laudatum ſanguinem gignendum , dextræ venæ iecorariæ apertionem, medicaméta humorem melanch. & craſſum præparantia & purgantia, vt dictum eſt de ſchirrho & cancro, expoſtulant.

Topica initio roborantia & aſtringentia eſſe debent ex bolo arm. terra lemnia, nucibus cupreſſi, gallis, acacia, hypociſt. quibus addentur cyperus, thus, tragag. hord. farina: fientque ex iis fotus & cataplaſmata. Ea etiam cum oui albumine & aceto poſſunt miſceri. Prodeſt etiam emplaſtrum contra rupturam & ſimilia: faſcia quoque vino auſtero vel decocto aſtringentium eſt imbuenda ad ligaturam.

Varix ſi medicamentis non cedat, ad chirurgiam confugiendum, quemadmodũ Guido præſcribit: Cutis eſt præſcindenda: varix aperienda: ſanguis ex ea educendus: infrà poſtea ſupraque liganda, præſcindenda & vtrique fini venæ cauterium applicandum. Soleo tamen minori labore & dolore acu adunca & recurua filum traducere ſub vena: eamque ligare ac filum relinquere, donec ex ſeſe cadat. Ad diſcutiendum humorem in parte contentum, vtor fotu ex lixiuio, deinde emplaſtro ex attenuantibus, diſcutientibus & ſiccantibus.

Diuturnas varices tutum non eſt curare nec medicamentis, nec chirurgia, quemadmodum nec hæmorrhoides inueteratas, niſi ægrotus temperantiſſimè viueret: ac frequenti vteretur purgatione, atque interdum venæ ſectione.

LIBER

LIBER SECVNDVS ENCHIRIDII CHIRVRGICI Antonii Chalmetei, vniversalem curandorum vulnerum curationem tractans.

De vulneribus. Cap. I.

Qvoniam ſuperiore tractatu præter Enchiridÿ legem nonnullis fortaſſe videbimur longiores, etiamſi quàm maximè conciſè fieri potuit, omnia tradiderimus: fatemur tamen quum ſeorſim illic ſingula excuteremus, multa quæ variis affectibus erant communia variis repetere in locis coactos fuiſſe. Nunc verò maiore compendio, ac ne cogamur rurſum multa in ſingulis ſuperuacantè recantare, generali tantum theoria, de Vulneribus tractatum inſtitu mus, in quo tamen nihil, aut parum eorum quæ ſeorſim in vno quoque affectu fuſius explicari ſolent deſideretur. Si quid tamen hîc dicendum reiicere videbimur, quum vulnera in vlcera tranſmutata, aut ſpontanea ipſa vlcera multa cum abſceſſibus habeant communia, puto in theoria de Tumoribus & apoſtematibus ſatisfactum eſſe, indeq; mutuandum, quod ſequentibus tractatibus adÿciendum eſſe videbitur. Itaque omnem vulnerum contemplationem ſic tandem paucis complectemur.

Vulnus eſt in quacumque corporis parte, ſiue ſimilari, ſiue organica, extrinſecus facta cõtinui ſolutio. Soluitur autem continuũ tribus modis, punctione, inciſione, cõtuſione. Punctio eſt alicuius membri perforatio à re acuta, vt mucrone, ſagitta, pugione, aut morſu animalium facta. Inciſio eſt plaga cæſim illata inſtrumento longioris

aciei, vt enſe. Contuſio interna eſt membri ſolutio, ex-
terna ſpecie integra apparente. Ea fit mẽbri ad rem gra-
uem colliſione, vt ſi impingat in lapidẽ, aut ligno acriùs
percutiatur. Triplici nomine pro varietate partium in-
ſignitur. Aut enim eſt mollioris partis vt carnis colliſio,
& dicitur Contuſio, Aut durioris vt oſsis, & dicitur fra-
ctura, Aut tenſarum partium, vt nerui, venæ, membra-
næ, arteriæ, tendonis, & dicitur ruptio. Quoduis autem
vulnus triplici modo aut ſimplex eſt, aut compoſitum.
Vno modo ſimplex cum punctione, aut inciſione, aut con-
tuſione ſeorſim continuum ſoluitur. Altero modo quum
cutem tantùm extimam aperit, aut ſi profundiùs pene-
trat, nulla tamen fit ſubſtantiæ deperditio. Tertio modo
quum ſolitarium eſt vulnus nullumq́; graue ſymptoma
copulatum habet. Compoſitum triplici quoque ratione
tale dicitur. Primò cum punctione, & inciſione, aut pun-
ctione, inciſione & contuſione ſimul iunctis infertur. Se-
cũdo modo Compoſitum dicitur quum præter cutis aper-
tionem aliquid aut multum de ſubſtantia deperit. Ter-
tiò compoſitum eſt vulnus, quod veneno aliquo inficitur,
quale ex morſu venenoſorum animalium, vel inſtru-
mentis veneno imbutis infligitur, aut quod grauiore
aliquo ſymptomate, vt flegmone, pruritu, dolore graui
moleſtum eſt. Vtrumque vulneris genus ſiue ſimplex ſi-
ue compoſitum in plures alias diuiditur differentias. Eſt
enim vel longum vel breue, magnum vel paruum, re-
ctum vel obliquum, æquale vel inæquale, profundum aut
ſuperficiem tantum diuidens, latum aut anguſtum.
Quorum omnium proprietates magis nota ſunt, quàm
quas hic fuſiùs explicari oporteat.

Signa quibus demonſtratur quæ ſimilaris pars corpo-
ris, ex quouis vulnere laboret certiſsima hæc ſunt. Inci-
ſam eſſe venam copioſa ſanguinis indicat profuſio, quóq;
copioſior

copioſior, eò maiorem & turgidiorem venam ſectam demonſtrat. Sanguis autem nullo ſaltu aut pulſu, ſed æquabiliter profluit. Neruum vulneratum eſſe indicant, motus aut ſenſus aut vtriuſque priuatio, torpor partis vulneri ſubiectæ, grauis nonnunquam dolor cum febre & inflammatione in gangrænam interdum deſinente, conuulſio. Paralyſis, præſertim ſi compunctus ſit neruus potiùs quàm præciſus, delirium, ſyncope. Iiſdem propemodum ſignis tendones, membranæ præſertim capitis, articulorum vincula cæſa eſſe demonſtrantur.

Quæ verò organicarum partium interius affecta ſit vulnere, his ſignis demonſtratur. Caput intus ſauciatum indicant, ſanguis intro effuſus, deinde à naribus, oculis vel auribus proſiliens, ſenſuum ſtupor aut defectus, neruorum diſtentiones, atrox dolor, inflammatio, delirium, vomitio, mentis vacillatio, atq; ſi anteriùs cerebrum vulneratum ſit. Si verò poſteriùs, memoriæ extinctio, portio etiam cerebri interdum excidens.

Pectoris cauum vulnere penetrari indicant, flatuum eruptio in expirationem, medicamentum vulneri impoſitum ori ſaporem ſuum impertiens. Pulmones in cauitate thoracis ſauciatos demonſtrant expuitio ſpumoſa & cruenta, anhelitus difficultas, cum ſono, tuſſis, peripneumonia, quam niſi mors repentina ingruat, febris & marcor conſequuntur. Corde confoſſo extrema corporis frigeſcunt, frequens animi deliquium, ſudores frigidi, quos mors tandem ac breui conſequitur, præſertim ſi eius ventriculos vulnus penetret. Transfixum diaphragma indicant, præcordiorum conuulſio, magna anhelandi difficultas, tuſſis & cruenta expuitio, aliquando liuida & fœtida, mentis perturbatio, & alia quæ pulmonem vulneratum etiam indicant. Vulnus ventriculi demonſtrant cibi potúſve foras eruptio, ſingultus, nau-

ſeæ vomitio, animi defectus. Inteſtina d ſſecta oſten-
dunt, fæcum per abdomen exitus fœtor è vulnere exha-
lans, inſignis putredo in locis orta. Iecur ſauciatum eſſe
teſtantur cruenta deiectiones & vomitiones, reductio
præcordiorum ad ſpinam, punctiones lateris, & dolores
ad iugulũ vſque protenſi, animi defectio febris, alui pro-
fluuium, totius corporis ex atrophia marcor & abſum-
ptio, ſudor frigidus mortis nuntius, ſi altiùs ſubierit vul-
nus. Eadem ſigna ſed leuiora lienem vulneratum conſe-
quuntur. Læſos renes ſigna hæc indicant, vrinæ parcimo-
nia, eiuſdem cruenta mixtio, dolor in vreteribus, ingui-
nibus, & teſtibus, hydrops ex vrina ſub abdomine colle-
cta. Veſicam percuſſam indicant eadem propemodum ſi-
gna, vrinæ profuſio è vulnere, ſingultus, vomitio, deliriũ.
Diſſectam ſpinæ medullam arguunt ſubditarum par-
tium reſolutio, ſenſus ac motus interceptio inuolunta-
rius modò vrinæ, modò ſtercoris, modò ſeminis exitus.

Vulnera ſubſtãtiam cerebri, pulmonũ cordis, diaphra-
gmatis, partium principibus membris inſeruientium, vt
aſperæ arteriæ, œſophagi, &c. Ventriculi, folliculi bilis,
hepatis, lienis inteſtinorum præſertim gracilium, veſicæ,
articulorum altiùs ſubeuntia mortem inferunt. Itẽ vul-
nera neruis, tendonibus & muſculis fortiter extẽſis ma-
gnáq; vi laborantib. inflicta, lethalia ſunt. Venæ tempo-
rum pulſatiles in iræ exacerbatione ſecta, vulneratum in
diſcrimen vitæ vocant. In hydropiſi vulnera vitæ pericu-
lum inferunt. Vulneri ſpaſmus ſuperueniens, malum.

De affectibus aut ſymptomatis quæ vulnera conſequi
ſolent.

Symptomata, aut affectus vulnerũ comites, ſunt ſan-
guinis profluuium, intẽperies, dolor, abſceſſus inflãmatio
tio, conuulſio, paralyſis, ſyncope, febris & mẽtis perturbatio.
Sanguinis fit profluuium, ex venis & muſculis inci-
ſis. Intem-

ſis. Intemperies ſæpius calida eſt, eáque cum materia coniuncta, hæc ex humorum dolore attractorum in partem ſauciatam affluxu oritur.

Dolor partium ex membri vulnerati ſenſu exquiſito, partim ex aere externo per vulnus ingreſſo, & humorum congeſt one naſcitur, quem poſt inflammatio ſæpe ſequitur comes.

Conuulſio muſculorum, extremitatum & tendonum aut etiam neruorum ſequitur inciſionem aut punctionem. Ex etiam nimia membri inanitione, aut repletione oriri poteſt, quemadmodum & paralyſis ſeu neruorum reſolutio & emollitio cum ſenſus & motus interitus ab immodica plenitudine eſt, aut neruorum ſenſum & motum prabentium exciſione.

Syncope oritur ex immoderata ſanguinis & ſpirituum euacuatione, vel ab offenſione & dolore partis alicuius mobilis vt cordis, ventriculi.

Febris & quæ eum ſequuntur deliria, intemperiem, abſceſſum, inflammationem, dolorem & cætera id genus ſæpius comitari ſolent.

Vniuerſalis vulnerum curandorum ratio.

COMMVNIS omnium vulnerum curandorum indicatio, eſt vnio. Particulares vero ſint quinque.

Prima ſextranei ablationem præſcribit.

Secunda partium diſtantium adductionem & coniunctionem.

Tertia partium coniunctarum, in ea vnione retentionem.

Quarta ſubſtantiæ partium conſeruationem.

Quinta accidentium prohibitionem & mitigationem.

Prima intẽtio perficitur, vel ferreis inſtrumentis, vel medicamentis trahentibus. Quibus verò inſtrumentis res infixæ ſint auellendę, à prudenti chirurgo facilè excogitabitur, pro figura & varietate rerum infixarum, & natura partium affectarum: de quibus ſatis copiosè agit Tagantius, & alij non pauci. Medicamenta autẽ ſunt radix ariſtolochiæ, arundinis, anagallis, thapſia, ammoniacum, ſagapenum, dictamnũ, ranæ combuſtæ. Radix arund. contunditur & cum melle miſcetur: vel emplaſtrum Auicennæ, à Guidone probatum admouendum: vel ſequens expertum.

℞. lapidis magnetis ℥.j. rad. ariſtol. vtriuſque polypodij, viſci ſing. ʒ.i. ſterc. anſeris. ℥.j.ß. ammon galb. in vino albo diſſolutorum ſingul. ℥.ß. propoleos ℥.ij. olei de lilio ℥.iij. mellis ℥.j. fiat emplaſtrum: quòd cùm voles admouere, locum priùs fermento illines. Puluere quoque magnetis cum aliquo detergente imbui poterit turunda & applicari: ita tamen vt turunda non attingat ferrum relictum.

Secunda & tertia intentio eodèm modo perficiuntur: nimirum ligatura, ſi vulnus ſimplex & exiguum, & in loco in quo ea cõmode fieri poſſit: aut ſi vulnus etiam magnum ſatis in fibrarum muſculi longitudinem protenſum & commodè ac facilè ligari poſſit, vt in muſculis brachij. Si ligatura non ſufficit, addenda ſutura: Pars blandè tractanda & debito ſitu collocanda.

Quarta intentio abſoluitur victus inſtitutione ſ conue-

ne conuenienti pro ratione virium, affectus magnitudine, & totius corporis diſpoſitione. Maximè tamen conuenit victus tenuis & frigidus ad vitanda ſymptomata: addenda ſanguinis miſſio quandoque, ac humorum purgatio etiam, ne accidentia oriantur: debito loco ac ſitu pars eſt continenda: eique cataplaſ. ex oui candido & aliis refrigerantibus admouendum: ac nonnunquam vino aſtringente fouenda.

Quinta intentio eſt in accidentium correctione: ſunt autem ea ſanguinis profluuium, dolor, tumor, paralyſis, conuulſio, febris, ſyncope, delirium, pruritus.

Primum eſt ſanguinis profluuium: in quo animaduertendum num ſatis fluxerit: ſi enim non ſatis, permittendus eſt effluere. Nam poſt ſufficientem effuſionem remanet vulnus ſiccius, & ita curationi propinquius, nec tam facilè alia ſequuntur accidentia, vt phlegmone & reliqua. Niſi ſatis fluxerit, vena eſt aperienda, ad reuulſionem, pro affectus magnitudine, ac virium natura, maximè cùm ob dolorem, vel aliam cauſam timemus inflammationem & febrim.

De ſanguinis profluuio ſiſtendo. CAP. II.

SAnguis ſi immoderatè fluxerit, ſiſtendus.

Primò reuulſione quæ fit fotu, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis parti oppoſitæ admotis: denique venæ ſectione exigua & potius ſubinde repetita.

Secundò vſu ciborum incraſſantium & refrigerantium, ac medicamentorum aſſumptorum, vt vſu orizæ, lentium, fructuum aſtringentium, acerborum, auſterorum, vſu aquæ.

Tertiò topicis quæ ſunt in quintuplici differentia.

Primùm eſt ligatura, digiti admotio, ſutura communis, vel pellionum: quæ conuenit, quando nihil ex ſubſtantia partis periit.

Secundum eſt, linimenta & elychnia, aceto, oui candido, vel aſtringente medicamento imbuta & expreſſa, cum aliquid de ſubſtantia ablatum eſt.

Tertium eſt, præciſio totius venæ vel arteriæ, ex qua ſanguis profluit, quando in profundo deliteſcit: vel illius ligatura infrà ſupráque cum nodis apparet.

Quartum eſt vſus medicamenti cauſtici, vel ferri candentis, maximè quando vaſa ſunt putredine corroſa.

Quintum eſt vſus medicamentorum, quæ vel ore ſumuntur, vel partibus applicantur.

Potiones ad ſanguinem ſiſtendum vndecunque fluat ſunt huiuſmodi,

℞. lapid. hæmat. coral. rub. ſing. ℥. ß. trociſc. de terra ſigil. & de ſpodio, vel de ſuccino ſing. ℈. j. aquarum portul. & plantag. ſingul. ℥. iij. vtatur in ij. doſibus. vel,

℞. lapid. hæmat. ʒ. j. boli. arm. ſang. drac. ſing. ʒ. ß. ſacch. roſ. veteris ʒ. ß. aquæ plant. ℥. ij. fiat potus. Topica quædam manifeſta, quædam recondita facultate ſanguinem ſiſtunt. Quæ manifeſta qualitate ſunt aſtringentia, glutinantia, refrigerantia & ſiccantia.

℞. thuris & aloës ſing. parteis æqualeis excipiantur albumine oui & pilis leporinis. vel,

℞. boli. arm. ℥. vj. terræ ſigill. ℥. ij. farinæ volatilis

tilis ℥.iij. gypſi, calcis viuæ ſingul. ℥.iiij. thuris, aloës ſing. ℥.j. fiat puluis, qui alb umine oui excipiatur. vel,

℞. lapid. hæmat. ℥.j. tur. maſtich. boli armen. gallarum virid. ranarum exiccatarum, gypſi fuliginis, farinæ volatilis, telæ araneorum molendini ſingul. ʒ.ij. vitreoli combuſti, calcis viuæ, tragag. ſing. ʒ iij. raſuræ tergoris arietis vel hirci, chartæ papyraceæ, pilorum leporis & bombacis torrefactorum ſing. ʒ.j. ſtercoris aſini ℥.ß. fiat puluis tenuiſſimus qui ſeruetur vſui: nam ſanguinis profluuium, puluerem eiuſmodi ſiſtere ſæpe ſum expertus. A proprietate prodeſt puluis buffonum in fictili cooperto combuſtorũ: qui ſacculo concluſus deb t venæ ex qua ſanguis profluit, applicari, longè à vulnere quatuor digitorum. Quando medicamentis cauſticis voles vti, ea tantùm deliges, quæ cum vi cauſtica facultatem habent aſtringentem, vt eſchara firmius hæreat: qualia ſunt arſenicum, vitriolum.

De ſimplici vulnere in carne.

CAPVT III.

VVlnus ſimplex in carne, ac ſine interitu ſubſtantiæ, ſi fuerit exiguum, ſola ligatura curatur: ſi magnum, victus rationem tenuem ac frigidam inſtitues: Si quid ſit extranei tolles: vulneris profunditatem tentabis digito, aut penicillo immiſſo vulneri, labia diſtantia ita coniunges, vt ne pilus quidem inter ea interſit, quod glutinationem impediat: labia ſic coniuncta ſutura retinebis, glutinatorium medicamentum applicabis: partem ligabis: decenter collocabis: eiuſque temperiem omnibus modis con-

ſeruabis: denique ſymptomatum generationem impedies.

Glutinatoria ſunt thus, maſtiche, aloë, ſarcocolla, bolus arm. terra ſigil. ſanguis drac. puluis ſanguinis humani, balauſt. malicorium, folia pini, nuces cupreſſi, gallæ virides, plantag. cauda equina & ſimilia.

Ad glutinandum optima.

℞. aquæ vitæ quater deſtillatæ ℔.j. tereb. abietis ℥.iij. myrrhæ, thuris, maſt. ſingul. ℥.ß. æſtate ſub dio ſimul macerentur dies 30. & ea aqua calenti foue vulnus in primo apparatu: ſi autem vulnus in neruo vel punctura, eo fotu erit vtendum quotidie. Poſtea,

℞ ammon. in aceto diſſol. ℥.ij gũmi elenij ℥.iiij. reſinæ pini ℥.v. tereb. abietis ℥.iij. olei roſ. omphacini ℥.ij. fiat emplaſtrum, quod poſt fotũ admoueatur calidè. Sunt qui nullis aliis vtuntur præſidiis in vulnere ſimplici: alij puluerẽ aſtringentem excipiunt albumine oui & applicant.

Balſama arte confecta.

℞. tereb. ℔.j euphorb. & ſulph. ſingul. ℥.ß. ſalis ℥.j. olei ℔.j. coquantur ij. horas lento igni, colentur & eo oleo calenti vulnus tutiùs fouebis, quàm aqua ſuperiori: proderitque non modò his, verum etiam vulneribus ex morſu canis rabioſi & puncturis neruorum. vel,

℞. tereb. ℔.j. galb. ℥.ij. gummi elenij ℥.ij. gũmi hederæ ℥.ij. thuris, maſt. myrrhæ ſingul. ℥.ij. aloës, xyloalcës, galangæ, caryoph. cinamomi, nucis moſc. cubebarum ſing. ℥.j. aquæ vitæ ℥.iij. ſimul diem macerentur & noctem: poſtea bis diſtillentur & oleum illud ſtillatitium tanquam balſa-

balſamum precioſum ſeruabis: vel ſequens etiam vulneribus contuſis optimum.

℞. olei communis in quo fuerint frequenter extincti lateres recentes ℔.ß. olei amygd. amararum ℥.ij. olei pap. albi ℥.ß.j. thuris mast. ſing. ℥.j. ammon. galb. in aceto diſſolut. ſing. ℥.ij. reſinæ ℥.ß. tereb ℥.ij. ærug. raſilis ℈.ij. cùm gummi diſſolueris, iniice in oleum thus & maſtichem, parumque bulliant: poſtea reſinam, denique æruginem, tandem cola & vſui ſerua, ac vulnus eo foue: atque emplaſtrum vim habens glutinatoriam ſuperpone: veluti primis diebus puluerem aſtrictorium cum ouorum albuminibus.

℞. olei communis ℔ j. florum hyperici ℔.ß. coniiciãtur in oleum, & aliquot dies ſub dio macerentur: poſtea flores exprimãtur: & alij in idem oleũ iniiciantur: ſicque fiat quater aut quinquies, deinde adde gummi elenij ℥.iij. iterumque aliquot dies ſub radiis ſolis maneat: ac poſtea eo vtêris. Arbitror medicamentum fore præſtantius ſi olei loco vtaris aqua vitæ, quãdoquidem oleum vulnerum coitionẽ remoratur. Vel ſuccũ ophyoglosſi radiis ſolaribus expones: eoque vulnera lauabis: is enim ſuccus (aiunt) maximè glutinat.

Poſteaquam ſemel ita vulneri remedia adhibueris: niſi dolor, vel phlegmone, vel aliud ſymptoma oriatur, ac te cogat: ante tertiũ vel quartum diem faſciam ac ligaturam non diſſolues: Quarto autem die videbis num vulnus coaluerit: quòd ſi non coaluerit, fouebis vino auſtero & aſtringenti atque calenti: poſtea puluerem reſtrictorium & glutinatorium cum tereb. appones, vel emplaſtrum ſuperius dictum poſt pri-

mamaquam. deinde,

℞. tereb. ℥.xij. reſinæ pini ℥.iij. gummi elenij ℥.v. ariſtol.longæ,ſang.drac. ſingul. ℥ j.ceræ parum,fiat emplaſtrum.

℞.olei veteris ℔ j. ceræ nouæ ℥.vj. litharg.℥. iij.ceruſæ ℥.ij.galb.℥.ß. ſang.drac.ʒ.iij. liqueſcat cera cum dicto oleo: deinde reliqua adiiciantur ex arte,fiatque emplaſtrum: quo vteris donec ſit vulnus curatum.

De vulnere profundo ſine ſubſtantia ablatione.

CAPVT. IV.

VVlnus quod in profundũ penetrat, habetque fundum reconditum,quemadmodum præcedens curari debet, tum in vniuerſalibus, tum in particularibus, ac topicis remediis. Verum ſi eo modo curari non poſſit,quod ſtatim excrementa in fundum delabantur, quæ glutinationem impediant: ipſum per effluxum materiei glutinationem impedientis curabimus. Effluxionem autem materiei moliemur,tum ex ſitu & figura partis commoda,ſic quidem vt vulneris orificium deorſum ſpectet:in ipſum que pus vel ſanies deſcendat, ac facilè repurgetur: tum etiam diſſectione. Verum diſſectio fiet, vel ab orificio ad fundum vſque:vel in fundo tantùm fiet apertio,vt materia effluat. Vtrum autem horum expediat te docebit tum loci natura, tum vulneris magnitudo.

De vulnere cauo & cum ſubſtantia interitu.

CAPVT V.

VVlneris huius curatio expetit intentiones vniuerſales,præſertim victus rationem, rei

extra-

extraneę ablationem, temperiei partis conſeruationem, & accidentium prohibitionem. labia verò cùm vniri non poſſint ob ſubſtantiæ ablationem, ea erit regeneranda : id verò fit naturæ beneficio, quæ ad eam rem calore natiuo partium temperie, ac facultatibus naturalibus, tanquam agentibus, cauſiſque efficientibus, ſanguine verò laudato tanquam materia vtitur. Sed interea iuuatur medicamentis, quæ carnis gignendæ tollunt impedimenta, nimirum excrementum tenue & craſſum. Vnde medicamenta quæ id efficiunt ſiccare & abſtergere, citra tamen acrimoniam & mordicationem, oportet iuxta totius corporis, & ſingularum partium temperiem: Oportet enim temperiem ſimilibus conſeruare: quod autem eſt contra naturam, contrariis propellere. Itaque inter ea medicamenta, quæ imbecilliora ſunt, pueris ac mulieribus carnem mollem habentibus, competunt: cuiuſmodi ſunt vinum rubrum & auſterum, thus, cortex thuris, maſtiche, aloë, colophonia, pix, reſina, far. hordei & fœnug. Quæ valentiora ſunt corporibus, & partibus ſiccioribus admouentur, vt ariſtol. iris, farina orobi & lupinorum, panax. Alia ſunt adhuc valentiora, quæ partibus multo ſiccioribus proſunt, cùm in iis vlcus eſt profundum: vt centaurium, polium, glutinum, limaces vſtæ, cadmia, calcitis, plumbum, antimonium, reliquaque metallica, quæ omnia vrenda atque lauanda ob acrimoniam. Myrrha verò carne oſſa veſtit. Ex quibus omnibus, aliiſque multis ſic fiunt ſarcotica. Puluerem myrrhæ & aloës in vino ſtyptico diſſoluito, ac vulnus abluito: Vel,

Puluerem ex aquis partibus olibani, aloës, ſarcoc. ſanguinis drac. & radicis ireos conficito: & eo vulnus conſpergito. Vel ex æquis partibus thuris, maſtich. & fœnug. vel ex æquis partibus thuris, maſtich myrrhæ, ſarcoc. boli arm. ſanguinis drac. & far. hord. fiat puluis: cui ſi vis addere terebinthinæ, coloph. ſebi hircini parteis æqualeis cum exigua ceræ quantitate vnguentum conficies: Vel baſilicon noſtrum ſequens conficito, eoque vtitor.

℞. reſinæ quart. j. ß. terebint. quart. j. mellis quart. ß. thuris, maſtich. myrrhæ, ſarcoc. aloës croci ſingul. ʒ. ij. olei ℔. ß ceræ citrinæ ℥. v. fiat vnguentum. Vel ſequens optimum.

℞. agrimon. abſynt. verbenæ, centaurij, gallitrici, chelidon. ſcab. ſymph. maioris, ſemperuiui, cynogl. caulium rub. plantag. minoris, fabæ inuerſæ (quę telephium vel craſſula minor dicitur) ſing. m. j. ex quibus omnibus ſuccus extrahatur: cui adde aceti ℔. ß. olei roſ. quart. iij. ceræ albę ℥. iiij axung. verriecis ℔. ß. reſinæ ℥. x. coquantur ſimul lento igni: poſtea iniice ammoniaci & galb. in aceto diſſol. ſingul. ℥. ß. deinde tereb. ℔. ß. mel. quart. j. tandem thuris & maſtic. ſingul. ℥. j. ſi vis adde reſinæ crudæ ℥. iij. & fiat vnguentum ex arte. Si loco olei roſ. capias oleum lumbricorum: vel potiùs in oleo roſ. lumbricos coxeris, efficies vnguentum neruis optimum. Huic quoque negotio prodeſt emplaſtrum ſuperiori cap. poſt primam aquam deſcriptum: & ceratum ex oleo antiquo etiam illic notatum. Iniectiones verò quæ huic vulneri ad carnem regenerandam proſunt, capite de vlcere profundo ſunt videndæ.

De vulnere æquali ſeu repleto. CAP. VI.

QVando caro quæ ablata fuerat regenerata eſt: tantùm ſupereſt vt cicatrix inducatur: quod etiam ex Galeni ſententia eſt opus naturæ. Ego verò putarim id fieri potiùs medicamentis: quæ non modò ſuperfluam, ſed naturalem quoque humiditatem abſumunt: quod natura minimè faceret.

Ad cicatricem inducendam.

Horum autem medicamentorum duo ſunt genera: alterum quod per ſe id efficit, valenter exiccando & aſtringendo: alterum quod per accidens & ex præparatione, vt acria vſta & lota & cineres eorum quæ modicè & aſtringunt & ſiccant. Primi generis ſunt balauſt. cortex malorum granat. galla omphacitis, ſumac, ſpina ægyptia, bolus arm. terra omnis abluta, cimolia, ceruſa, plumbũ vſtum & lotũ, litharg. cortex pini, oſtrea vſta: alterius generis ſunt æs vſtum & lotum, ſquamma æris, alumen & vitriolum vſta & lota, centaurium, ſpongia bedegaris, plantago, ariſtol. vſta, cortex vlt. pin. & quercus, ſoleæ calceorum. Balauſtia & ſumac in vino auſtero coquito, & vulnus foueto: vel aqua aluminoſa lauato: cuius deſcriptionem vide cap. de vlcere virulento.

℞. corticis pini ℥ ij. nucum cupreſſi, centaurij minoris, ariſtol. vſtæ ſing. ʒ ij. ceruſæ, litharg. ſing. ʒ ß. fiat puluis quo vulnus reſpergatur. Si adſit calida intemperies. Auicenna addit roſas, ſantal. plantag. minorem & alia infrigidantia, tuncque prodeſt vulneribus ani & ſeroti ſi addas nonnihil aloës, aut fiat vnguentum album veluti litharg. nutritum ſub ſequenti forma.

℞.litharg.℥.ß.ceruſæ ℥.j.olei roſ.& aquæ roſ. ſenſim & viciſſim affuſorum quantum ſuff. fiat linimentum. Si acetum addideris, proderit ſcabiei. Si thus & maſtichen, erit valentius. Aliud vnguentum rubrum, quod ſic conficio.

℞.ceruſæ ℥.iij.litharg.℥.ij.minij.℥.j.caph.ʒ.ij. olei roſ.℔.j.ß aquę roſ.℥.ij.albumina ouorum iij. ceræ albæ quantum ſuff.fiat vnguentum. Prodeſt etiam vnguentum ex calce nouies lota ſub canicula & cum oleo roſ.mixta: quod etiam valenter ſiccat vlcera neruorum & ambuſtiones, emplaſtrum quoque de ceruſa hac in re laudatur: quod ſic conficere ſoleo.

℞.ceruſæ ℥.iiij.litharg. ℥.j.terebint. quart.iij. thuris, maſt.aluminis cochlearum limacum vſtarum ſing.ʒ.ß.caph.℥ j. coquantur ceruſa, litharg. oleum & cera lento igni, ſub finem decoctionis adde tereb. cúmque ab igni detraxeris iniice pulueres. Vnguentum etiam nutritum ex litharg.oleo & aceto iuuat: cui adhibere poſſumus æs vſtum, alumen, antimonium & plumbum vſta, & balauſt.ſanguinem drac.& ſimilia: tuncque proderit vlceribus, quæ ad cicatricem difficilè ducuntur: præterea vulnus aqua aluminoſa lauabitur: poſtea appones plumbi laminam, quæ mercurio fuerit diligenter confricata: quod etiam laudatur in vlceribus cancroſis. Aliud emplaſtrum de antimonio, quod ſine mordicatione ſiccat.

℞.antimonij, æris ac plumbi vſtorum & lotorum, litharg. & ceruſæ etiam lotorum, corticis thuris, ſarcoc. tuthiæ præparatæ, aluminis crudi ſing.℥.j.balauſt. pug.j. caph.ʒ.ij. ceræ albæ ℔.ß. olei

olei roſ.quart.j. liqueſiat cera cum oleo : deinde reliqua ordine iniiciantur, oleo ab igni ſubducto & fiat emplaſtrum:aut addita olei maiori quantitate fiat vnguentū. Aliud emplaſtrū optimum.

℞.litharg.ceruſæ ſing.℥.vj plumbi vſti,lapidis calam.terræ ſigil.ſing.℥.iij.coloph.picis naual.reſinæ ſingul.℥.ij.reſinæ crudæ (garyopot.vocant) ſarcoc.ladani, ireos ſing ℥.j.ß. caph.℥.ß. ſeminis porri ℥.ij. olei roſ.℔ j.ß.ceræ albæ.℥.iij. coquantur vt artis eſt:fiatque emplaſtrum.

Vbi vulnus purgatum impletúmque eſt, carni optimè cicatrix inducitur & exiccatur puluere bedegaris trito & aſperſo.

De cicatricibus poſt vulnera curata reparandis.

Deformes atque indecoræ cicatrices , adhuc quidem teneræ ac recentes emendantur, adiuncto diachyl. aut lithargyro nutrito, aut vtriuſque bryoniæ radices coctæ dum ſuccum reddunt,cicatricibus emendandis admoueantur : aut calamintha in oleo cocta:aut argenti ſpuma roſ.albo lota. Duriores verò ac craſſiores reparantur oleo balſamitæ appoſito: Vel radice cucum.agreſt.trita & appoſita : Vtilis eſt etiam pinguedo aſini cum argenti ſpuma:aut oleum de lilio:aut oleum de myrrha:cuius efficiendi ratio hæc eſt : oua ſex coctione indurata capito:ac ſingula in duas parteis diuidito : eaque,educto vitello,myrrha impleto:& in pelui cooperta diſco,in cella vinaria ſeruato:& liquorem qui inde effluet ad vſum cuſtodito:is enim oleum de myrrha appelletur. Aut omnia gummi genera aqua roſ.macerato: eaque deſtillato : Nam oleum inde effluens ad hanc rem eſt efficaciſſimum. Aut,

℞. myrrhæ, aloës, ſtyracis vtriuſque ſingul. ℥. j. mumiæ & baccarum lauri ſingul. ℥. ß. mediocriter terito & in alembico vitreo lento igni deſtillato: eoque liquore vtitor. Ad dealbandas cicatrices ſequentia conferunt.

℞. olei de tartaro ʒ. iij. muccag. ſeminis pſyllij ℥. ß. ceruſæ in oleo roſ. diſſol. ℥. j. boracis, aut ſalis gemmæ ʒ. ij. fiat linimentum. vel,

℞. axung. ſuillæ ℥. iij. litharg. ℥. j. æruginis raſilis, vitrioli combuſti ſing ʒ. ij. fiat emplaſtrum.

De medicamentis hyperſarcoſin abſumẽtibus dicemus, cùm de vlceribus nobis erit agendum. Id tamen paucis notabis: ſiue vulnus cicatricem induxerit, ſiue non, medicamentis erodentibus, vel nouacula, vel cauterio caro ad æqualitatem eſt reducenda: deinde cicatrix inducenda.

De Vulnere contuſo. CAP. VII.

VVlneris huiuſmodi curatio primò victum conuenientem hoc eſt tenuem & frigidiuſculum expetit.

Secundò reuulſiones ad defluxionem & inflammationem prohibendam (fient autem venæ ſectione, ſi videbitur, aut cucurbitulis, frictionibus, ac ligaturis partium oppoſitarum) ac purgationes requirit pro humorum natura, ſicut in curatione tumorum præter naturam dictum eſt.

Tertiò ad topica transeundum: quorum alia glutinationem impedient, ac dolorem lenient, carnémque contuſam putrefacient: alia humores in locum affectum defluentes propellent.

Proderit itaque loco dolenti oleum aliquod anodynum, cuiuſmodi eſt oleũ anethinum, vel liliorum, vel chamæm. vel quod digeſtiuum appellant,

pellant, ex oleo roſ. & vitello oui linamentis exceptum & admotum: deinde albumen oui vel ouum integrum cum puluere myrtilorum emplaſtri modo applicatum: hoc quidem poſtremum ad repellendum, illa verò ſuperiora ad ſuppurandum & leniendum: oportet enim hoc in affectu in principio pus mouere. Nam ex Hippocr. ſententia, caro, quæ colliſa eſt, neceſſe eſt vt putreſcat & in ſaniem conuertatur: nouaque poſtea generetur. Vulneris ambitum liniemus oleis, roſ. & myrti cum puluere baccarum & foliorum myrti: Vel vnguento ex bolo arm. oleo & aceto, etiam ad repellendum & defluxionem prohibendam. In ſecundo apparatu eodem vtendum digeſtiuo, vel altero ex terebinthina confecto, quo imbuentur linamenta: deinde cataplaſma ſequens ſuperponendum ad dolorem leniendum; qui ſæpe accidit propter continuitatis in multis partibus diſſolutionẽ & intemperiem.

℞. radic. altheæ ℔. ß. mal. & viol. ſing. m̄. j. coquantur, terantur, ſetaceo percolentur: deinde adde butyri & olei communis ſing. ℥. iij. vitellos iij. croc. modicum, far. tritici & hord. quantum ſufficit ad cataplaſmatis conſiſtentiam.

Quãdo caro contuſa iam erit in pus conuerſa, detergendum eſt melle roſ. mundif. de apio & aliis, caroque regeneranda, ac ſarcoticis vtendum.

Si caro cõtuſa ſit adeò dilacerata, vt ſutura neceſſaria videatur, vtendum erit ſutura laxa quæ vulneris labia tantùm retineat. Verũ ſi caro contuſa facilè in pus reduci nõ poſſit, videaturq; in gangrænam degenerare, vnguentũ ægyptiacum admouebis & alia dicta capite de gangræna.

De Ecchymoſi hoc eſt ſanguinis ſub cute effuſione & caſu.

CAPVT VIII.

CVm integra cute remanente, partes ſubiectę ſunt contuſæ, ac ſanguis effuſus ſub cute, quatuor modis eiuſmodi affectum curabimus. Primò victus ratione tenui, frigida & ſicca atque ſanguinis putredinem prohibente. Si magnus affectus, primo die nihil omnino comedat, ſi fieri poſſe commodè videatur: ſequentibus verò diebus tenuiſſimè ac parciſſimè viuat: donec iam abierit febris & inflammationis periculum. Secundò ſanguis mittendus ex iecoraria dextri brachij vel parte oppoſita, ſi ſit particularis contuſio. Pro virium & morbi magnitudine, vtque neceſſarium videbitur, aut ad euacuationem aut ad reuulſionem aluus quoque laxanda vſu caſſię, rhab. cathol. vtendumque ſyrupis ſanguinis putredinem & coagulationem impedientibus, vt ſyrupo acetoſæ, de limon. de acetoſitate citri. Tertio accedendum ad medicamenta ſudorem mouentia, ſanguinem diſſoluentia, atque interna roborantia. vt,

℞. rhabarb. pulueriſati ℨ.j. mumiæ ℨ.ß. aquę rubiæ maioris ℥.j. ſyrupi de roſis ſiccis ℥.ß. fiat potus qui ſtatim detur: cui potes addere rubiam trochiſcatam. Vel,

℞. rhab. torrefacti, terræ ſigillatæ, boli arm. mumiæ, ſeminis naſturtij torrefacti ſing. ℨ.j. redigantur in puluerem, de quo capiat ℨ.j. ſingulis matutinis, cum aqua plantag. & virgæ, vel burſæ paſtoris. aut,

℞. terræ ſigil. rubiæ tinctoriæ, mumiæ, ſymph. ſing.

ſing.℈.j.rhab.puluerisati tantundem, miſce & vtatur cum aquis præcedentibus. Quatuor aut quinque diebus exactis detur puluis ſequens.

℞. hab.torrefacti, coſti, radicis rubiæ maioris, centaurij, ariſtol.rot.ſing.℥.ß.fiat puluis, cuius detur quotidie mane ʒ.j cum ſyrupo acetoſæ nouem dies: vel detur cum aqua anagl.vel ſymphyti maioris: aqua etiam nucum ſanguinem diſſoluit. Quæ ſudores quoque mouent, conferunt: quemadmodum ſequens,

℞. decoctionis radic.ari, oſmũdæ regal.caudę equinæ terreſtris, in vino & melle factę ℥.v.detur potui & ſudet: Valet ét potio capite de peſte prę-ſcripta ad ſudores: Cõferũt deniq; balnea quarto quoq; die ex decoctione conſolidæ, vtriuſq. anagal.oſmũdę regal.ebuli, artem. abſynt.chamæm. & roſarum, ac pulueris qui ſub fœno reperitur.

Quartò veniendum ad topica. Initiò quidem aſtringentia ſunt diſcutiẽtibus permiſcenda propterea quòd tunicæ venarum contuſæ condenſari, ac conſtringi debent, tum aſſumptis, tum admotis. At poſt principium ſolis digerentibus vtendum. Statim itaque inuoluatur pelle arietina recenter detracta, quæ reſpergatur ſale tenuiſſimè trito & puluere naſturtij (quod etiam verberatis optimum eſt remedium) ego verò reſpergo puluere myrtino: efficiendum que vt in ea ſudet. Si deerit pellis ſtatim liniendus eſt æger oleis roſ. & myrt. ac lumbricorum: quæ ſimul miſceantur cum puluere roſ. vel myrtino.

Secunda die detracta pelle, vngendus eſt ſequenti vnguento: quod dolorem lenit & ſanguinem reſoluit.

℞. bol.arm.reſinæ,thuris, fœnug.dragag.ſingul. ℥.ß.croci.ʒ.j. pulueris roſ.myrt. ſumac. ſing. ʒ.iij. vnguenti dialth. olei roſ.myrth. chamæm. anethi ſing.℥.j. ceræ nouæ,terebinth. ſingul.℥.j. fiat vnguentum,quo vngatur & poſt vnctionem ſudet. in concuſſionibus verò particularibus ſic fiat in primo apparatu.

℞. olei roſ.ʒ.j. ouum vnum, pulueris myrt. ℥ ß. fiat linimentum, quo calenti locus vngatur: alij liniunt tantùm oleo roſ.& aſpergunt puluerem myrti aut gallarum, aut corticis granatorum. Die tertio foueatur locus vino decoctionis chamæm. abſynthij & ſeminis cumini: Vel vino in quo mel,cuminum & ſal cocta ſint: Vel vino in quo malua, abſynt. cuminum, ſtæchas, furfur & mel concoxerint: Vel farinam hord.& fœnugræci ac chamæm.cum ſandaracha vera & croco in forma cataplaſmatis miſcebis: Vel ſequens cataplaſma à me frequenter expertum applicabis.

℞. ſymphyti vtriuſque ſing.℔.ß. florum chamæm.& melil.ſing.pug.ij.croci ʒ.ß.farinæ fab.℥.iiij.farinæ fœnug. ʒ.v.butyri recentis. ℥ j.fiat decoctio mediocris, cui ſi addas ſucci abſynth. & ſucci cumini ſing.℥.j.magis reſolues atque exſiccabis & ex ea mixtione cataplaſma conficies. Conferent quoque cucurb.affixæ cum ſcarificatu,vt aliquid ſanguinis effluat.

Verum ſi medicamentis fieri non poſſit reſolutio:ſed humor in pus cõuertatur, iuuetur ſuppuratio & vomica aperiatur: poſtea vlcus detergeatur: quemadmodum dictum eſt de phegmone. Si humor fuerit reſolutus, tantùm supereſt

vt membrum roboretur emplaſtro oxycroceo aut chæroneo, aut apoſtolico chirurgico, & intemperies, ſi qua relicta ſit, corrigatur.

Quádo iá locus liuidus ac emortuus, ex ſáguine concreto videtur: foueatur aceto calido, aut decocto radicis raphani, ſerpétariæ & ari, quod fiat in vino, vel aqua ſi adſit calor, & applicetur emplaſtrú diachyló ireatú: vel cera cú cumino. Vel,

℞ fol. abrotoni ſicci, ſeminis cumini & florum chamæm. ſing. ʒ. j. & cum ſucco ari & melle fiat catapl. arte.

℞. olei ℥. iij. ceræ ℥ j. ſucci maioranæ ℥ j. liquefiant ſimul, poſtea adde arſenici citrini tenuiſſimè trit. ʒ. j. fiat vnguentum, aut: Crocus in aqua calenti maceretur: poſtea diſſolue farinam hord. & fab. ad craſſitiem, addendo arſenici citrini modicum. In muſculorum contuſionibus etiam initiò prodeſt catap. ex mal. viol. abſynt. roſis flor. roriſm ſimul coctis, addendo poſtea farinam fab. & hord. & oleum roſ. chamæm. anethi, myrti. Poſſunt addi exactis diebus aliquot, radix altheæ, parietaria, ſigillum ſalomonis, ſquinanthum, ſtæchas, crocus & ſimilia.

In contorſionibus, vel diſtentionibus articulorum & partium neruoſarum, Primum pars manibus reſtituenda, deinde linteum frigidæ immerſum loco eſt admouendum; confirmat enim aucto calore naturali: Vel vtendum ſequenti catapl. quod lenit dolorem, humorem reſoluit, ac partem confirmat.

℞. gallarum, nucum cupreſſi & balauſt. ſing. ℥. ß. cicerculæ ℥ ij. ſquinanthi ℥. j. croci modicum, mellis ℥. iij. olei roſ. ℥. ß. albumina ouorum

ij. vini quantum ſuff. miſce, fiat cataplaſ. quod calens applicetur. Si iis malum non cedat, curetur vt dictum eſt antea de ecchymoſi. Si luxatio adſit, de ea poſtea dicetur.

De vulnere vel morſu animalium. Cap. IX.

PRimus huius vulneris curandi ſcopus eſt in victus inſtitutione: Hic verò victus quem capite de carbunculo præſcripſimus, conuenit.

Venæ ſectio in hoc affectu locum non habet: ne virus quod ex morſu relictum eſt, in parteis internas attrahatur: medicamenta quoque laxantia eadem de cauſa in principio non ſunt propinanda: exactis tamen aliquot diebus, ſic parari poterunt humores atque purgari.

℞. ſucci fumariæ ℔. iij. ſucci lupuli ℔. j. ſucci vel aquæ prunorum damaſcenorum ℔. ß. quibus depuratis adde ſacch. ℔. ij. aceti ℥. iiij. coquantur perfectè in formam ſyrupi: quo vtetur quinque aut ſex diebus cum aquis bugl. & ſcabioſæ: Poſtea purgabitur caſſia, cathol. & confectione hamec diſſolutis in aquis dictis: eritque repetenda purgatio.

Secundus ſcopus conſiſtit in euacuatione illius liquoris virulenti: qui ex morſu vel ictu remanſit in vulnere. Proinde non erit repellentibus opus nec glutinantibus, ſed ſtatim attrahentibus, ne virus intus feratur, & ad parteis principes repat: cumque morſus vel ictus eſt venenatus, vt à cane rabioſo, attrahentia valentiora deſiderantur, ſi verò non venenatus, mitiora.

Itaque mox ligato vinctoque membro (non quidem arctiſſimè ne torpeat & obtupeſcat) in

parte ſuperiori, aut cincto explaſtro ex galbano, ne virus ſurſum ad cor feratur: vulneri ſunt admouenda attrahentia. Primo quidem proderunt cucurbitulæ cum multo igne ac ſcarificatiouibus profundioribus pro affectus magnitudine: Aut ſi lenior affectus, applicabis vulneri podicem vel anum alicuius animalis, vt gallinæ, pulli gallinacei, aut porcelli, aut agni, aut gallinam, vel columbam, vel catellum in duas partes diuides, & calentem ac reſperſum puluere medicamentorum attrahentium admouebis, addito ſale.

Poſtea ad attrahendum etiam conferent allia, cepe, ſinapi, flammula, ſcabioſa, pulegium, calamentum, gentiana, polium, chamædrys, ſcordium, dictamnum, ariſtol. bryon. aſphod. euphor. galb. ſtercus caprinum, fermentum, & ſimilia. Alij vulnus linunt ſanguine cerui & leporis: Alij apponunt hepar animalis quod momorderit: alij cinerem ſarmentorum, & ficus cum aceto: alij theriacam cum gentiana, dictamno, ſcabioſa, terebinth. & butyro: alij cepe tritum cum ſale: alij emplaſtrum ex nucibus & alliis coctis & tritis ac cum fermento, melle & ſale mixtis: Alij emplaſtrum ex alliis & cepe mixtis cum theriaca: iiſque vtuntur quinque aut ſex dies, quibus elapſis emplaſtrum parare poterimus ex captarum ſtercore, baccis lauri, gentiana, dictamno, galbano, euphor. in puluerem redactis & cum vino mixtis, vel cum oleo laurino & cera. aut,

℞. galb. ſagap. opop. aſſæ fœtidæ, myrrhæ, pip. ſulp. ſing. ℥. ß. ſtercoris columb. & anatis ſing. ℥.

ij.calamintæ, mentaſtri ſingul. ℥ ß. diſſoluantur gummi, vino, & addito melle & oleo antiquo, fiat emplaſtrum. vel,

℞. pulueris ariſto.longæ ℥.ij.aſphodel.bryon. ſing. ℥ j. aſſę fœtidæ.galb.myrrhę ſing. ℥.ß.& cum oleis laurino, ſambucino & cera fiat emplaſtrum: cuius erit vſus donec ſatis virus effluxiſſe videbitur. ſunt qui emplaſtra pelli ceruinæ admoueant, quam recondita quadā facultate prodeſſe aiunt. Nonnulli poſt cucurbitularum vſum, admouent medicamentum cauſticum: alij ferrum candens loco attrahentium, quod illud & calore attrahat & abſumat virus.

Tertius ſcopus ad cordis confirmationem pertinet: & virus alterationem, ne partibus principibus noceat: id verò fiet medicamentis aſſumptis. Propterea dum vulneri applicantur attrahentia proderit theriaca, tertio quoque die à ʒ.j.ß. ad ʒ.ij.cum ℥.iiij. vini optimi aſſumpta. vel,

℞.theriacæ ʒ.ij.galb. aſſæ fœtidæ ſingul.ʒ.ß. lapidis magnetis (quem plurimi hac in re maximè probant) ʒ.j.ß.miſce & cum vino cydoniorum, vel cum aqua ſcabioſæ vtatur in tribus doſibus: vel pulueris cancrorum fluuiatilium partem vnam capito, & gentianæ ſub canicula collectæ partem mediam, ac cum aqua pimpinellæ aliquot dies propinato. Poteſt etiam parari decoctum ex gentiana, chamædry, ſcordio, polio, anetho, cancris fluuiatilibus & addito ſaccharo ad ſaporis iucunditatem exhiberi: magnes etiam ad ʒ.ij. datur cum vino, aſſa fœtida ſimiliter: nigella etiam ad ℈.iiij. ſumpta & naribus ſæpe

admota

admota: denique potiones cardiacæ & epithemata, de quibus capite de carbunculo egimus, plurimùm proſunt. Tamen ſi ſit ictus vel morſus ſerpentis, laudatur ſuccus foliorum fraxini ad ℥ iij. vel iiij. die ſecundo vel tertio à morſu aſſumptus ieiuno ventriculo, ſi cognouerimus cor veneno nondum eſſe infectum; idemque potus in quatuor aut quinque dies repetendus. Qui hydrophobia laborant, ſunt in aquam ex improuiſo coniiciendi: nullum enim præſtantius remedium.

In morſibus minimè venenatis initiò admouendum oleum ſambucinum feruens: altero die ouum cum butyro, croco & oleo viol. ad dolorem leniendum: vel coquantur rad. altheæ, mal. violaria, abſynth. flores chamæm. melil. roſæ & furfur. poſtea miſceantur vitelli ouorum, crocum, oleum roſ. & chamæm. vt fiat cataplaſma, quo vtendum vij. diebus.

Poſt vſum huiuſmodi medicamentorum, in vulneribus venenatis & non venenatis vtendum erit ſuppurantibus ob contuſionem, vnde proderit baſilicon noſtrum, quod recipit ſebi veruecis ℔. iij. reſinæ ℔. ij. reſinæ crudæ (garyopot. vocant) ℥. iiij. picis naualis ℔ j. terebinth. mel. ſing. ℔. ß. olei communis ℔. j. ceræ ℔ ß. liquefactis iis quæ liquari debent, adde reſinam crudam in puluerem redactam, & fiat vnguentum. Iuuat etiam vnguentum fuſcum cum galbano. Poſt ſuppurationem locum debent habere detergentia & ſarcotica.

De nerui punctura. CAP. IX.

NErui puncti curationem duobus ſcopis aſſequi conabimur.

Primò phlegmonis curationem prohibebimus: ad id autem agendum ægrotus victu vtetur tenuiſſimo, & cibis frigidis ac ſiccis: aer tamen ſit tepidus: nam frigidus neruis maximè aduerſatur: calidus autem phlegmonem accerſit, lectus ſit mollis: pars molliſſimè ac commodiſſimè collocetur, corpuſque quieſcat. Vena ſecetur etiam ſi plenitudo nõ adſit: aluus liberè fluat, tum clyſterum, tum medicamentorum laxantium vſu, pro natura humorum in corpore exiſtentium, vt de tumoribus dictum eſt.

Secundò ad topica accedemus: in quibus obſeruandum, nec vulneris labia vnienda, nec vnita ſic retinenda, ſed potiùs vulnus apertum maneat: quòd ſi ſatis non hiat, aperiatur, vt ſanies effluat: ſi quid alieni infixum eſt, detrahatur, deinde dolor leniatur: id verò commodè fiet aliquo medicamento: quòd ſi ſubſtantia tenue, modicè calfaciat, & citra dolorem ſiccet: cuius generis eſt oleum ſabinum, vel aliud perinde tenue, quale eſt oleum ſambucinum vel irinum, vel ſicyonium: aut euphorb. ℥.i. cum olei ℥.ij. coquito, & poſt colaturam locum eiuſmodi oleo linito: non enim mordicat euphorbium cùm eſt oleo diſſolutum: aut loco euphorbij capito tantundem ſulphuris cum oleo. Prodeſt etiam oleum de vulnere ſimpl. inter glutinantia præſcriptum, in cuius compoſitione ſunt euphorbium & ſulphur. Alij reſinam & terebinthinam

thinam eodem modo admouent per ſe in iis qui ſunt molli carne, & cum euphorb. in iis qui ſunt carne dura. Oleum etiam de terebinth. calidum ac feruens loco admoueatur: quod ſæpè ſum expertus dolorem lenire, & ſaniem abſumere. Valet etiam in principio emplaſtrum Auic. ex farina hord. fab. orobi æquis partibus ſimul coctis cum ſyrupo acetoſo & lixiuio: præſtabit tamen loco farinæ orobi, farinam lentium admouere & cum ſapa concoquere. Iuuat quoque plurimùm aqua ad glutinandum præſcripta, & emplaſtrum, eodem modo applicata, aut olei rutac. parteis v. terebint. partem vnam & dimidiam admoue: vel oleum in quo ſal. coxerit cum terebinth. applicetur. Mirabile quoque æſtimatur ſequens.

℞. muſci quercini m̃. ij. furfuris m̃. j. olibani ℥. j. bulliant in vino & tantillo aceti donec in formam pultis reducantur, quæ loco apponatur. Si acetum non addideris, proderit neruis denudatis quibus nihil molliens, aut putrefaciens expedit admouere, ne eorum vis diſſoluatur.

In dolore vehementi commodè oleo de vitellis ouorum vti poteris: vel terebinthina oleo roſ. mixta, vel litu ex oleo in quo lumbrici coxerint, vel ex iiſdem tritis cataplaſma efficiẽs efficaciſſimum: vel catapl. ex mica panis lacte bubulo imbuta, cum oleo roſ. chamæm. vitellis ouorum & croci exigua parte, vel radicem alth. farinam hord. fab. & lentium cum ſapa & lixiuio coques cum oleo roſ. chamæm. & anethi & cum tereb. & croco ſubiges & applicabis. Quod ſi

nullis remediis vincatur dolor, erit ſtupefacientibus vtendum, vt pane cum decocto pap. albi, & ſi opus eſt cum opio. vel,

℞. farinæ tritici. ℥.ij. ſucci foliorũ hyoſc. ℥.iij. fiat puls, quæ calens applicetur. Porrò ſi ex nerui læſione conuulſionis periculum immineret, vel iam adeſſet conuulſio: protinus caput, collum, totam dorſi ſpinam & humerum atque axillam ſi vulnus eſt in manu, vel pubem & inguina ſi vulnus eſt in pede, vel tibia, vel crure, oleo liliorum calenti, vel laurino, vel coſtino, vel ſpicato, vel oleo ex pulegio, vel oleo communi, cui nonnihil caſtorei, vel euphorb. addideris, diligenter lines, ac fouebis. Inflammatio verò ſi ſuborta ſit, Guido admouet emplaſtri formam ex far. orobi, fab. & hord. cum lixiuio & ſyrupo acetoſo coctis, aut cum ſapa & modico aceti: aut fiat catapl. ex lumbricorum ℥.ij. porrorum tritorum ℥.j. & olei ſufficienti quantitate: quod calens admoueatur. Poſt puris generationem ad detergendum vtere ſequenti.

℞. farinæ hord. & fab. ſingul. ℥.ß. farinæ lupinorum & orobi ſingul. ʒ.ij. pulueris lumbricorum. ʒ.j. vini decoctionis caudæ equinæ & praſſij ac matricariæ quantum ſufficit, coquantur: deinde adde mel. roſ. ℥.ij. ſarcoc. ſagap. in prædicto vino diſſol. ſingul. ℥.j. fiat vnguentum.

Interdum etiam tanta ex huiuſmodi puncturis & neruorum vulneribus oritur putrefactio, vt cauſticum medicamentum, cuiuſmodi eſt Ægypt. aut ferrum candens admouere cogamur.

De

De neruo caſim vulnerato.

CAPVT XI.

NEruus quando tranſuerſim eſt omnino præciſus, præmiſſis vniuerſalibus, quæ ad curandi methodum pertinent, in primis vnà cum carne, ſi fieri poſſit, eſt ſutura reuniendus: quanquam nonnulli reclamant, decliuiori loco turunda eſt immittenda: deinde puluis reſtrictorius ad ſanguinem ſiſtendum, ſi opus ſit cum puluere ſequenti: miſcebuntur verò æquis partibus, vel admouendum aliquod anodynum, aut glutinatorium cum lana ſuccida oleo calenti imbuta. Cùm ſecundo reuolues faſcias, & in ſecundo apparatu, iniice in neruum cæſum, ſi fieri poſſit, puluerem ſequentem: qui fit ex lumbricis terreſtribus priùs in parteis diſſectis (vt terra repurgetur) ac poſtea exſiccatis & in puluerem redactis, cui addes puluerem granorum tinctoriorum. vel,

℞. lumbric. vt dictum eſt præparatorum. ʒ. caudæ equinæ ʒ.ij. pulueris beronicæ & vrticæ ſing. ʒ.j. olibani ℥.iij. carnium limacum quantum ſufficit ad vniendum: eoque vtere per 4. dies, & ſuperpone aliquod glutinatorium, quale eſt vnguentum ſequens de vermibus terreſtribus ex Guidone & aliis.

℞. centaurij minoris, plantag. minoris (lanceolatam appellant) cynogl. pilloſellæ, ſymphyti vtriuſque, caudæ equinæ & millefolij ſingu. m̄. j. vermium terreſtrium ℔.ß. olei & vini optimi ſingul. ℔.j. aceti ℥.iiij. terantur & vij. dies macerentur ſimul, deinde adde ſebi arietis. ℔.j. picis

naualis & reſinæ ſingul. quart. j. coquantur in vini & aceti conſumptionem, colaturæ adde ammon. galb. opop. in aceto diſſolutorum. ſingul. ʒ.v. terebint. ℥ j.ß. thur. maſt. ſarcoc. ſingul. ʒ.iij. croci ʒ.ij. agitentur, ac moueantur tum tudicula, tum piſtillo in mortario: poteris ceram addere ad conſiſtentiam. Ante huius vnguenti vſum poterit vulnus aſpergi puluere lumbricorum & granorum tinctoriorum, vel puluere centaurij, vel caudæ equinæ. Et ſi verò vulnus conſui non poſſit, iſtis nihilominus medicamentis vtemur, eaque vulneri applicabimus. At ſi neruus tranſuerſum quidem ſit vulneratus, non tamen omnino diſſectus, maior conuulſionis metus impendet: quare huic præſidiis priùs commemoratis quàm citiſſimè occurrendum: victus tenuior quàm in præcedenti vulnere inſtituendus, largior ſanguinis copia educenda: in quiete & ſtrato ſeu lecto molliſſimo æger continendus: plurimoque oleo affatim & aſſiduè caput collum, ſpina dorſi, axillæ, vel inguina ſi in pede, vel tibia, vel crure, neruus vulneratus, ſunt perfundenda.

Conuulſio ſi iam ſuperuenerit, nullóque medicamentorum vſu remittatur, totus neruus tráſuerſum eſt diſſecandus. Aliqui ferro candenti abſcindunt, deinde oleum ſambucinum feruens admouent, quod alij improbant. Nos verò vtimur oleo de tereb. vel noſtro, tertia forma inter glutinantia medicamenta præſcripto. Vbi verò neruus eſt denudatus curationis conſilium hoc tibi eſt referendum, vt nulla cum mordicatione & acrimonia ſicces. Nullum ergo medicamen-

tum

tum acre quale eſt euphorbium & reliqua ſimilia applicabis:ſed ſuppoſitis diæta & purgatione conuenientibus, ſi nec dolor, nec intemperies, nec aliud accidens moleſtia afficit:loco vulnerato ſequens linimentum applicabimus.

℞.tuthiæ præparatæ ℥.j.olei roſ.quantum ſufficit,fiat linimentum : huic confert calx diligenter lota ſub canicula & oleo roſaceo mixta. Valet quoque oleum roſ. cum reſina,& reſina cum terebint. ſed vtrumque diligenter lotum : in humidiore magis confert terebint. in ſicciori corpore magis reſina.ſi maiorem requiris ſiccitatem, ſupradictis adiicies aliquid euphorbij : poteris quoque aut ea in formam vnguenti redigere:aut puluerem tuthiæ & calcis lotæ ſuperaſpergere. Vulnus verò ſi abluendum videtur, id commodè fiet paſſo:nonnulli etiam mel cum oleo miſcent & applicant.

De nerui contuſione. CAP. XII.

NEruo contuſo ſi cutis ſimul contundatur, & vulneretur, initiò practici roſaceum cum oui candido admouent,& mitigato dolore, vino tepenti fouent partem affectam. Verùm ſi neruus quidem ſit contuſus,cutis verò nihil (quod ſenſui appareat) læſionis acceperit:oleo calenti, quodque diſcutiendi vim habeat, fouebis: qualia ſunt chamæm.anethinum, ſamb.irinum, rutac. & lanam oleo imbutam admouebis.Si vna cum contuſione,dolor quoque infeſtet,in vtraque diſpoſitione cum oleis dictis, vel aliquo eorum miſceatur pix liquida, ſimulque aliquantulum bul-

liant, atque applicentur. Vel ſequens emplaſtrum quod dolorem vehementem ſedare dicitur.

℞. far. orobi vel fab. ℥.iij. rad. lilij cœleſtis ℥. j.ß. mel. ℥.iiij picis naualis, picis liquidæ ſingul. ℥. ß. aceti ʒ.ij. vini rubri quantum ſufficit, fiat emplaſtrum. vel,

℞. corticis radicis altheæ mundati ℥.iij. radicis lilij ℥.j. foliorum maioranæ, agni caſti ſing ℥. ij. coquantur, terantur: deinde adde bdellij vino & aceto diſſoluti ℥.ß. ſtyracis liquidæ ℥.iij. miſce & fiat vnguentum.

Quando eſt contuſio ſine vulnere, commodè applicatur ſapo mollis: cui optimum erit miſcere aliquod aromaticum, vel aliud quod à proprietate conferat: qualis eſt radix centaurij minoris, arum, farina fabarum.

De oſſis vulnere. CAP. XIII.

SCopi huius vulneris curandi ſunt, victus ratio tenuis & frigida, donec inflammationis, febris & doloris tempus præterierit: venæ ſectio vel ad euacuationem, vel ad reuulſionem, vel præcautionem, purgatio pro humorum redundantium natura, denique topicorum vſus: ſi quid extranei adſit, ſi fieri poſſit, extrahatur. Summopere tamen cauendum ne aliquid oſſis vulnerati ſubitò, ac magna vi detrahatur, maximè cùm magna eius quantitas eſt educenda: nam ſi ita fiat, vix à fiſtula, conuulſione, delirio, febri æger tutus erit. Proinde ſatius erit extrahenda in aliud tempus relinquere & interea medicamento trahenti naturam adiuuare. Si verò ſine violentia oſſium fruſtula & fragmenta extrahi poſſunt,

ſunt, præſtiterit id in principio fieri, quàm tardiùs: ne ſi differatur, in eductione eorum renouetur vulnus & dolor ac alia ſymptomata. Oſſium itaque fragmentis eductis, diſtantes partes in vnum adducemus: vt autem vnitæ remaneant, profundioribus & fortioribus ſuturis conſuemus: tutumdamq́ue poſtea loco decliuiori admouebimus: quam priùs melle roſ. myrrha & puluere glutinatorio illinemus. Vulneri autem primis diebus puluerem etiam glutinatorium cum oui albumine apponemus, & ſequentibus diebus eundem puluerem miſcebimus terebinth. vel aliud ex glutinantibus medicamentis applicabimus. Os verò ſi nudatum appareat, puluerem vel vnguentum glutinatorium linamentis excipiemus: eáque cum emplaſtris, vel ſtupis, vel pannis lineis vino calenti imbutis admouebimus. Cùm os totum præciſum eſt, facta in primis ſutura, glutinatoria cum oui albumine primis diebus applicabimus, ſequētibus verò pannos vino calenti imbutos & faſcia longa & lata iuxta membri magnitudinem in partem inuoluemus, vt vulneris locus apertus remaneat, ne quotidie faſciam reuoluere cogamur: deinde ferulas addemus, vt firmior ſit ligatura, ſicut poſtea dicetur. In reliquis verò, quemadmodum alia vulnera curabuntur.

De vulnere à tormentis bellicis.

Eiuſmodi vulneris curatio victum tenuem & frigidum, phlebotomiam, ſi morbus requirat, vireſq́ue permittant, purgationem pro natura &

diſpoſitione humorum corporis : aluumque liberè vel natura vel arte fluentem deſiderat. In topicis , primò ſi quid alieni remanſerit in vulnere,inſtrumentis conuenientibus educatur, vel medicamentis attrahentibus , capite de vulnere ſimplici dictis.In prima medicamentorum applicatione alij laudant ferrum candens , vel oleum ſamb.feruens admotum:alij ſequens oleum: olei viol. ℔.iiij. capito : duos caniculos recens natos cum oleo perfectiſſimè coquito, vermium terreſtrium præparatorum ℔.j addito: deinde percolato & ad vſum ſeruato. Id enim primò dolorem lenit,ac tandem pus ducit. Vel olei de ſemine lini,olei de lilio ſing ʒ.iij. vnguenti baſilici ʒ.j.ſimul miſceto. Nōnulli cancros fluuiatiles terunt & exprimunt:ac liquorem in vulnus infundunt ad dolorem leniendum.Interea autem ad vitandam inflammationem, vulnus vnguento de bolo cum ſucco ſolani , ſemperuiui,aut ſimili ambiatur. In ſecundo apparatu vtemur aliquo ex oleis dictis cum oui vitello & modico croci:ſicque faciendum,donec pus nobis appareat,tuncque detergendum tereb. optimè lota in aqua roſ.vel hordei. Poſtea,

℞. aquæ decoctionis hord.quantum ſufficit, vermium terreſtrium ʒ.iiij. ſucci plantag. apij. agrimon. centaurij minoris ſingul ʒ.j. bulliant. omnia. & in fine decoctionis adde tereb. ʒ.iij. mel.roſ. ℥.ij. farinæ hord.ʒ.iij. croci ℈. fiat deterſorium in forma vnguenti. Si vulnus ſit adeo profundum , vt neque medicamenta neque turundæ eo peruenire poſſint : iniectionem ſequentem

quentem per cathetherem facito.

℞. aquæ hord. ℔. iiij. agrimon. centaurij minoris, pimpinel. abſynth. plantag. ſing. ℳ. ß. radicis ariſtol. ℥. ß. fiat decoctio: cape de col. ℔. j. in qua diſſolue mel. roſ. ℥. iij. aloës hepaticæ ʒ. iij. bulliant parum, fiantque iniectiones, quoties vulnus inuiſes. Si vulnus maiorem expetat abſterſionem ℔. j. decoctionis miſcebis ℥. j. ægypt. vel pulueris mercurij cum alumine.

Verùm ſi dolor ſuperuenerit cum inflammatione admoueatur vnguentum nutritum cum ſucco plantag. ſolani & ſemperuiui: valet quoque emplaſtrum diachalcit. diſſolutum oleo roſ. papa. & aceto. Poſt vſum repellentium felici ſucceſſu ſequenti vtemur.

℞. micæ panis infuſæ in lacte bubulo ℔. j. ß. olei viol. & roſ. ſingul. ℥. iij. vitellos ouorum iiij. roſ. rub. florum chamæm. melil. in puluerem redactorum ſingul. ℥. ij. farinæ hord. & fab. ſingul. ℥. j. croci ʒ. j. fiat cataplaſma. Si periculum immineret corruptionis, fiat vt in gangræna dictum eſt.

VVLNERVM PARTICVLARIVM CVRATIO.

De capitis vulneribus. CAP. XIV.

VVlnera capitis, vt certa methodo curemus: victum tenuem, donec ægrotus ſit ab inflãmatione ac reliquis accidentibus tutus, præſcribemus: venam cephalicam, ſi affectus exigat, vi-

reiqúe ferant, aperiemus, iniecto priùs clyſtere molliente. Medicamenta laxantia, mitiora tamen, iuxta humorũ dominium, exhibebimus: vt ſemper aluus liberè fluat, curabimus: ab omnibus vaporem in caput mittentibus abſtinere iubebimus: aërem maximè dum vulneri medebimur, calfaciemus: cubabit ægrotus in qua parte minùs dolebit, donec pus ſit genitum: tunc enim in parte affecta cubandum, vt faciliùs pus effluat, niſi dolor id prohibeat.

In topicis primò animaduertendum, num ſit diſſolutio continuitatis in oſſe: idque digitis tentabis, filo, palea: quòd ſi adhuc dubitas, neque ſatis hiat vulnus, illud erit tibi nouacula magis aperiendum, idque in formam literæ X. & cranium ea parte detegendum, ac ſtupas aceto imbues, ad vitandum ſanguinis profluuium.

Cranio verò diſcooperto vbi ſciſſura apparet, (ſi dubitas num ea penetret, néc ne) linamentum oui albumine cum puluere maſtiches imbues & applicabis: cumque poſtea inuiſes vulnus, aſpicies num linamentum ſit aliqua in parte ſiccius: quòd ſi ita ſit, id tibi erit penetrationis indicium. In contuſione quoque ſine vulnere, raſo priùs capite, appone idem medicamentum: quòd ſi aliquo in loco tibi linamentum ſiccius videatur, ibi ſubeſſe cranij fracturam æſtimabis. aut,

℞. ceræ, thuris & ladani ſing. ℥ ij. terebinth. farinæ fab. aceti ſing. ℥ j. fiat cataplaſma, quod toti capiti raſo applicetur: ſi adſit fractura, ea in parte cataplaſma ſiccius apparebit. Cumque tibi

cra-

cranij fractura apparuerit, ſi ſit adeò magna, vt per eam pus exire poſſit: nec modiolo ſeu trepano, nec ſerra eſt opus ad dilatandum. Si autem adeò ſit exigua fractura vel fiſſura, vt pus effluere non poſſit: ne oſſium fragmenta menyngem lædant, cutem ad cranium vſque in formam literæ X. vel † ſcindes: cranium eo loco diſcooperies: ac lineamenta oui candido imbuta in ſequentem diem admouebis: ſequentique die modiolo cranium aperies. Ea verò in operatione vires an ſint valentes diligenter conſiderato: prognoſtico de futuro periculo prudenter vtitor, plenilunium maximè fugito, commiſſuras quantum potes caueto: in loco decliuiori, niſi quid obſtiterit, cranium aperito: ſi magna eſt fractura, eam totam ne exſcindito, ſed vt pus effluere poſſit, oſſiumque fragmenta detrahi ſatis tibi eſto: quæcunque menyngem lædere poſſent, quàm citò fieri poteſt educito, ſi quid aſperi fuerit, lenticulari detrahito: eam operationem in tertium vel quartum diem ne transferto, ſed antequam febris, aliaque ſymptomata corripiant, perficito. Abſoluta ea operatione pannum ſericeum rubrum in melle roſato calenti immerſum inter craſſam menyngem & cranium admouebis: Guido in principio miſcet partem vnam mellis trib. partibus olei roſ. ob dolorem: at contra, quando eſt à dolore tutus: de Vigo in corporibus duris initiò miſcet mel cum aqua vitæ: ſi quidem nec oleum, nec alia humectantia ex Hippocrate capiti conueniunt. Poſtea ellychnia melle etiam imbuta ſuperpones: aliis au-

item partibus vulneris linamenta digeſtiuo ex vitello oui & oleo roſaceo infecta applicabis. Si aliquod oſſis fragmentum tam adhæreat, vt facilè detrahi non poſſit, oleo roſaceo erit perfundendum, vt facilius euatur. Cùm vulnus eſt in parte capitis ſuperiori ſeu in vertice, non eſt ſutura opus: cùm verò in lateribus, ſutura proderit. Solent multi pelle arietina, multiſque operimentis caput onerare, quod Hippocrati non placet: copia enim operimentorum capiti eſt oneri: calorem auget, ac tranſpirationem prohibet. Satis itaque erit, ſi ab aëre frigido cerebrum non afficiatur. Elapſis duobus aut tribus diebus ab vſu dictorũ medicamentorum ad ſequens eſt tranſeundum: neque enim eo digeſtiuo, quod vocant, diutiùs eſt vtendum niſi magnus dolor adeſſet.

℞. vnguenti regis ℥.iij. mellis roſ. ℥.j. tereb. lotæ ℥.ß. pulueris myrrhæ, cort. thuris, ſarcoc. ireos ſingul. ʒ.ß. olei hyperici aliquantulum, fiat vnguentum quo linamenta imbuantur: ſemper tamen pannum ſericeum rubrum melli immerſum inter craſſam meningem & cranium interponendum. Vbi meninx iam cooperta eſt, poſſumus vti puluere ex myrrha, aloë, thure, maſtiche, ſarcoc. mixtis. vt,

℞. radic. ariſtol. iridis florent. corticis thuris, ſarcoc. ſang. drac. ſingul. ʒ.j. nucis cupreſſi. myrt. ſingul. ʒ ß. centaurij minoris ℈.j. coralli ℈.ij. farinæ orobi ℥.j. fiat puluis tenuiſſimus qui admoueatur cùm linamentis, & ſuperponatur emplaſtrum de betonica, vel de caprifolio: de quibus poſtea dicemus. Quod ſi craſſa meninx

intumeſcat

intumeſcat, & per foramen modiolo factum exeat: oleum de vitellis ouorum commodè ac vtiliter admouebimus, & pannum vel ſpongiam imbutam decoctione roſarum, chamæm. & meliloti. Verùm ſi caro ſupercreſcat, ſuper meningem craſſam, apponatur alumen coctum, vel puluis mercurij, vel hermodact. vel vnguentum apoſtolorum. optimum & maximum ad detergendum medicamentum in iſtis & aliis capitis vulneribus eſt mel roſ. mixtum cum aqua vitæ, terebinthina vel eius oleo cum puluere ſarcoc. & cocci baphici (grana tinctorum appellant) qua quantitate putabis expedire: Lenius eſt ex mellis roſ. ℥.ij. farinæ hord. ℥.j. ſarcoc. ʒ ij. vitello oui & oleo roſato. Quando exigua eſt contuſio abſque vulnere ac cranij fractura, caput priùs raſum foueatur oleo roſ. & aſpergatur puluere myrti: altero autem die fiat ſequens catapl.

℞. pulueris myrt. ℥.j. nucum cupreſſi, ſumac. balauſt. roſ. ſing. ʒ ij. olei roſ. vel chamæm. quantum ſuff. fiat catapl. quod prodeſt etiam contuſioni cum exigua cranij fractura, aut vbi eam ſubeſſe ſuſpicamur: in qua ſatis eſt reſoluere ac diſcutere, & ſub finem ſi addideris ſquinanthum, abſynthium, lentium & fab. farinam, optimum effeceris medicamentum, ad diſcutiendum, detergendum, atque roborandum, nec dum hæc fiunt, prætermitti debent reuulſiones & deriuationes, tum venæ ſectione, tum cucurbitulis, tum aliis modis factæ, & alia vniuerſalia initio huius capitis dicta. Interdum ex contuſione cranium deprimitur potiùs quàm frangatur, vt in

pueris ſæpiſſimè viſum eſt, ob eorum mollitiem: tuncque optimum eſt ſequens emplaſtrum.

℞. propoleos, vel ceræ nouæ ſordidæ & mellis communis ſingul. ℥. iij. lapidis magnetis ℥. ß. lapidis pumicis ℥. iij. abſynthij, cumini, ſulph. ſingul. ʒ. ij. ſalis ℥ j. furfuris pug. j. vini optimi ℥. iiij. miſce, & fiat forma emplaſtri, quod calens applicetur capiti raſo, quo loco depreſſum eſt cranium: feraturque quindecim dies. Eſt enim virtutis mirabilis in releuando & reducendo cranio depreſſo. vel,

℞. mellis communis ℔. ß. fermenti ℔. j. furfuris ʒ. ij. ſalis ℥. ß. cumini, abſynthij ſing. ℥. iiij. fiat emplaſtrum, quod geratur dies 15. Emplaſtrum etiam poſitum poſt deſcriptionem aquæ velati inter glutinantia cap. de vulnere ſimp. hîc eſt vtile.

Emplaſtrum de centaurea.

℞. centaureæ in vino albo noctem infuſæ m̃. vj. coquantur ad medias, & poſt colaturam coque iterum ad mellis craſſitiem: de huiuſmodi decocto cape. ℥. iij. lactis mul. ℥. ij. tereb. ℔. j. reſinæ ℥. ß thuris, maſt. gummi arab. ſing. ℥. j. ceræ. nouæ quart. j miſce ac fiat emplaſtrum. Sequens quoque eleuat oſſa, eſtque ſarcoticon.

℞. terebinth. partes ij. reſinæ partem ß. ceræ partem j. liqueſiant: poſtea diligenter cum aceto agitentur: altero die cape ſucci betonicæ partes ij. verbenæ partem j. lactis mul. quantum videbitur, miſce omnia & moue diligentiſſimè.

Cùm caput fiat ob vulnus imbecillius, multáque recipiat excrementa: vnde exactis etiam

40. die-

40. diebus, inflammationes, aliáque ſymptomata ſuperuenient, ac denique mors: ſub finem curationis, non autem initio (ne calidorum vſu ſanguinis fluxum excitemus) optimum erit vti ſequenti aqua, quæ humorem tenuem efficit, ac per vrinas educit.

℞. radicum graminis, ruſci, aſparagi & fœnic. ſingu. ℥.ij. fol. beton. ſcrophul. filipend. piloſel. ſingul. m̄. j. radic. ireos & ariſtol. ſingul. ℥.j. chamæd. m̄. ß. ſeminis halicacabi, alkekengi nuncupant, ℥.ß. ſeminis milij ſolis ʒ.ij. ſeminis aniſi ℥.j. quatuor ſeminum frigid. maiorum ſingul. ʒ.vj florum ſtæch. & roſ. ſingul. pug. j. macerentur diem & noctem in ℔. iiij. vini albi & aquæ, & coquantur, addendo mellis ℔. ß. poſtea colentur, & decoctum aromatizetur cinam. eiuſque decocti capiat manè ℥. iiij. & ſerò cùm lectum ingredietur tantundem nouem dies. Animaduerſione ac reprehenſione dignus mihi videtur eorum error qui in parua cranij fiſſura, tametſi non penetrat, vel etiam in magna fiſſura, & quæ ſatis hiat, modiolum ita admouent: vt quo quis maiorem cranij partem ademerit, eò maximè glorietur: quaſi verò opus aliquod inſigne ac præclarum effecerit. Adeò enim ſunt plerique ignorantes, & in artis operib. ita cæcutiunt, vt non videant hac ratione vulneris curationem in longiſſimum tempus protrahi, atque ægrum in multorum ſymptomatum diſcrimen adduci: quod hac ratione faciliùs cerebrum ab aëre alteretur, denique afflictio ea de cauſa mortis imminere periculum. Sed quemadmodum antè di-

ximus cùm vulnus ſatis hiat, ſic quidem vt pus liberè poſſit effluere, alia ſectione nequaquam eſt opus: ſed quod aſperum eſt ac præter naturam, eſt detrahendum.

De vulneribus faciei. CAP. XV.

VVulneribus faciei curandis victus quoque tenuis initio eſt ex vſu, vt ſuperiori capite dictum eſt. Proſunt quoque reuulſiones ad vitandam inflammationem: quæ fient venæ ſectione, ſi ſatis ſanguinis ex vulnere minimè fluxiſſe videbitur, vel cucurbitulis cum ſcarificatu in vertebris colli: aliæ quoque fient reuulſiones. Erit etiam admodum vtile aluum laxare: atque catharticis humores malignos repurgare.

In topicis magnoperè erit venuſtati & pulchritudini faciei conſeruandæ ſtudendum. Proinde in ſutura, frequentiùs erit acu pungenda cutis, filumque ducendum, vt frequentiora & propinquiora ſint ſuturæ puncta: ſic enim firmius glutinabitur. Aut fiet ſutura quam ſiccam vocāt. Interdum etiam cùm prima ſutura non eſt ſatis firma, vulneriſque labia ſatis vnita non retinet, ſed laxa eſt, poſterior quoque eſt addenda. In locis motui dicatis, ſutura fieri poterit acub. labia vulneris transfigentibus, ibique remanentibus, & filo infernè ac supernè circunuolutis. Turunda non eſt admouenda, niſi eſſet vulnus profundum, aut cum ſubſtantiæ ablatione. Medicamenta eadem hîc ſunt profutura, quæ aliis vulneribus conueniunt. Ego ſuturæ ſuperpono partes ij. aquæ vitæ & terebinth. vnam, alij vtuntur vnguento de minio. Proderit ſemper iis faciei

ciei & aliarum partium vulneribus aqua glutinatoria, cap. de vulnere ſimpl. vel aliquod ſimile balſamum valenter exſiccans, idque maximè in principio.

De oculorum vulneribus. CAP. XVI.

OCulorum vulnera ſanabimus victus ratione tenui, reuulſionibus, purgationib. & repellentibus. Cùm enim in iis ſoleat eſſe dolor acerbus, omnibus modis erit prohibenda inflammatio. Repellentia verò aptiſſimè fronti ac temporibus admouebuntur. In topicis initiò proderit albumen oui diutiſſimè cum aqua roſarum agitatum. In ſecundo apparatu ſuperiori adiicere poterimus collyrium album ſine opio, & in tertio & quarto eodem modo. deinde,

℞. myrrhæ, ſarcoc. nutritæ in lacte ſing. ℈. ß. tuthiæ præparatæ ℈. j. mellis roſ. parum, miſce & fiat forma linimenti: quòd ſi de acrimonia æger queratur, miſce nonnihil albuminis oui & aquæ roſarum.

℞. aquæ roſ. ℥. ij. ſyrupi roſ. ſolutiui ʒ. iij. fiat collyrium. Alij ad detergendum & mundificandum vtuntur melle virgineo, ſaccharo cando, tuthia præparata & aloë ſimul mixtis.

Dolori leniendo ac demulcendo, confert lac cum collyrio albo & muccag. ſeminis cydon. extracta in aqua roſarum.

Ad diſſoluendum ac reſoluendum ſanguinem concretum in oculo ex ictu & contuſione, valet lac muliebre cum albumine oui: vel ſanguis columbi ex ala detractus & calens inſtillatus,

poſt ſecundum aut tertium diem : aut medulla panis torrefacta & vino rubro infecta : Aut videto, quæ ad ophthalmiam præſcripta ſunt.

Palpebræ inciſæ cum ciliis, acu curua conſuantur, fiatque ſutura ſatis profunda & firma, quæque diu partes vnitas retineat ne ob motum impediatur agglutinatio. In reliquis quæ ſunt applicanda, aliorum vulnerum curatio obſeruetur.

De naſi vulneribus. CAP. XVII.

NAſi vulnera eadem methodo profligantur. Nam victum tenuem, reuulſionem, alui mollitiem, ac repellentia naſi ambitui admouenda, & alia vniuerſalia deſiderant, iuxta affectus magnitudinem. Quantum ad topica: Sutura fieri debet acu curua, ſi recta commodè adhiberi non poſſit: debet autem eſſe ſutura ſatis profunda: id verò antequam fiat, partes digitis in nares immiſſis exactè & appoſitè ſunt componenda: poſtea cannula ex penna anſerina confecta, ſtupis eſt inuoluenda & naribus ad reſpirationem immittenda: id tamen Paulus Ægineta non probat. De vinculis, & ligatura, ait Hippocrates, Qui præſtantiora vincula amant ſine mente complura elia lædũt, atque adeò naſum. Deinde ait: Si pars narium interior frangatur, reponatur immiſſo indice, vel ægrotantis, vel pueri, mollibus ſiquidem manibus eſt opus, donec in ſuam ſedem reducatur. Quòd ſi index vel minimus immitti non poſſit, ſpecillum imponatur primo ſtatim die, vel paulò poſt, quoniam

niam hæc oſſa callo glutinantur & indurantur vndecima die, niſi corrumpantur: Exteriùs verò manu medici in ſedem naturalem reſtituantur. Conſtat itaque naſo non poſſe commodam ligaturam applicari: ſed poſt ſuturam aqua glutinatoria de vulnere ſimplici dicta, vel aliud eius generis, vel albumen oui cum puluere glutinatorio apponendum: admouenda quoque puluilla externæ parti, interius autem turundæ.

De labiorum & aurium vulneribus.

CAP. XVIII.

LAbiorum vulnera ſuturam decentem requirunt, ac eorum appoſitionem quę glutinant, atque ob frequens ſputum, quod humectat, diligentiùs eſt exſiccandum & aſtringendum. Quare admodum erit vtile, locum ſemper fouere aqua noſtra glutinatoria, ligaturam huiuſmodi vulnera non admittunt, niſi ad retinenda medicamenta, quæ apponuntur, labiorum denique extrema exactè & ad amuſſim reſtitui æquarique debent, ob formam decoram quæ diligenter eſt conſeruanda. Reliqua fiant, vt in capitibus vniuerſalibus dictum eſt.

Aurium quoque vulnera ſuturam deſiderant, & valenter ſiccantia, aſtringentia & glutinantia, cùm pars illa ſit ſicca. Quodlibet autem vinculum, ait Hippocrates, auribus eſt inimicum: neque enim ita laxum circundabitur, & ſi magis aſtringat, plurimùm nocet: quandoquidem auris tota ſolo vinculo aſtricta dolet: pulſu vexatur, atque inflammationes. Optima medi-

cina eſt interdum medicinam non facere, tum ad aurem, tum ad alia multa,

De colli vulneribus. CAP. XIX.

COlli vulnera poſt vniuerſalium inſtitutionem ſi ſint in ſubſtantia carnea, ſeu muſculoſa, tantùm ſuturam deſiderant & vſum glutinantium. Si vulnera in venis, vel arteriis, ſiſtendus ſanguis, vel medicamentis dictis de ſanguine ſiſtendo, vel digitorum admotione, venæ, vel arteriæ orificio: vt cuidam accidit, in vena externa iugulari vulnerato, qui familiarium opera viciſſim vulneri digitum tres dies admouentium, ſanus euaſit: vel, ſi fieri poſſit, vena, arteria ſuatur. Si digitos admoueas venæ orificio, eos illic contineas donec grumus ſit factus. Ligatura hîc locum non habet: collum enim ob venas, arterias, neruos magnos, ac ſpiritus tum vitales, tum animales, conſtrictionem non patitur. Quod ſupereſt, vt in vniuerſali methodo faciendum. Vulnus ſi fuerit in œſophago, vel tracheia arteria, ſutura quoque requiritur: ac glutinantia ſunt admouenda: Ore verò ſunt continenda diaſymphyton, diatragag. diapap. & ſimilia. Si vulnus neruos attigerit, præſcripto victu tenui, reuulſionibus, catharticis, repellentibus admouendis ad vitandam inflammationem, vulnus fouendum oleo roſaceo calenti: Anodyno quoque ex oui vitello & oleo roſaceo vtendum, donec ſit à dolore liber & tutus ab inflammatione. Poſtea quando pus aderit, ſequenti deterſorio vtendum.

℞. mel. roſ. ℥ iij farinæ hord. ℥. ß. terebint. ʒ. iij. reſinæ ʒ. ij. thuris, maſtich. ſingul. ʒ. j. myrrhæ, ſaccoc. ſingul ℥. ß. ceræ ʒ. ij. olei maſtich. & hyperic. ſing. ℥. iij. miſce, ac fiat vnguentum.

Cùm ex eo vulnere conuulſionis impendet periculum, capitis pars poſterior & colli vertebræ liniantur oleo chamæm. anethino, lumbricorum, de terebinthina pingued. gallinæ, & terebinthina: Plerumque enim certa experientia comprobaui, cùm terebinthinam, tum eius oleum, ſæpe in iis & brachiorum vulneribus & dolorem demulcere & conuulſionem remorati. Si vulnus ad ſpinalem medullam peruenerit, lethale.

De humerorum vulnere. CAP. XX.

HVmerorum in vulneribus præmittenda ſunt vniuerſalia remedia, vt victus, reuulſio, purgatio, alieni ablatio & alia.

Topicis poſtea ſic vtendum. Vulnus profundè, firmitérque ſuendum, ne brachij pondere ſutura facilè diſſoluatur, ac diſrumpatur & glutinatio impediatur: Proſpiciendum tamen ne nerui acu pungantur: aqua noſtra glutinatoria fouebimus: ſuturæ ſuperponemus albumen oui cum puluere reſtrictorio: Stupas imbuemus oui candido & oleo roſ. ac ſuperponemus: Turundam digeſtiuo imbutam, ſi necesſaria videbitur, in locum decliuiorem immittemus: ligatura conuenienti ac firma humeros circumuoluemus.

Exacto tertio vel quarto die à primo apparatu, turundam terebinthina, myrrha & ſarcoc. imbuemus.

De brachiorum vulneribus. Cap. XXI.

BRachiorum vulneribus eſt opus victu conuenienti, reuulſionibus, alui deiectione, extranei ablatione & aliis vniuerſalibus.

Topicorum ratio eſt huiuſmodi. Si vulnus in-muſculorum longitudinem protenſum, ligatura ſufficiet: ſi verò ſit per tranſuerſum muſculorum, fiet ſutura profunda firmaque, ac loco inferiori turunda apponetur: puluis aſtringens & glutinatorius oui candido exceptus, applicabitur: Parti ſuperiori ad vitandam inflammationem, repellentia ex ſuccis frigidis & aliis apponentur: à quarto die turunda detergentibus erit inficienda.

Cubitum ſi vulnus afficiat, vniuerſalia erunt magis exactè magiſque diligenter obſeruanda: diligentiuſque ob inflammationem repellendam: & anodynis leniendus dolor, ob periculum non modò inflammationis, ſed aliorum quoque ſymptomatum, quæ ſuccedere ſolent vulneribus articulorum.

De thoracis vulneribus. Cap. XXII.

PRimus horum vulnerum ſanandorum ſcopus requirit victum frigidum, ſiccum ac tenuem, pro virium ratione. Cibi aſtringentes initiò

innitiò minimè conueniunt: ne difficilem efficiant anhelitum, ac ſanguinem magis coagulent, ſi quis ſit in thoracis cauitatem delapſus: ſed vtendum amygdalato, hordeato, paſſulis & aliis, quæ thoraci conueniunt.

Secundus ſcopus ad euacuationem, reuulſionem, purgationem refertur: Iniecto itaque clyſtere molliente, vena ſecanda ſi videbitur in cubito partis oppoſitæ. Cucurbitulæ naribus & aliis partibus inferioribus admouendæ: extrema & fricanda & arctiſſimè vincienda, ad reuulſionem: altero à venæ ſectione die, bolus offeretur ex caſſia & cathol. ſi vires ægroti permittant.

Tertius ſcopus eſt in topicorum vſu. Animaduertendum autem num vulnus in thoracis cauitatem penetret (nulla tamen interna parte læſa) & ſanguis in cauitatem influxerit: num ſit vulnus externum tantùm: num denique coſta aliqua ſit fracta. Sanguis ſi in ciuitatem influxerit, retinendum vulnus apertum, & ſi minus videbitur vulneris orificium, ipſum erit ſtatim dilatandum, vt ſanguini liber pateat exitus & in thoracem facilè fiant iniectiones.

Ne verò ſanguis concreſcat, aut vt concretus diſſoluatur, dabitur potus ex ℥.j. rhabar. mummiæ ℈ j. cum aqua plantag. alij addunt rubiam tinctoriam, terram ſigillatam cum ſucco mali punici, de quibus capite de caſu diximus. Pulco ſeu ſyringa iniiciemus in thoracem vinum calens: vel ex aliis aquam vitæ, vel melicratum, vel œnomel, hoc eſt vinum mellitum ad partium internarum deterſionem. Vel,

℞. hord. mund. lentium ſing pug. ij. caudæ equinæ m̃. j. roſ. rub. pug. ß. bulliant in æquis partibus aquæ communis & aquæ plantag. cum modico ſucci mali punici ad tertias: colaturæ adde ſacch. ʒ. ij. ſyrupi ex infuſione roſ. ʒ. iij. croci ℈. j. vel,

℞. radic. gentianæ ʒ. ß. lupinorum, lentium ſing. ʒ. ij. plantag. agrimon. ſing. m̃. ß. thuris, myrrhæ ſing. ʒ j. mel. roſ. parum, bulliant in vino & fiat iniectio: vel ea vtere quæ eſt capite de vlceribus thoracis.

Poſt vulneris deterſionem, ad aſtringentia eſt properandum, cuiuſmodi balauſt. myrtus, acacia, hypociſtis, mala cydonia, mirobal. aqua plant. roſ. ſuccus mali punici & ſimilia, ex quibus fiat decoctio & iniiciatur.

Aſtringentia etiam tunc ore ſumenda: modò tuſſis non infeſtet, quæ eorum vſu augeretur. Quòd ſi ſuperioribus ſanguis, vel ſanies non educatur, qui ſuper diaphragma corruerit, noua ſectio eſt facienda inter quartam & quintam coſtam, in coſtarum longitudine, non procul à ſpina dorſi: & ſi robuſtus æger videatur, poterit ſectio in cauitatem vſque penetrare: ſi verò debilis, vel non eſt ſectio facienda, vel non ad cauitatem vſque, ſed tantùm ad membranam ſuccingentem coſtas.

Coſta ſi fracta fuerit, applicabitur emplaſtrum oxycroceum: ita tamen vt vulneris locus apertus remaneat, per quem poſſit pus educi: cúmque medebimur, apponemus digitum fracturæ, ne loco moueatur coſta & ægro iubebimus vt

tuſſiat:

tuſſiat: vt pus tuſſiendo meliùs expellatur.

Si vulnus in profundum quidem penetrat, ſed nec partium internarum læſio, nec coſtæ fractura, nec ſanguinis intro defluxio: Vel ſi vulnus intro non penetret, tamen multùm hiet, ſutura proderit, & ſi penetret, turunda immittetur filo alligata, ne cadat in cauitatem thoracis: ſin minus, non eſt alliganda, quæ imbuetur oui albumine, ſine puluere glutinatorio ac ſuperponentur ſtupæ eodem modo imbutæ diebus verò ſequentibus turunda inficietur digeſtiuo ex tereb. & oleo roſ. Deinde cùm pus apparuerit, ad detergendum vteris.

℞. mel. roſ. ℥ ij. terebinth. ℥ iij. ſucci apij & plant. ſingul. ℥ j. bulliant modicum: poſtea adde vitellos ij. farinæ hord. & fœnug. quantum ſufficit. Vel,

℞. mel ℥ j. myrrhę thuris, ſarcoc. ſing. ʒ. ß. farinæ hord.. & fœnug. quantum ſuff.

Parti externæ poſtea emplaſtrum diacalcit. apponendum. Vlcus ſi degeneret in fiſtulam, recurrendum ad fiſtularum curationem, de vlceribus. Quartus huius curationis ſcopus ad ſymptomatum correctionem pertinet: Ea verò ſunt febris, dolor, anhelitus difficultas & tuſſis. Febri occurritur victus ratione frigida & tenui, reuulſione & purgatione. Si ex febri aluus dura, tertio quoque die iniiciendus clyſter mollis ac refrigerans.

Dolori & grauitati ſubuenitur, quando eſt ſine febri, fotu ex decocto chamæm. melil. anethi, ſeminis lini, fœnug. ſtæchad. & roſarum, ſe-

quentique vnguento poſt fotum.

℞. vnguenti reſumptiui ℥.iij. vnguenti dialtheæ ℥.ij. pingued. anſeris galllinæ & anatis ana. ℥.ß.butyri recentis & olei amygd. dulc. ſingul. ℥. j.ß.croci parum, ceræ quantum ſufficit: fiat linimentum quo liniatur poſt fotum: ſi verò adſit febris liniatur ſine fotu præcedenti. Anhelitus difficultas & tuſſis minuantur vſu decoctionis ſequentis.

℞ hord. mundati pug. j. liquiritiæ raſæ & contuſæ ℥.j quatuor ſeminum frigid. maiorum ſemunciam, iuiubarum, paſſul. ſing. par. x. penid. ℥. ij. ſacch. albiſſimi ℥.iij. bulliant diligenter in aqua hord. vtatur que eo decocto frequenter, ſaltem manè & ſerò. Hac methodo priſtinam incolumitatem recepit Claudius Chillacus ſocer meus confoſſus in cordis regione, adeò vt ictus in cauitatem thoracis penetraret: citra tamen partium internarum (quod cognouerimus) læſionem. Cui coſta erat quoque fracta, eiuſque ſonitum, ad cordis motum apertiſſimè ob fracturam audiebamus. Quæ ſanè res mihi curationem efficiebat dubiam: fieri enim poſſe non videbatur, vt coſta ob perpetuam cordis agitationem callo obduceretur, quæ ſic fracta, vlcus fouebat, vt putre quippiam ſemper appareret, magnum imminebat fiſtulæ periculum, ac denique interitus ægrotanti: qui tamen diuino ac ſingulari propemodùm munere, noſtraque opera & diligentia, contra omnium opinionem, priſtinæ valetudini eſt reſtitutus. Potio Guidonis, ex caryophillata, rubia tinctoria, aliiſque rebus calidis cum

vino,

vino, mihi non probatur, ob febrem, tuſſim ac anhelitus difficultatem.

De ventris inferioris vulneribus.

CAP. XXIII.

VEntris vulnera ſi ad inteſtina peruenerint, ſitque inteſtinum vulneratum, initiò victum tenuem, exſiccatoriũ, aſtrictoriũ, ac glutinatoriũ expetunt. In iuſculis itaque vtetur aſtringentibus, vt aqua chalybeata: in iiſque diſſoluetur maſtiche ad ℥.j. Requirunt etiam reuulſiones, tum venæ ſectione, tum cucurb. tum frictionibus, tum ligaturis faciendas. Clyſteres iniicientur initio ex iure capi, vel inteſtinorum & extremitatum veruecis: in quo hordeum, chamæm. anethum & furfur coxerint: in iiſque mel. roſ. & vitelli ouorum diſſoluendi. Poſtea iniiciatur clyſter aſtringens & glutinans, vel ex vino auſtero & ʒ.j. pulueris aſtrictorij ad inteſtina roboranda. Maximè verò clyſteres proderunt, ſi vulnus ſit in inteſtinis craſſioribus: ſi verò in tenuioribus & glutinantia & detergentia & anodyna ſunt potiùs ore ſumenda. Purgantia medicamenta hîc locum non habent, tum ne excremẽta in partes affectas adducantur, tum ne in tranſitu bilis mordicet, ac dolorem augeat, tum ne inteſtina excrementorum tranſitu imbecilliora reddantur. Quantum ad topica, Si inteſtinum læſum proſiliat: primò quidem abluendum eſt vino in quo abſynthium, chamæm. melil. aneth. & roſæ coctæ ſint. Deinde inteſtinum ſuendum pellionum ſutura: vtraque autem fili pars extra

ventrem promineat & pendeat, vt glutinato vulnere poſſit retrahi. Cumque inteſtinum conſutum fuerit, reſpergatur maſtiche, vel altero puluere aſtringente & glutinatorio. Nonnunquam inteſtinum quidem non eſt oblæſum, ſed extrà prominet, ſtatimque intumeſcit, ſubortis in eo flatibus, adeò vt in ventrem remitti non poſſit: tumque primò fouendum vino, in quo coxerint aniſum, fœniculum, cuminum cum melle: aut catellum vel columbam, vel gallinam mediam diuides: ac puluere ex diſcutientibus flatus reſperges & inteſtino tumenti admouebis. Si verò flatus ita diſcuti non poſſint, nec inteſtinum ſuo loco reſtitui, vulnus eſt dilatandum obtuſo ferro, vt magis inteſtina non lædat: tandemque inteſtinum remittendum. Omentum ſi per vulnus proſiliat, filo ligandum, quod prominet, eſt præſcindendum, ac cauterium applicandum ad ligaturam vſque, denique loco reſtituendum: ita tamen, vt filum etiam extra ventrem pendeat, vt poſt eſcharæ caſum ipſum quoque cadat. Ego tamen cauterio non vtor: nam quod corruptum eſt vnà cum filo proceſſu temporis commodè poteſt educi. Poſteaquam & inteſtinum & epiploum intro ſunt remiſſa, lociſque ſuis reſtituta, externa ventris labia ſunt vnienda & conſuenda hac quidem ratione, vt vnius partis punctura ſit ſuperior: alterius autem punctura inferior.

Ex ſanguine in partes internas ventris influente, ac decidente, haud magnum imminet damnum, ſi illic quoq; retineatur: quando quidē natura

tura ipſum in bubones, ſeu inguina tranſmittet atque tumorem excitabit: qui curabitur, quemadmodum antea de tumorib. loci illius docuimus. Hepar verò vel lien vel ventriculus ſi lædatur, curatio non differt ab aliis, niſi quod partes illæ ſunt perpetuò propter neceſſarias actiones confirmandæ, ac roborandæ: faciliùs tamen ventriculo quàm cæteris, tam aſſumptis, quàm admotis medebimur: quæque aſſumentur maiorem vim habebunt in ventriculo læſo, quàm in hepate & liene, ob viæ longitudinem & rei aſſumptæ alterationem. Denique ſi ex inteſtinorum vulnere tormina ſuboriantur, ventrem vino fouebimus, in quo ſemen aniſi & fœnic. ac reliqua flatus diſcutientia & chamæm. ac melilotum, reliquáque anodyna coxeris: aut videto, quæ de tumore flatuoſo diximus.

De crurum ac tibiarum vulneribus.

CAPVT XXIV.

CRurum & tibiarum vulnera in ratione curandi, parum admodum differunt à methodo præſcripta in vulneribus humerorum ac brachiorum. Proinde victus ratio tenuis præſcribenda: occurrendum inflammationi, omnibus reuellendi modis: humores vomitu potiùs quàm alui deiectione purgandi, pars affecta ita collocanda, vt minimum doloris perſentiſcat, nec corporis recrementa eam in partem leui negotio delabantur: denique pars eſt in otio continenda. Nam ex Hippocr. neque ſtare conuenit, quem vulnus exercet: præſertim in ſi crure

verſetur: ſicut nec ſedere, nec ingredi, ſed quies, & otium plurimùm conducunt: Tandem fiat ligatura repellens, ne humores tam facilè in partem procumbant.

De vulnerum ſymptomatis.

CAPVT XXV.

SYmptomata quæ vulneribus accidunt, ferè ſunt ſanguinis profluuium, dolor, intemperies, phlegmone, conuulſio, paralyſis, ſyncope, febris, & ex febri delirium. De ſanguinis profluuio initiò diximus, ſupereſt, vt de aliis paucis agamus.

Dolorem demulcemus litu ac fotu ex oleo roſ. & oui albumine, ſi adſit inflammatio: ſi verò abſit totum ouum prodeſt cum oleo roſ. aut catapl. ex mal. butyro & furfure: aut mica panis in lacte infuſa, Semper tamen videnda eſt cauſa doloris, vt ei occurratur, quemadmodum ſi dolor adſit ob impeditam tranſpirationem & puris vel ſaniei retentionem: danda eſt opera, vt ei exitus pateat, vulnus quantum ſatis eſt dilatando: cauendum tamen à ſanguinis profluuio.

De intemperie.

Intemperiem calidam emendamus nutrito ex ſuccis plantag. & ſolani, oleo roſ. & aceto & lithar. cum ceruſæ exigua quantitate: vel vnguento albo cum caphura, vel vnguento quod populeon vocant, & ſimilibus.

Intemperiem frigidam corrigimus fotu ex decoctione calidorum medicamentorum, facta in vino, vel litu ex oleo chamæm. anethino, irino,

ruta-

rutaceo, laurino : vel vnguento macedonico: vel cataplaſ. ex puluere chamæm. ſeminis lini cum vino & ouo integro, ac ſimilibus.

De inflammatione.

Inflammationi occurrimus litu ex lacte, oleo roſ. & ouo, cum farina hord. aut cataplaſm. Auic. ex malo punico in vino cocto & contuſo, & eiuſmodi. Papauere, mandrag. & opio non vtendum, niſi cùm cætera non profuerint. Si vis plura, vide in curatione phlegmones.

De febri.

Febrem cohibemus victus ratione tenui & frigida, venæ ſectione, medicamentis laxantib. dictis de tumoribus calidis, denique iis omnibus quæ ſolent inflammationem impedire.

De delirio.

Delirij aduentum impedimus, dum adeſt febris, & venæ ſectione, & clyſteribus, & medicamentis vaporum aſcenſum in cerebrum cohibentibus, vt initiò oxyrhodino, fronti ac temporibus illito, ex olei roſ. ℥ ij. aquæ roſ. ℥. j & aceti ℥. ß. Ad ſomnum etiam conciliandum, valet vnguentum populeon cum oui albumine, fronti ac temporibus illitum: aut oleum roſ. cum vnguenti popul. ℥. j. & opij ℈. j. Si fel leporinum in potu cum vino exhibueris, dormiet donec acetum ei dederis.

℞. ſyrupi de pap. ℥. j. ß. aquarum lactucæ & nymph. ſingul. ℥. ij. diamarg. frigid. ℈. j. fiat potus. Hyrudo etiam fronti admota iuuat : nam ſanguinem dum trahit, vapores etiam exhalant & fumi : prodeſt quoque lotio brachio-

rum ac tibiarum ex decocto foliorum ſalicis, vitis, lactucæ, violariæ, nymph. & roſarum, aliorumque refrigerantium.

De conuulſione. CAP. XXVII.

CONuulſio ſuperuenit vulneribus, vel ob immoderatum ſanguinis profluuium, vel ob repletionem & inflammationem, vel ob dolorem, vel vlcus aliquod pungens.

Conuulſio ab inanitione ob immoderatum ſanguinis profluuium, in victus ratione, humectantia & laudatum ſanguinem gignentia expetit, vt ſunt iura optimarum & ſucculentarum carnium: potus initiò hordei decoctum eſto, poſtea vinum dilutum balneo aquæ dulcis, ac tepidæ vtitor, in qua coxerint althea, malua, viol. branca vrſ. radix liliorum: poterunt quoque in balneum olea viol. lilij & amygd. infundi, aut fiet decoctum ex capite, pedib. & inteſtinis veruecis. Cauendumque ſummoperè, ne, vel in balneo, vel extra ſudet: magis enim exiccaretur, ſed ad humiditatem ex balneo contractam retinendam, vngendus eſt æger oleo roſ. præſertimque pars conuulſa & quæ ſiccior videbitur. Pars capitis poſterior, colli ac dorſi vertebræ, axillæ, atque inguina linienda & fouenda oleis mollientibus, qualia ſunt oleum liliorum, viol. anethinum, & huiuſmodi motibus inordinatis eſt diligenter reſiſtendum, firmiterque partes continendæ, ne tanto impetu moueantur. Denique ſequenti electuario frequenter vtatur æger ad inſtaurandam humiditatem.

℞.conſeruæ viol.& bugl.ſingul.℥ j pinearum recentium in aqua hord.infuſarum ʒ.ß.carnis teſtudinis præparatæ ℥ ij.pulueris elect. reſumptiui & diamarg frigidi ſing ʒ.ij. ſacch.in aqua viol. diſſoluti quantum ſufficit, fiant morſuli ponderis ſemunciæ,vtatur inter paſtus.

Cōuulſio à plenitudine,vel eſt ob ſanguinem in partem influentem, excitantemq́; inflammationem:vel ob pituitam, ſubſtantiam neruorum replentem : cùm ab inflammatione,iniecto clyſtere vena eſt ſecanda : magna tamen ſanguinis copia non eſt educenda, ne vires collabantur: cùm iam ex vulnere ſanguis effluxerit : reliquaq́ue facienda,vt in curatione phlegmones.

Cùm verò eſt conuulſio ob pituitam. Primò victum tenuem,calidum & ſiccum expetit.

Secundo humoris præparationem, ac purgationem,incipiendo à mitioribus & ad valentiora progrediendo: niſi morbus ſit tantus,vt ſtatim à valentiſſimis auſpicandum videatur, iuxta Hippocratis ſententiam. Extremis morbis extrema remedia. Ad præparandum, mitiora ſunt, mel. roſ. col. ſyrupus acetoſ. ſimplex, de bizantiis, de duabus radicibus, de hyſſopo. Valentiora ſyrupus de quinque rad. de ſtæch. oxymel.ſcylliticum.

Purgabitur primò de pilulis de hiera ſimp.aſſaieret.de agar. Poſtea cocciis,& fœtidis denique pilulis de euphorb.de hermodact.de ſagap. de opopanace, ſi plura deſideras: vide de œdemate & de abſceſſu pituitoſo.

Auertentibus etiam materiam & ad partes

inferiores trahentibus vtemur, vt clyſteribus acribus & frictionibus partium inferiorum, cùm affectus eſt in ſuperioribus.

Conferunt etiam poſt vniuerſales purgationes gargariſ. apophlegmatiſ. errhina & ſternutatoria.

Gargariſmata fient ex decocto hyſſopi, ſampſuc. pulegii, calaminti origani & ſimilium cum oxymelite ſcyllitico, vel ſyrupo de ſtæchade.

Apophlegmatiſmi ſeu maſticatoria fient ex pyrethro, ſtaphyde agria, pipere, zinzib. maſtich.

Errhina fient ex ſuccis ſiclæ, mercurial. ireos, vel ex decocto rad. pyrethri & ireos, fol. calaminti, orig. ſtæch. anthos, agarici, troc. nigellæ romanæ. Sternutatoria componentur ex puluere pyrethri, piperis, ſtaphydis agriæ, veratri albi, euphorbij. Sumenda etiam poſt purgationes quæ confirmant caput & ventriculum & materiam paulatim abſumunt. Proderit itaque theriaca vetus, quotidie manè ad ℈. j. ſumpta, vel ad ʒ j. ß. ſemel in hebdomade. Iuuant etiam mithridatium, aurea alexandrina, diamoſcum dulce & amarum dianthos, diagalanga, aromaticum roſatum, & ſimiles cõfectiones ex quibus cum conſeruis acori, ſaluiæ, anthos, cum zinzib. condito, cortice citri, mirobal. conditis & ſyrupis conuenientibus fient opiatæ.

Porrò balnea ſulphurea, aluminoſa, ſalſa, nitroſa, tum naturalia; tum arte confecta, conferunt: in quib. etiam coquemus maluam, altheam & capitales herbas, vt hyſſopum, ſampſucum, pule-

pulegium, calamentum, origanum, ſaluiam, ſuam vtramque, flores chamæm. melil. ſtæch. anthos, ſemina lini, fœnug. & ſimilia: vel fiet ſuffitus & vaporem decoctionis earum herbarum ægrotus ſuſcipiet: inicietur autem decoctum in lapides molares ignitos: dandáque erit opera ne quid exhalet, ſed toto corpore fumum excipiet.

Cæterùm tota ſpina dorſi & partes conuulſæ liniendæ ac fouendæ diligenter oleo vulpino, vel coſtino: vel in iis oleis & vino, perfectè catellum vel felem coquemus: eóque oleo partes fouebimus. vel,

℞. olei lumbric. de lilio & anetho ſingul. ℥.ij. olei catellorum ſuperiùs dicti ℥.iij. pingue. gallinæ recentis & medullæ cruris vituli ſing. ℥.j. vnguenti dialth. ℥.iiij. caſtorei & piperis ſing. ʒ.iij. aquæ vitæ ʒ.j.ß. ceræ parum, fiat linimentum, quo liniatur tota ſpina & pars conuulſa.

Quando conuulſio per ſympathiam excitatur ob dolorem partis vulneratæ, vt cùm vulnus neruorum ſubſtantiam attigerit: vel aliquod virus mordicat & pungit: vel inſignis eſt intemperies, dolor eſt leniendus: id autem fiet balneo ex oleo communi modicè calenti: vel ex decocto altheæ, maluæ, violariæ, ſeminis lini & fœnug. florum chamæm. melil. vel decocto & iure capitis, pedum & inteſtinorum veruecis, vel fotu ex oleo vulpino: ſeu balneo ex eo confecto, tantumque temporis in eo morandum, quantum ſatis eſſe videbitur ad dolorem ſedandum: ſemper tamen habenda erit ratio cauſæ dolorem excitantis, vt ea diligentiſſimè auferatur. Vnde ſi conuulſio eſt

ob virus ex morſu venenato: ipſum eſt extrahendum remediis de vulnere ex morſu dictis. In nerui punctura & inciſione, ſi iis medicamentis conuulſio non cedat, cataplaſ. vtemur ex mica panis in lacte infuſa & ſuperpoſita, vel ex mica infuſa in decocto papaueris, ſi ſit neceſſarium. Quòd ſi nec iis quidem remediis pareat conuulſio, totus neruus erit abſcindendus, vt antè diximus.

De paralyſi. CAP. XXVI.

PAralyſis eodem propè modo curatur, quo conuulſio ex plenitudine: nimirum victus ratione calida & ſicca: venæ ſectione, præſertim cùm oritur inflammatio. Pituitæ præparatione, incidendo, tenuando, detergendo & aperiendo, quemadmodum capite de œdem. dictū eſt. Denique eiuſdem pituitæ purgatione: ita tamen vt iis in omnibus à mitioribus ad valentiora progrediamur: quandoquidem ſi initiò valenter calfacientibus & aperientibus vtaris, periculum eſt ne materiam nimis colliques: eaque fuſa magis penetret, atque affectus augeatur.

Poſt purgationem materiam auertemus clyſteribus acribus, gargariſmatis, apophlegm. errhinis & ſternutatoriis, capite præcedenti dictis, vt materies quæ ad ſpinam fluit & labitur, iis reuellatur: ea tamen locum non habeant, niſi corpus ſit ſatis ſuperque purgatum.

Præterea multum vtilitatis ſunt allatura etiam poſt purgationes theriaca vetus, mithrid. aurea alexan-

alexandrina cum aqua vitæ, diamoſcum vtrunque, roſata nouella, aromat. roſatum, diagalanga, conſerua acori & florum ſaluiæ, & alia quæ caput ac neruos roborant.

Ad hæc ex vſu erunt balnea in declinatione, tum naturalia, tum arte confecta ex ſulphure, alumine, & ſale in aqua coctis.

Poſtremò topica debent eſſe diſcutientia & roborantia caput, ſpinalem medullam, atque neruorum partis oblæſæ principium: ſemper tamen à mitioribus ad valentiorra fiat progreſſus, vt ab oleo chamæm. de lilio & vulpino ad oleum de ſpica, irinum, de tereb. de coſto, rutaceum, laurinum, de piperibus, de euphorb. & ſimilia. Probant aliqui oleum laurinum & illitum & cum mica panis ſumptum: alij baccarum lauri & olei communis partes æquales diſtillant & membrum illinunt: alij partem vnam theriacæ veteris, vel mithridatij cum duabus aquæ vitæ partibus miſcent: ſpinam dorſi igni obuerſam diutiſſimè fricant: quod quartana laborantibus conferre certa experientia compertum eſt, ſi ante acceſſionem vngantur, ad ſpinam dorſi: alij ſequenti diſtillatione totam ſpinam partemq́ue paralyſi affectam felici ſucceſſu oblinunt & fouent.

℞. rad. ireos & ariſtol. ſingul. ℥. j. ſymph. maioris, iuæ arthriti, herbæ paral. pimpinel. rutæ, ſaluiæ ſing. m̄. j. baccarum lauri & iuniperi ſingul ʒ. vj. florum ſtæch. & roriſmar. ſing pug. j. ß. galangæ. zedoar. zinzib. caryoph. nucis muſc. cinamo. ſingul. ʒ iij. ligni aloës ℥. j. thuris, maſt. ſingul. ʒ. x. myrrhæ, aloës, ſarcoc. bdellij, galbani,

ammon. ſing. ℥.j.ß. caſtorei ℥.ß. gummi elenij ℥.ij. diachyl. ireati ℥.iij.aquæ vitæ ℥.iiij. coniiciantur omnia in alembicum & diſtillentur lento igni donec liquor craſſus effluat : eritque veluti balſamum à Meſue & Guid. expertum, à nobis quoque ſucceſſu non pœnitendo factitatum.

De ſyncope.

Antequam ægrotus in ſyncopen concidat, eſt illi vinum potu exhibendum, aut modicum panis vino imbuti : aut ſi febris adeſt, proderit diamarg.frig. cum aquis roſ.viol. & bugl. Leni ac blando ſermone æger eſt conſolandus : ac multitudo domo deturbanda, ne aut ægrotum terreat, aut aërem loci immoderatè calfaciat. Si ob dolorem in ſyncopen æger prolabatur, aqua roſ. vel communis eſt illi mox in faciem coniicienda, & ſpiritus intus compreſſi ac veluti ſuffocati foras diligenter reuocandi, partium extremarum frictionibus & ligaturis dolorificis. Naſus, pili, auriculæ vellendæ: ſternutatoria in nares quoque inſufflanda. Cucurbitulæ humeris ac cruribus admouendæ: nomine proprio voce aperta compellandus. At ſi ex nimio ac ſuperabundanti ſanguinis profluuio ſyncope accideret, ab iis dictis abſtinendum : vinum generoſum vel aromatites propinandum, ac ſpiritus aromatibus reficiendi atque inſtaurandi, denique illi quies eſt imperanda.

LIBER TERTIVS DE VLCERIBVS IN VNIVERSVM.

De vlceribus. CAP. I.

VLCERVM cauſas, ſigna & prognoſtica, ex aliis autoribus ſunt tibi petenda, hîc etenim compendiariam quandam, breuemq́ue eorum curandorum methodum tractare conſtituimus.

Communis vlcerum omnium curandorum indicatio atque intentio, ſi tantùm vlceris rationem habemus, eſt exiccatio. Quod autem altero cum affectu eſt coniunctum: à quo vel genitum eſt, vel fouetur, vel ſine cuius ablatione ſanari non poteſt, quatuor habet medendi ſcopos atque intentiones.

Primus ſcopus eſt, vt victum congruentem præſcribamus.

Secundus, vt materiem antecedentem auertamus, & intercipiamus.

Tertius, vt ſymptomata & diſpoſitiones cum vlcere coniunctas & complicatas, vel emendemus vel ſummoueamus.

Quartus, vt vlceris recrementum tenue ſiccemus craſſumq́ue detergeamus.

Primus ſcopus eſt in ratione victus. Erit autem

victus præſcribendus, vel tenuior, vel abundantior pro viribus ægrotantis, humorum abundantia, vel paucitate. In ciborum qualitate habenda erit ratio temperamenti & humorum, tum in toto corpore redundantium, tum in partem affectam influentium, vt ſi humores acres & calidi, frigidos & acrimoniam obtundentes inſtituamus.

Secundus ſcopus etiam perficitur iuxta humorum tum qualitatem, tum quantitatem, quibus laborantis corpus ſcatet, quique in partem vlcere affectam influunt & purgatione & euacuatione & auerſione, quæ fient partim purgantibus medicamentis methodo de tumoribus explicatis, partim venæ ſectione ſi vires, ætas & reliqua conſentiant: partim ligaturis, frictionibus & fotu partium loco vlcerato oppoſitarum, partim repellentibus ad fluxionem intercipiendam, vt vnguento ex bolo arm. aut ſimili.

Tertium ſcopum abſoluemus, pro diuerſa ſymptomatum & diſpoſitionum cum vlcere coniunctorum natura, aliquando enim coniunctam habet intemperiem, nonnunquam dolorem, interdum tumorem, quandoque contuſionem, frequenter hyperſarcoſim, ſæpenumerò labiorum duritiem, vel oſſis cariem, vel virulentum excrementum, vel ſorditiem, vel cauitatem & ſinus, vel latentem incognitamque cacoethiam: quæ omnia curationem variant.

De intemperie cum vlcere. CAP. II.

INtemperies qualiſcunque ſit tollitur vniuerſalibus remediis, nimirum debita victus ratione,

tione, purgationibus conuenientibus, ſi ſit cum humore coniuncta & omnis generis reuulſionibus. Calida intemperies ſiue ſola, ſiue cum humoris affluxu, eſt emendanda vnguento albo, vel rubro cum caphura, vel vnguento ex pomphol. vel de plumbo, vel de ceruſa, aut aqua roſ. & ſuccis plant. ſolani & ſemperuiui.

Frigida intemperies tollitur fotu ex vino calenti ſolo, vel in quo concoxerint abſynthium, menta, hyſſopus, pulegium, calamintum, origanum, roſmarinus, ſtæchas & ſimilia, vel lixiuio cum alumine, vel vnguento baſil. vel vnguento citrino, vel dialthea.

Intemperies humida ad naturalem reducitur vnguentis exiccantibus, de phomphol. de plumbo, de ceruſa, de gratia Dei, diacalcit. habita ratione humoris. Ea enim intemperies non ſolet eſſe ſine humore: nec prætermittenda partis affectæ natura: quę vel magis, vel minus ſiccantia recipit.

Intemperies ſicca natiuæ temperaturæ reſtituitur ex Gal. 4. meth. fotu aquæ calidæ, vel vnguento quod baſilicon vocant, vel vnguento de pice, diachyl. quæ diſſoluuntur oleo, cuius ℥. vni adde pulueris roſ. ʒ. j.

De dolore cum cum vlcere. CAP. III.

DOlor in vlcere frequentiùs eſt ab intemperie calida & acrimonia, atque corroſione, tuncque ſuppoſitis vniuerſalibus prodeſunt ſucci plant. ſolani, ſemperuiui, hyoſcyami

& ſimiles, aut aquæ ſtillatitiæ earum herbarum, quæ miſceri poterunt aceto & oleo roſ. Proſunt etiam albumen oui vel ouum integrũ cum oleo roſ. Bolus arm. terr. ſigil. cum aceto & oleo roſ. iuuat quoque cataplaſma ex mal. plant. & furf. coctis, oleóque roſaceo commixtis: Ad hæc albumen oui cum oleo roſ. & litharg. diligenter agitata in mortario plumbeo, poſtea lento igni cocta in ℔ j. ſucci ſemperuiui, ad ſucci conſumptionem: Vel ouum integrum cum oleo roſ. & tereb. Vel vnguenti popul. ℥ ß. cum olei de vitellis ouorum ʒ. j. Vel vnguentum album caphuratum, vnguentum de lithar. de minio, de tuthia, de plumbo, vnguentum rub. cum caphura.

Dolor ſi ab intemperie frigida (nam frigidum etiam vlceribus mordax) fouendum vino in quo calida coxeris, vt ſuperiori capite dictum eſt: Prodeſt etiam baſylicon & vnguentum fuſcum, & citrinum. Cùm autem oritur dolor à continuitatis diſſolutione, non mediocriter iuuant omnia anodyna: Ea tamen proſunt maximè quæ calorem natiuum augent atque fouent: vt vitellus oui, crocus, terebint. oleum abietis & roſaceum, quæ ſimul mixta vlceri applicari poſſunt. In vlceris verò ambitu pingued. gall. anetis, anatis, ſuis, & ſimiles, ac œſypus, muccago ſeminis lini, fœnug. altheæ & maluæ iuuabunt: Olea quoque roſ. amygd. chamæm. aneti, violacei, vulpini, ricinini. vel,

♃. mal. m. j. ß. farinæ ſeminis lini, fœnug. & hord. ſingul. ℥. ß. olei chamæm. & lil. ſing. ʒ. vj. olei roſ. ℥. iij. muccag. ſeminis alth. ℥. j. ß. vitellos ij.

ij.fiat catapl. Quando dolor ingens,quique præcedentibus non lenitur, accedendum ad narcotica:quare catap.conficies ex far. hord. oleo roſ. & nymph. vel mandrag. cum lacte vel paſſo coctis : Vel ex mica panis in aqua infuſa cum oleo roſ.vitellis,croco,quibus addes op j ℈ ß.Vel catep.ex foliis papau.albi,vel ex foliis mandrag.vel hyoſc. cum puluere chamæm. Vel applicabitur philonium , vel theriaca recens : Vel oleum de pap.vel mandrag.vel hyoſc.cum opio,vel ſuccus hyoſc. cum lacte mul.vel ouillo & opio. Prodeſt etiam oleum de ranis.

De vlcere cum tumore. CAP. IV.

TVmor ſi vlceri ob dolorem acciderit,is eſt leniendus,habita ratione cauſæ doloris,ſiue ſit ob diſſolutam continuitatem, ſiue ob mordicationem, vel intemperiem : Verùm ſi tumor ex defluxu potiùs ob humorum redundantiam vel malitiam,præſcribendus victus tenuis & frigidus: vena ſecanda : aluus laxanda pro natura humorum:cohibendus humor,qui influit ac reſoluendus qui iam influit : quæ omnia tradita ſunt de tumoribus contra naturam.Si tumor ab humore calido, initiò confert malum punicum dulce in vino auſtero coctum , tritum & admotum, aut cydonia & pyra acerba cocta cum puluere myrti : aut lentes coctæ & cum puluere corticis granatorum. roſ.& terebint.mixtæ.

In augmento iiſdem medicamentis addenda farina fabarum,hord.tritici & chamæm.in ſtatu

fiet catapl.ex decoctione mal.abſynth. In vino dulci cum far.ſeminis lini,fœnug. & furfure,pus verò ſi fore præuideatur,fiat catapl.ex maluis in aqua coctis cum far.ſeminis lini,fœnug.& axũg. ſuilla: Vel ex far.trit.oleo communi & croco coctis in aqua in formam pultis. Emunctoria ſi ob dolorem vlceris tumore afficiantur,ſitque materia calida, maluarum m̃.iij furfure in aqua coquito & apponito: quod etiam tumori in vlc.exiſtenti poteſt admoueri.Si verò materia frig.

℞.mummiæ in vino ad craſſitiem coctæ ℥ j. œſypi ℥.ij.far.tritici ℥.ß.bulliant ſimul,ac fiat cataplaſ.

De vlcere contuſo. Cap. V.

VLcus contuſum indiget humectantibus,ac pus generantibus,vt pulte ex farina tritici, oleo & aqua coctis,aut triticum aqua calida diutiſſimè maceratum & coctum applicetur. Aut ex radice alth.& caricis ſimul coctis ad mellis craſſitiem cum farina triticea fiat catap. Denique recurre ad curationem vlceris contuſi: nam vtrobique eſt eadem contuſionis ratio.

De carnis excreſcentia in vlcere. Capvt. VI.

HYperſarcoſis, hoc eſt carnis excreſcentia poteſt auferri cauterio, nouacula vel forficibus ignitis,ac medicamentis corrodentibus, quæ quàm minimùm fieri poterit, mordicent.

Ex

Ex quibus imbecilla ſunt alumen vſtum mixtum cum bolo, vel ſine eo, hermod. & cum tartaro, nuclei dactyl. combuſtorum, aqua vitæ cum ſulphure, vnguentum apoſtolorum, ſemen vrticæ, ſerpētaria, ſquamma æris, æs vſtum, radix aſphodel. cinis erinacei, ſtupæ minutim inciſæ. Paulò vehementiora ſunt, puluis mercurij ſolus, vel mixtus alumini vſto ad partes æquales. vnguentum ægyptiacum, apoſtolorum cum ærugine raſili. Vel aquæ vitæ ℥.ij. ærug. raſilis ʒ.ij. miſceantur, vel linamentum aqua ſublimata ter aut quater imbutum & exiccatum. Valentiſſima ſunt calx viua, calcitis, calchantum vſtum, ſublimatum hydrargyrum, valent quoque formulæ ſequentes.

℞. hydrargyri ſublimati ʒ.ij. aluminis crudi ℥ v. aquæ roſ. vel plant. ℥.vj bulliant ad conſumptionem quartæ partis: hæc enim aqua mirabilem efficit operationem.

℞. ſalis nitri, vitreoli romani, aluminis ſing. ℥.ß, hydrargyri ſublimati ʒ.ß. aquæ plantag. ℥ vj. aceti ℥.ij. bulliant vt dictum eſt. Cùm verò hæc admouentur debet etiam vnguentum de bolo arm. locis vicinis applicari & conſeruari partis præſtantia, ac carnis ſuperfluæ quantitas conſiderari.

De vlcere decolore, cúmq; labiorum duritie.

CAP. VII.

VLcus cùm eſt decolor, ac labia eius dura, ſi exigua ſit durities, mollientibus ac re-

ſoluentibus curari poterit : qualia ſunt pinguedines anſeris, gallinæ anatis, vituli, bouis, vrſi, leonis & eorum medullæ , ex quibus quæ recentes ſunt magis laudantur. Proſunt etiam olea liliorum, amygd. dulc. lumbricorum, vulpinum, œſypus, muccag. alth. lini, fœnug. omnia gummi genera, baſylicon, diachylon, emplaſtrum de muccag. medulla cruris bouis cum muccag. altheæ, tragag. & terebinth. oleo omphacino & exigua ceræ parte. Quòd etiam decoctioni capitis, pedum & inteſtinorum veruecis in vino dulci factę ſupe natat : Medulla cruris equi eo modo cocta. Si mitioribus durities non cedat : labia vlceris ſcarificato & puluerem mercurij aſpergito: deinde aliquod ex iis medicamentis admoueto : vel cauterium applicato, vel duritiem nouacula præſcindito, vel remedia erodentia valentiora apponito, vt dictum eſt, in quo animum ægrotantis tentato & particulæ laborantis ſitum ac ſenſum conſiderato.

℞. litharg. lapidis hæmatitis, vitreoli romani, ſing. ℥. ij. hydrargyri ſublimati ʒ ij. ß. miſce.

De vlcere cum varicibus.

De vlcere cum varicibus nihil nobis in præſentiarum dicendum, cùm antea , cùm de tumoribus tractaremus , ſimul quoque de varicibus egerimus , hoc tantùm ſupereſt, quòd vlcus curari non poteſt , niſi ablata varice , à qua continuò fouetur & quodammodo alitur, qua ablata & exciſa, vt antea dictum eſt, vel vlcus ex ſeſe curabitur , vel vlceris ſimplicis curationem recipiet.

De

De vlcere cum oſsis carie.

CAPVT VIII.

VLceri ſi oſſis corruptio ſeu caries adiuncta videtur, præmiſſis vniuerſalibus, qualia ſunt victus ratio, venæ ſectio, ſi profutura videtur & humorum purgatio, imprimis os eſt denudandum ſeu exuendum carne, ipſam vel excidendo, vel exedendo. Deinde ſi oſſis corruptio ſit tantùm ſuperficiaria, ipſum eſt eradendum donec aliquid cruoris appareat: Idque optimum eſt in vlceribus capitis & membrorum quæ partibus principibus ſunt propinqua & proximè iuncturas ac ſpinam dorſi. Poſtea verò ſequens eſt ſuperponendum.

℞. radic. ariſtol. rot. ireos & peucedani, corticis panacis, cort. pini & thuris, aloës ſing. ʒ ij. fiat puluis tenuis, qui melle excipiatur, vel cum vnguento regis vel ægyptiaco miſceatur & emplaſtrum diacalchit. vel diuinum ſuperponatur. Quando caries erit profundior, aut quæ ferro radi non poſſit, fiat iniectio ſequens.

℞. rad. ariſtol. vtriuſque, iridis florentiæ, centaurij minoris ſing. ℥. j. ß. agarici ʒ. iij. ſymph. hyperici, pedis columbini, herbæ roberti ſing. m̄. j. cort. pini ℥ ij. roſarum rub. & anthos ſing. pug. ß. mel. roſ. col. quart. j. irrorentur omnia vino albo & diſtillentur in alembico plumbeo & aqua illa ſtillatitia bis in die iniiciatur.

Caries verò cùm magna fuerit, nihil cauterio præſtantius eſſe poteſt. Citò enim ac tuto, in ſummo & in profundo quoque exiccat. Obſeruandum tamen vt in ferro ignis vires metia-

mur, pro cariei magnitudine & profunditate. Sępe enim vidimus ob vehementiorem ignem cauterij, tardiùs os cariem expuliſſe, ac ſe, vt aiunt, corruptione ſpoliaſſe. Quòd ſi caries profundior adhuc fuerit, poſt vſum primi cauterij, vt ea faciliùs decidat, terebra erit multis foraminibus aperienda, vſque ad os ſanum & integrum, donec cruoris aliquid appareat: in eaque foramina demittenda cauteria, vt os ſiccetur optimè: vel ea erunt aqua forti implenda: hoc enim modo os exiccabitur, ac paulatim cariem expellet: ſub eaque carnem generabit natura, ne ſanum os externo aëre iterum corrumpatur: denique caries excidet, & nullus aut exiguus humor inde poſtea effluet. Poſt applicatum cauterium tribus primis diebus, vt eſchara decidat, roſaceum calens cum oui albumine infundendum, aliis tribus diebus ſequentibus, digeſtiuum ex oui vitello & roſaceo, deinde butyrum cum melle. Reliquo verò curationis tempore, oſſis caries & corruptio aqua ſequenti contingetur.

℞. aquæ vitæ ter diſtillatæ & aquæ roſ. ſing. ℥. iij. ſublimati ʒ j. bulliant lento igni ad ſublimati diſſolutionem & in phiala vitrea aqua ſeruetur ad vſum dictum: Poſt vſum aquæ proderit ſequens puluis.

℞. ariſtol. rotundæ, cort. pini ſingul. ʒ. iij. radicis peucedani & arundinis ſingul. ʒ. ij. agarici albi & tartari ſingul. ʒ. j ß. euphorbij ʒ. j. redigantur in puluerem tenuiſſimum, quo reſpergatur os carioſum: Vel puluis mel. excipiatur: vel miſceatur vnguento regis & melli, vel vnguento

ægyptia-

ægyptiaco, ac liniatur os carioſum poſt vſum aquæ præcedentis : deinde ſuperponatur emplaſtrum diacalchiteos, vel diuinum, vel ſequens quod cariem educit, deterget, ac carnem gignit, quorum vſu nunquam fui fruſtratus.

℞. corticis ouorum, oſſium humanorum, & panni combuſtorum, & in puluerem redactorũ ſing. ℥ ij. radicis peucedani, lumbricorum ſimiliter puluerisatorum ſingu. ℥. ß. emplaſtri de gratia Dei, diachyl. communis & picis naualis ſing. ℥. ij. commiſceantur, fiatque maſſa emplaſtri & applicetur, poſt ablutionem & vſum pulueris ſeu linimenti nouiſſimè deſcripti.

Denique caries ſeu oſſis corruptio, ſi ad medullam vſque peruenerit, hoc vnicum eſt remedium, vt os integrum præſcindatur, niſi fuerit in capite coxendicis vel ſpina dorſi, quibus in locis præſtat vti cura fucata.

De vlceribus malignis, quæ cacoëthe vocantur.

CAPVT IX.

CVm vlceribus huiuſmodi mederi volumus primo cauſæ eſt occurrendum, ſiue ſit plethora, ſiue cacochymia, ſiue cachexia, ſiue intemperies totius, vel partis alicuius internæ, vt hepatis, lienis, ventriculi, vel partis vlceratæ, aut varix, aut labiorum vlceris durities, aut partis affectæ imbecillitas iamdudum contracta ex humoris mali affluxu, aut cauſis prædictis. Cauſas verò tollemus iuxta earum naturam, tum ratione victus, tum venæ ſectione, tum purgantibus

tum tollentibus partium intemperiem, quæcunque ſit illa & in quacunque parte : de intemperie verò partium exulceratarum, iam in ſuperioribus diximus, frequenter in huiuſmodi vlceribus, ac in multis quoque aliis vſum gaiaci præſcribo felici ſucceſſu poſt purgationes vniuerſales, in reliquis victus debet conſtitui in vſu eorum quæ ſuccum laudatum, humoreſque bonos pariant, & humori qui vlcus fouet aduerſentur, de totius corporis purgationibus habes in methodo ſuperiori de tumoribus curandis, habes etiam de varicibus: de intemperie verò partium internarum conſulendus medicus. Quod ad topica pertinet malignorum ac difficilè cicatricem recipientium vlcerum, ſummus curationis ſcopus eſt vehemens ac citra morſum exiccatio, quam repellentia ac diſcutientia efficiunt. Oportet enim quòd influit reprimere: quod verò iam parti inhæret, atque infixum eſt, diſcutere. Ad hunc ſcopum perficiendum conferunt ariſtoloc. cortex rad. capparis. malicorium, radicis panacis, ſarcocolla, vitrum combuſtum, teſtæ piſcium vſtæ. Proſunt quoque metallica omnia vſta, & lota vt cadmia, calchitis vſta & lota ſub canicula, & cum aceto trita, antimonium, diphryges, plumbum vſtum & lotum, ſquāma æris & ferri, ſcoria plumbi, ærugo raſilis vſta & lota, omnia aluminis genera, terra ſigillata.

Habenda quoque erit ratio corporum: Nam in mollioribus, ea lota eſſe oportet: duris verò quędam ex iis ſine periculo poſſunt illota admoueri, quòd ſenſus in iis ſit obtuſior.

Primò

Primò autem abluentur ac fouebuntur vlcera decoctione aſtringentium & aluminoſa aqua, vt in ſequenti præſcripto.

℞. ſucci agrimon. ſolani. plant. ſing. ℔. ß. vini albi ℥. iiij. aluminis crudi ℥. iij. ß. auripigmenti ℈. ß. albumina ſex ouorum, agitentur ſimul & diſtillentur, ac vlcus ea aqua ſtillatitia bis quotidie lauetur, ac foueatur: Prodeſt quoque eadem aqua vulneribus glutinandis. Poſtea,

℞. olei roſ. ℥. vj. ceruſæ ℥. iij. litharg. auri, lapidis calaminaris ſingu. ℥. j. ß. tuth. præparatæ, boli arm. ſingul. ℥ j. caphuræ diſſolutæ in aqua roſ. ʒ. ij. olei de pap. ℥. ij. ceræ albæ quantum ſuff. fiat vnguentum.

℞. olei roſ. & myrt. ſingul. ℥. ij. ß. ſucci ſolani, plant. & ſemperuiui ſing. ℥. j. ß. ſebi hircini & vitulini ſing. ℥. ij. ping. ſuillæ liquefactæ ℥. iij. aluminis crudi, calcis tertio in aqua extinctæ & lotæ ſing. ʒ. vj. malicorij, balauſt. mirobal. citrin. ſingul. ℥. vij. ærug. raſilis ʒ. v. ſcoriæ ferri ʒ. x. ſarcoc. ℥. ij. contuſa omnia & ſimul mixta infundantur diem integrum, bulliant modicum, adde litharg. vtriuſque ſingul. ʒ. x. ceruſæ ʒ. vj. plumbi vſti ℥. v. antimonij ℥. j. caphur. ℈. j. ceræ quantum ſuff. agitentur diligenter in mortario marmoreo: Poſſumus quoque miſcere argenti viui ℥. j. Magis tamen proderit primò vti puluere mercurij, poſtea aqua ſuperiori & denique vnguento.

De vlcere virulento, corrodente ac depaſcente.

CAPVT X.

HÆc cùm inter ſe differant tantùm in ratione maioris & minoris, eorum vlcerum ea-

dem eſt curandi methodus quæ in tribus conſiſtit. Primò in victu frigido & ſicco. Secundò in euacuatione materiei antecedentis, tum per venæ ſectionem, ſi videbitur profutura, tum per cathartica medicamenta, quemadmodum dictum eſt de Eryſipelate atque herpete. Particulares quoque reuulſiones conferent, tum cucurb. cum frictionibus, tum ligaturis partium oppoſitarum, cum vnguento de bolo ad repellendam materiem influentem. Tertius ſcopus ad topica refertur quæ componuntur ex frigidis, ſiccis, aſtringentibus, ac diſcutientibus. Simplicia conuenientia ſunt lentes, arnog. ſolanum, ſummitates rubi, folia vlmi & pap. folia & fructus cydon. & myrti, balauſtia, cortex granatorum, galla omphacitis, acacia, bolus arm. cortex thuris, nuclei myrobal. maſtiche, ſymphytum, plumbum vſtum & lotum, ac metallica omnia ſuperiori capite ſcripta. Ex quibus omnibus fient fotus, linimenta, vnguenta, cerata & emplaſtra.

Primò quidem nonnulli puluerem mercurij applicant, ad tollendam vlceris malitiam, ac corroſionem: quem volunt diem integrum in vlcere manere, ac ſuperponi vnguentum de minio donec vlceris malitia extincta fuerit. Poſtea verò vlcus lauant ac fouent & partes vicinas etiam aqua aluminoſa dicta præcedenti capite vel ſequentibus.

℞. ſucci rubi, ſumac, virgæ paſt. plantag. ſolani acetoſæ, ſing. quart. j. albumina ouorum ſex, aluminis in puluerem redacti ℥. iiij. diſtillentur

omnia

omnia in alembico plumbeo. Alia aqua ſtillatitia, quæ prodeſt corrodentibus ac ſordidis.

℞. ceruſæ, lithar. ſing. ℥ j. plumbi vſti, lapidis calamin. ſingul. ʒ. ß. boli arm. ʒ. j. ſang. drac. terræ ſigil. ſingul. ℥ j. aluminis combuſti ʒ. ß. calicum glandium, gallarum viridium, baccarum myrti, pſidiæ, balauſt. ſumac. ſing. m̄ j. coriand. ſeminis plantag. ſingul. ʒ. ß. roſ. rub. pug. ij. bulliant omnia in aquæ fabrorum ſufficienti quantitate, & cùm omnia ſubſederint, vlcus ea aqua lauetur ac foueatur: hæc aqua mirum in modum ſiccat. Hæc omnia ſumi poſſunt ad decoctionem vel aliqua ex iis, quibus addere liberum erit aliquod ex valde frigidis, qualia ſunt hyoſcyamus, mandrag. pap. ſi videatur magna intemperies calida cum vlcere coniuncta. Addi quoque poterit mel, ad deterſionem, ſi ea vti velis in vlcere ſordido. Vel,

℞. aquæ plantag. & roſ. ſing. quart. j. aluminis ℥. ij. ſacch. ʒ. ij. bulliant ſimul donec alumen ac ſacch. liqueſiant & lauetur vlcus: ſi addideris mel, ℥ j. proderit quoque vlcerib. ſordidis. vel,

℞ aquæ plantag. ℥. vj. ſublimati ʒ. j. ſalis ammoniaci ʒ. j. ß. ſalis communis ʒ. ij. aluminis ʒ. j. bulliant in phiala vitrea ad conſumptionem quartæ partis. Poſſunt hæc quoque ſumi æquali pondere, vt in ℔ j. aquæ plantag. ponantur ʒ. ij. ſingulorum: liberum erit hac vel illa aqua vti, vt profuturum exiſtimabis.

Poſt vlceris ablutionem admouendum vnguentum de minio, vel de plumbo, vel vnguentum rubrum cum caphura, vel vnguẽtum album

cum caph vel vnguentum de pompholige. vel,

℞. vnguenti de plumbo ℥. j. vnguenti popul. ℥. ij. ſucci plant. ℥. j. albumen oui. j. agitentur diligenter in mortario plumbeo. vel,

℞. tuthiæ præparatæ ʒ. ß. plumbi vſti & loti, ceruſæ lotæ ſing. ℥. j. nutriantur in mortario plũbeo cum aqua plant. deinde adde boli arm. & terræ ſigil. ſing ʒ. ij. olei roſ. & ceræ albæ quantum ſuff. fiat vnguentum. aut,

℞. litharg. ℥. iij. olei roſ. & aceti quantum ſuff. ad mixtionem. Si addatur nonnihil ceruſæ, magis conueniet cancroſis diſpoſitionibus: Melius quoque erit ſi plumbum in vino albo maceratũ addideris: Si verò adiunxeris nucem cupreſſi, protuthiam, bauracem, æs vſtum, antimonium, proderit vlceribus, quæ difficilè ad cicatricem ducuntur. aut,

℞. olei roſ. & myrt. ſing. ℥. ij. ſucci clymenon. depurati ℥. ij. ß. ſucci plantag. ℥. j. ſebi hircini ℥. j. ß. aluminis vſti ʒ. j. litharg. auri & argenti ſing. ℥. j. ſcoriæ ferri ʒ. j. pulueriſentur tenuiſſimè, ac ſimul coquantur iii. horas: deinde adde ceræ albæ ℥. i. tereb. ʒ. vi. denique mercurij ex arte extincti ʒ. iii. cap. ϑ. i. ærug. raſ. ℥. i. & fiat vnguentum.

℞. ceruſæ, litharg. boli arm. terræ ſigil. & lapidis calamin. ſingul. ℥. i. ſantali albi & rub. baccarum myrti & roſ. rub. ſing. ʒ. ii. ſeminis pap. mandrag. hyoſc. ſingul. ʒ. i. olei roſ. & viol. ſing. ℥. iii. ceræ albæ tantundem, caph. ʒ. i. miſce, ac fiat ceratum.

℞. olei roſ. & myrti. ſingul. ℥. ii. ſucci clymenon.

non. ℥.iiij. ſucci plant. ℥.ij pingued. vituli ℥.j ß. foliorum caprifolij & clymenon. ſingul. m̄. i. coquantur, herbis prius tritis, ad ſuccorum conſumptionem: ſubinde addantur litharg. ℥.ii. minii ℥. i caph. ʒ.i. maſtiches ℥.ß. ceruſę, antimonij, plumbi viti ſing. ʒ.v. ceræ albæ quantum ſufficit, fiat ceratum. Plurimum quoque iuuat plumbi lamina, dies aliquot in aqua aluminoſa macerata, argento viuo confricata & foraminibus aliquot pertuſa. Vlcus huiuſmodi ſi iis medicamentis non vincatur: ſed magis magiſque ſerpat, cauterio erit vtendum, vel ſequenti medicamento cauſtico.

℞ ſublimati ℥.ii.ß vnguenti pop. vel dialth. (quod multùm ob pinguedinem, ſublimati acrimoniam reprimit) ℥ i. miſce: aut ſublimatum cum vnguento albo miſceatur. Poſt eſcharæ caſum vtere vnguentis de calce & de pomphol. ſimul mixtis æquis partibus: vel vtere præcedentibus.

De ſordido ac putri vlcere. CAP. XI.

VLcus ſordidum ac putre requirit victus rationem, venæ ſectionem & purgationem, quemadmodum diximus de phlegmone, carbunculo & gangræna. Poſt purgationem etiam vſus guaiaci optimus iudicatur: vt corporis recrementa exiccentur & per ſudores eiiciantur: nec tam facilè in locum affectum influant.

Topica quæ huic affectui conueniunt, ſimplicia ſunt farinæ hord. fab. cicerum, orobi, lupinorum, ariſtoloc. iris, hypericon, centaurium

minus, cuius ſuccus cum melle paratur maximè
ad vlcera ſordida penis & ani, marrubium, gen-
tiana, abſynthium, apium, mel & omnia amara,
ſalſa, nitroſa. Ex quibus fiunt lotiones, linimenta,
vnguenta. Sordes abluendæ hydromel. œnomel.
vel aqua marina, vel lixiuio ex ʒ.iiij. cineris cau-
lium & corticis fab. cum aquæ pluuiæ ℔.i. vel ℥.
iiij. lixiuij, mellis ℥.j. & pulueris præcipitati ʒ.ij.
Vel lauandum vlcus decoctione rhois, balauſt.
cort. myrobal. citrin. roſarum & mellis, cui adde-
re poterimus alumen. Animaduertendum tamen
ne in vlcere ſordido imprudenter adſtringenti-
bus vtaris, quandoquidem ea ſorditiem magis
impingunt, efficiuntque vt poſtea difficilius de-
tergeatur & educatur: vel lauabis lixiuio, in quo
diſſolutum ſit ægyptiacum: deinde vtêris ægy-
ptiaco ſolo, vel mixto cum vnguento regis, pro
ſorditiei magnitudine, vel vſurpabis ſequens mũ-
dificatiuum ac deterſorium optimum.

℞. ſucci apij & mel. communis ſing. ℥.iiij. te-
rebint. ℥.ij. pulueris ireos exſiccatæ ʒ.vj. farinæ
hord. ʒ.iij. fiat vnguentum. vel,

℞. ſucci abſynthij, apij, & plant. ſing. ℥.ij. fari-
næ hord. & orobi ſingul. ℥.j ß. tereb. ℥.j. mel.
quart. j. fiat vnguentum, adde myrrhę ʒ.iij. Quod
ſi myrrha detracta, oui vitellos addideris, vomi-
cæ apertæ præſtans erit remedium. vel,

℞. ſucci centaurij minoris ℥.v. ſucci apij. ℥.
iij. ſucci plant. ℥.ij. mel. ℔.ß. terebint. ℥.ij. far.
hord. & orobi ſingul. ℥.ij. pulueris iridis ℥.ß.
bulliant ſucci cum melle: deinde adiice farinas:
cumque mixtionem ab igni ſubtraxeris, adde

terebint.& iridem. Huic quoque ſcopo confert vnguentum de reſina, vel vnguentum fuſcum Nicolai, vel vnguentum apoſtolorum, vel vnguentum de gummi, vel vnguentum diapompphol.cum puluere mercurij: id enim admodum deterget. Proſunt etiam emplaſtrum de gratia dei, emplaſtrum diuinum, emplaſtrum rubrum græcũm bis coloratum ex Galeno 2. ad Glauconem: nam detergũnt, pus craſſum à fundo vlceris ad ſuperficiem attrahunt, & oſſa putrida & corrupta. vel,

℞. galb.opopan.bdellij,ammon.ſing.ʒ.j.ceræ nouæ ℔.j. olei roſ.vel communis ℔.ij.reſinæ ℥.iij.lytharg. auri ℔.j.ß.olibani,myrrhæ, aloës,thuris, maſtich. ariſtol.rot.ſing.℥.j.ß. ſtyrac.calam.℥.ß.ſucci beton.verbenæ, caprifol.plant. pimpinel. cynogl. ſing.℥.j.lapidis hæmat.ʒ.ij.ærug.raſilis ℥. gummi aceto diſſoluantur:lithar. cum oleo cera & reſina coquatur & tandem iniice ærug. raſilem ac reliqua.

Sordes ſi in putredinem degenerent, vlcus oxycrato vel muria eſt abluendum: deinde ex carnibus piſcium ſalſorum, farina orobi, ariſtol.longa, ſcylla, & mel.in vino coctis, forma emplaſtr. eſt applicanda: vel vnguentum ægyptiacum, quod etiam in profundum vlcus, diſſolutum lixiuio, vel decocto ſuperiori, vel œnomelite poteſt iniici. Optimum etiam eſt Auicennæ medicamentum quod recipit tragaganthi rubri (auripigmentum vocant) ℥.j. calcis viuæ, aluminis, corticis mali punici ſing.ʒ.vj. thuris, gallarum, ſing.ʒ.ß. ceræ & olei ſing.quantum ſatis erit, fiat

vnguentum. Dum autem vehementioribus vtimur ad deterſionem in ambitu vlceris, admouẽdum eſt vnguentum de bolo & puluilli ex ſtupis oxycrato imbuendi ad vitandam inflammationem, quæ dolore acceſſit ur: ea enim vehementiora dolorem excitant & inflammationem. Porrò ſi vlcera eiuſmodi depaſcentia, partes adiacentes magis ac magis erodant, medicamentis malignis vlcerib. propriis indigebunt, ac nonnunquam exciſione eius quod putre eſt atque corruptum. Id autẽ fiet ex ferro ignito, vel acri medicamento: qualis eſt trochiſcus aſphodel. & troc. de arſenico, vel ſequens cauſticum, quod intra horam valenter penetrat: minorémque dolorem adfert, quàm arſenicum ſublimatum.

℞. calcis viuę ℔. ij. cineris ilicis caulium & fabarũ, ac tartari ſing. ℔. j ſoldæ ex qua fit vitrum ℔. ß. axung. vitri quart. j. cum capitello ex quo fit ſapo: omnia dies ſeptem mixta maneant: poſtea colentur & coquantur ad duritiem lapidis, aut ad ſufficientem craſſitiem & exiccationem: adde ſi vis ſaponis mollis ℥. j. hoc medicamentum non modò ad carnem aſſumendam vtile, verumetiam ad fiſtuloſas durities conſumendas. Poſſumus etiam vti aqua ſublimata, ſuperiori capite deſcripta, quæ ſine magno dolore corrodit, ac ſanat oris, aliarúmque partium vlcera. Vel ſequens capies in forma ſolida, quo poterunt turundæ ſeu penicilli formari.

℞. tereb. lotæ ℥. ß. ceræ albæ ʒ. ij liquefiant ſimul poſtea adde ſublimati ℥. j. agitentur donec refrixerint. aut,

℞. ſub-

℞. ſublimati ℥.j. ſang. drac. ʒ ij fiat puluis quo aſpergatur vlcus: vel excipiatur bõbace qui ſtylum inuoluat, eóque contingatur vlcus: vel etiam vena ex qua ſanguis profluit: eſt enim cauſticum & aſtringens. Denique ad curationem gangrænæ ac ſphaceli eſt confugiendum. Multa quoque ex capite præcedenti huc ſunt referenda.

De profundo ac ſinuoſo vlcere. CAP. XII.

PRofundi ac ſinuoſi vlceris curandi methodus expetit victus rationem, aliáque vniuerſalia pro corporis & humorum diſpoſitione: videndumq́; num dolor, intemperies, vel aliud ſimile, vlcus foueat. Semper enim cauſæ tum efficienti, tum fouenti quantum fieri poteſt obſiſtendum. Quod ad topica, Pars affecta eſt ita collocãda, vt vlceris orificium supernè deorſum tendat, ſicque facilè ex ſeſe pus effluat: ſi id fieri non poſſit, aut ab orificio ad fundum vſque vlcus ſcindendum: maximè quando cauitas eſt cuti proxima: aut ſi imminens periculum id prohibeat, in fundo eſt aperiendum: ac ſeto aliquis à ſuperiori ore ad inferius eſt traducendus, qui ſit vnguento detergente oblitus: id quoque ſi commodè fieri non poſſit, in ſinus & cauitates fieri debent iniectiones ex detergentibus & ſiccantibus. Proderunt itaque oxymel, œnomel, ex vino aſtringente, aqua aluminoſa cũ melle, lixiuium, aqua marina, ægyp. in lixiuio & mel. diſſolutum ac puluis mercurij, vt capite præcedenti dictum eſt, iniectus.

℞. aquæ plant. peculi roſ. & capiſ. ſingu. ℥. ij.

vnguenti ægypt. ℥. j. fiat iniectio. vel,

℞. aquæ plant. & peculi roſ. ſing. ℥. iiij. vini albi ℥. j. aluminis vſti ℥. ß. bacc. myrti & aloës ſing. ʒ. j. fiat iniectio. vel,

℞. hord. integri, pug. j. ß. cæterac. agrimon. ſing. m̄. j. centaurij minoris, abſynthij. ſingul. m̄. ß. coquantur in melicrato, ac fiat iniectio. Cumque vlcus ſatis ſuperque deterſum videbitur, vtendum ſequenti ad ſubſtantiam regenerandam.

℞. hord. pug. j ß. rad. ireos, fol. oliuæ. plant. agrimon. ſing. m̄ ß. coquantur in aqua: & in col. ℔ ß. diſſolue mellis roſ. col. ℥. ii myrrhæ ʒ. ij. ß. thur. maſtich. ſing. ℥. j fiat iniectio vel,

℞. decoctionis hord. ℔. i mel. roſ. col. ℥. iij ſarcoc. ʒ. ij. myrrhæ, thuris ſingul. ʒ j. vini ℥. vj. bulliant ad tertias: quibus interdum aliquid aloës addi poteſt.

℞. farinæ hord. & lupinorum ſing. ℥ j. mel. ℥. iiij. thur. maſt. ſing. ʒ. ij. myrr. ℥ ß. tereb. lotæ ʒ. j. ß. olei hyperici quantum ſatis eſt, fiat vnguentum: vel aliquod ex dictis admoueatur. Poſtea ſequens ceratum applicetur.

℞. nitri tenuiſſimè puluerisati quart. j. aquæ roſ. ʒ. ij. ß bulliant ſimul lento igni ad craſſitiem ſemper agitando: poſtea adde tereb. & olei veteris ſing. quart. j ceræ quantum ſufficit, iterum coquãtur agitando ſemper baculo & fiat ceratum.

Cõmodè etiam ſuperponetur emplaſtrum de minio, vel apoſtolicum chirurgicũ, vel diacalchiteos, cui ad exiccationem & aſtrictionem augendam, miſcere poterimus nonnihil calchitidis, corticis granatorum & gallarum omphacitidiũ, in pul-

in puluerē redactarū. Interea partes vicinas muniemus medicamento partim repellente partim diſcutiente: vel fouebimus ſequenti decoctione.

℞. calamenti, origani, ſaluiæ, matricariæ, abſynth. & roriſmarini ſing. m̄. j. chamæm. ſtech. & roſ. rub. ſing. pug. j. nuces cupreſſi x. ſalis ℥. ij. aluminis ℥ x. mel. ℔. j. bulliant in lixiuio & vino auſtero ad tertias & fiat fotus: vel capito alia aſtring. vt ſumac. plant. balauſt. herb. roſ. myrt. & in vino coquito. Admouendæ etiam turundæ plumbeæ in formam cannulæ, vt pus effluat & ligatura exprimens cum puluillis & ſpongia in orificio, vt pus veluti ſugendo & attrahendo, vlcus ſiccius reddatur.

De fiſtula. CAP. XIII.

VIctus ratione inſtituta & corpore diligenter purgato iuxta humorum naturam partes internæ ſunt roborandæ, ac ſequens decoctum in potu exhibendum: eſt enim probatum atque expertum ab authoribus in huiuſmodi affectu.

℞. oſmundæ regalis (filix mas Dioſcoridi dicitur) ſcrophulariæ ſing. partem, agrimo. & centaurij, minoris ſing. partes ij. ariſtol. & gentianæ ſing. partis ß. rad. filicis partem, philipendulæ partes ij. coquantur in vino albo, addendo ſacch. quantum ſufficit, & decocti detur quotidie manè cyathus vnus: poteſt eidem decocto gaiacum addi. Poſteaquam etiam callus erit ablatus, proderit vſus ligni ſancti in vino vel aqua cocti habita ratione virium & humorum, & vt magis minuſve voles exiccare.

In topicorum vſu conferunt iniectiones, vt in ſinuoſo vlcere dictum eſt: vel fiat decoctio ex rad. filicis, agrimon. & foliorum oliuæ, in qua ægypt. diſſoluatur, vel vnguentum apoſtolorum, vt neceſſarium videbitur. Vel,

℞. lixiuij ex cineribus braſſicæ & cort. fabarum ℥. iiij. cui adde mel. roſ. ℥. j. ß. aluminis ʒ. ß. bulliant modicum: deinde accipe decocti ℥. iij. pulueris præcipitati ʒ. ß. fiat iniectio: aut vtere aqua ſtillata sterc. humani. aut.

℞. tereb. ℥. j. thuris ℥. ij. maſt. aloës, caryoph. galangæ, cinamomi, nucis muſc. cubeb. croci ſingul. ʒ. j. gummi hederæ ℥. vj. irrigentur vino albo & aqua vitæ, ac diſtillentur: & aqua ſtillatitia iniiciatur in fiſtulam. Poſt iniectionem admoueatur vnum ex emplaſtris dictis, vt emplaſtrum diuinum, vel de gratia Dei. Quidam iubet fiſtulam helleboro impleri, ſicque tres dies fieri: cùm tamen ſemel id feciſſem in fiſtula ſpinæ dorſi proximè cordis regionem, frequens accidit ægrotanti lipothymia: Proinde id remedium minimè tutum puto, maximè ſi fiſtula ſit in aliqua thoracis parte: Fiſtula ſi recens fuerit, dictis remediis curabitur. Si verò inueterata, eiuſque orificium anguſtum: ipſum erit dilatandum penicillo, vel turunda ex gentiana, vel trochiſcis de minio, vel ſpongia quæ ſequenti modo præparabitur.

℞. ceræ, reſinæ ſing. ℥. j. ſublimati ʒ. j. vel ʒ. j. ß. liqueſcat cera cum reſina, poſtea adde ſublimatum: imbue ſpongiam ea mixtione, ſtatimque eam extrahe, ne comburatur: ac prælo exprime dili-

diligenter. Cùm orificium fuerit ſatis dilatatum, fiſtula eſt extirpanda, vel acrioribus medicamentis, vel exciſione, vel cauterio, vel in fundo incidatur & poſtea applicetur cauterium.

Medicamẽta quæ abſumunt fiſtulam ſunt trochiſci aſphondel. auripig. rub. ſublimatum, aqua ſublimata antea deſcripta, arſenicum, vel trochiſci de arſenico, qui recipiunt arſenici ter aut quater ſucco ſolani vel mã drag. irrigati & toties exiccati ℥.ij. Quo verò tempore ea applicantur, vlcer. ambitus erit muniendus vnguento de bolo, ne dolore excitato ſequatur inflammatio.

Quando tutum non eſt fiſtulam exſcindere, nec cauterium applicandum videtur, fient acres iniectiones: inter quas ſequens eſt à me probata.

♃. vnguenti ægypt. ℥.ß. ſublimati ʒ.ß. arſen ℈.j lixiuij. ʒ.j. aquæ roſ. ℥.ij. aquæ plant ℥.iiij. bulliant ad tertias & fiat iniectio tribus diebus: factáque iniectione vlceris orificium claudatur cera vel bombace, vt intus remanens melius agat, & fiſtulam abſumat: vel vrendum aqua forti, ſeu cauſtico ſuprà deſcripto. Poſt vſum cauterij, vel medicamentorum acrium danda opera vt eſchara decidat, vſu medicamentorum iam ſæpe dictorum. Poſteaquam callus erit ſublatus, abluatur vlcus mulſo, vel aqua decoct. erui cum mel. deinde,

♃. tereb. in aqua vitæ lotæ ℥ iij. ſuccorum apij & cynog. ſingul. ʒ.vi. mel. roſ. col. ℥.j.ß. fiat decoctio ad mediam ſuccorum conſumptionem: Poſtea adde ariſtol. rot. ʒ.ii. farinæ lupini ℥.ß. Quod ſi adiunxeris radices peucedani & ireos

myrrham & ſarcoc.proderit carni regenerandæ. Reliqua erunt obſeruãda, vt in vlcere profundo.

Quando congruum non videbitur exſcindere callum, nec vti cauterio, nec acribus medicamentis, tantùm ſupererit cura fucata, fiet verò frequenti purgatione humoris pituitoſi, ac melancholici & topicis moderatè exiccantibus: admouendumque emplaſtrum diachylon ireatum, vel diachalchiteos.

De cancro vlcerato. CAP. XIV.

CAncri vlcerati curandi methodus in victu & purgationibus, eadem eſſe debet, quę in cancro tumore præſcripta eſt.

Topicorum in vſu, Si cancer ſit in externa & ſumma corporis parte: quique poſſit ſuis cum radicibus tutò extirpari, nouacula eſt abſcindendus totus: ac ſanguis craſſus ex ſingulis venis vicinis exprimendus, vt totus effluat. Poſtea vlceris labia adducenda & in reliquis curandum vlcus vt alia: alij medicamentis cauſticis: alij autem cauterio abſumunt: ſunt qui, poſt exciſionem & venarum expreſſionem, cauterium applicant. Inter medicamenta cauſtica arſenicum hac in re principatum obtinet, vel cauſticum ſuprà deſcriptum, ſed tunc loca vicina vnguento de bolo muniẽda, ad vitandam inflammationem. Poſtea danda opera, vt eſchara decidat: & in reliquis procedendum, vt in aliis vlceribus: Cæterùm ſi cancer magnus & qui altas radices egerit: vel ſit proximè partem principem, vel in parte interna, vel ægrotus exciſionem pati non poſſit, ob vi-

rium

rium imbecillitatem, vel timorem: aut ſi ex hac curandi ratione deterioris mali periculũ immineat: abundè ſatiſque fecerimus, ſi cancri incrementum impediamus, tum proba victus ratione, tum purgantibus humores aduſtos ac melancholicos idque leniter, tum topicis exiccantibus ſine vlla mordicatione. Sequens potio plurimùm commendatur: qua vtendum erit nouem dies ante exciſionem, ſingulis verò diebus capiet ex ea ad ℥.ij. & in cura fucata etiam proderit.

℞. rad. tapſi barb. & ſcrophul. ſing. ℥.ij. filipẽd. ceterac. herbæ roberti, agrimon. tormentillæ, ſcabioſæ, caryophillatæ, linariæ ſing. m̄. j. ſeminis vrticæ ℥.iij. florum ſamb. & roriſmat. ſingul. pug. j. fiat decoctio, in qua diſſoluatur ſacc. quantum ſufficit ad ſaporis iucũditatem: fouebis autem affectum altera parte decoctionis: poſtea magma applicabis in formam cataplaſmatis: volunt enim id maximè dolorem ſedare. Sequentia cancri augmentum prohibent inter topica, ſuccus ſolani & acetoſæ ac ſimiles, vel aquæ ſtillatitiæ earum herbarum: plumbum, antimonium, & alia refrigerantia & ſiccantia, vnguentum album, vnguentum de litharg. vnguentum de plumbo pulueriſato cum vino albo aut ſucco acetoſæ, vnguentum de pomphol. aut ea miſceantur cum herbis in decocto ſcriptis: quæ quadam proprietate conferunt, aut cum aquis quæ caphuram recipiunt. Sequenti aqua vlcus non ſine fructu poteſt lauari.

℞. ſuccorum ſolani, ſemperuiui, accenſæ, ſcabioſæ, caprifolij, tapſi barb. ſcrophul. filipend.

plantag. linariæ agrimon. ſing. ℔. ß. ſucci omphacii ℔. j. carnis limacum, ranarum & cancrorum fluuiatil. ſing. ℔ ß. albumina ouorum vi. aluminis ℥. iij. caph. ʒ. j. diſtillentur omnia in alemb co plumbeo, eaque aqua ſtillatitia locum foueto, & pannum in ea immerſum ſuperponito: ea enim aqua cenſetur optima.

℞. vnguenti pomphol. quart. ß. vnguenti albi ℥. ij. litharg. & plumbi vſti & loti ſing. ℥. ß. ſuccorum ſcabioſæ & ſolani ſing ℥. j. olei omphacini, vel de ranis ℥. iiij. agitentur in mortario plumbeo donec fiat linimentum liuidum. vel,

℞. tuthiæ præparatæ, ceruſæ lotæ plumbi & litharg. lotorum, coriand. præparati, amyli ſing. ℥. ß. ceræ albę ℥. ij. olei roſ. vel de ranis ℔. j. muccag. ſeminis pſyllij cum ſucco ſcabioſæ herbæ roberti, linariæ, tapſi barbati extractæ ℥ iii. miſce, ac fiat vnguentum in mortario plumbeo. vel,

℞. ceruſæ vſtæ & quinquies in aqua roſ. lotæ, plumbi vſti & loti ſingul. ℥. j. tuth. præparatæ ℥ ß. litharg. nutriti ʒ. iij. ſuccorum ſolani, ſempervivi, hyoſciami ſingu ℥. j. lactis ſeminis pap. cum aqua roſ. extracti ℥. ij. lactis mul. ℥. j. olei roſ. ℥. iij. ceræ albæ ℥. j. fiat vnguentum ex arte. aut,

℞. ſucci foliorum tapſi barb. ℥. iij. mel. ℔. ß. pulueris ſpongiæ bedegaris ʒ. ij. pulueris malicorii & oſſium myrobal. ſing. ʒ ij. bulliant ad cōſumptionem ſucci, deinde pulueres inijciantur.

Nonnulli lauant quotidie * vlcus vino in quo tapſus barbatus coctus ſit: alij aquis ſolani, plant. roſ. cortice myrobal. cum modico aluminis aliquantulum coctis. Poſtea ſuccū ſolani in morta-

rio plumbeo agitant, donec linimenti conſiſtentiam acquirat, & applicant ac liniunt.

℞. plumbi vſti & loti ℥.iij. antimonii pariter loti ʒ.ii.pomphol.℈.iiii. ceruſæ ʒ.i.ß.caph.ʒ.i.lapidis hæmat. vtriuſque coralli ſingul.℈ ii. cineris cancrorum fluuiatilium. ʒ.ij ſuccorum plantag. & ſolani ſing.℥.ii. olei roſ.ompha. vel de ranis quantum ſufficit, ducantur in mortario & piſtillo plumbeis, donec linimenti habeant craſſitiem.

De vlcere verminoſo. CAP. XV.

AD vermium in vlceribus generationē prohibendam, humiditatem & putredinem ex quibus generantur, tollas oportet. Vermes verò interficies ſuccis vel decoctis abſynth.eupatorii, centaurij, marrubij & ſimilium medicamentorum amarorum: idem efficit ſuccus foliorum & florum perſici, ipſa quoque trita & admota. vel,

℞.olei de abſynt.℥.ij ſucci abſynth ℥ vj.pulueris cumini, dictamni, aloës, ſing.ʒ.ij. ceræ quantum ſufficit coquantur, ad emplaſtri craſſitiem: quo vti poteris, quacunque in parte ſint vermes. Millefolium quoque laudatur ad vermes enecandos, tam in brutis, quàm hominibus, cuius datur ʒ.j.in vino ad vermes ventris occidendos, idque pueris: grandioribus verò maior datur quantitas. Iniectiones eædem fiunt ad vermes aurium occidendos.

De combuſtione. CAP. XVI.

COmbuſtio ſi ſit magna, victū tenuē & alia vniuerſalia requirit iuxta humorū in corpo-

re dominium. In topicis, Ariſtot.j.problem.ſentit partem vſtā paulatim igni offerēdam,vt calor, calorem attrahat & bullæ nō excitentur:alij eadē ratione admouēt cæpe cum ſale. Cōmunia vero ſunt remedia aqua roſ.vel ſolani vel end.cum oui albumine diu agitata:acetum quod miſceri ſolet, nō probo,ob acrimoniam. Proſunt etiam vnguētum albū & rub.cum caph.albumine oui & aqua roſ.nam bullarum generationem prohibent. vel,

℞. butyri recentis, vel olei ſæpe loti ℥.iij.vnguenti popul.℥.j.ß.oua ij.miſce & fiat forma linimenti:.vel miſce ſuccos ſolani & ſemperuiui, oleum viol.& ceram ac fiat linimētum: aut aquā in qua calx extincta fuerit, capito & cum oleo nucum prius coquito,donec craſſeſcat,agitato & locum ſeptem dies oblinito:eſt enim præſens remedium. Exactis verò vij.diebus,

℞. olei nucum cocti ℥.ij. ceræ ℥.ß. agitentur ſimul. Aliud quo vtendum & ante veſicularum generationem & ipſis apertis.

℞.vnguenti albi cum caph.vng.pop ſing.℥.ij. muccag. ſeminis cidon. in aqua roſ.extractæ.℥ j. ß.fiat vnguentum.Si ardor magnus videatur:adde muccag.ſeminis pſyllij & oleum de nymph. Aliud eſt vnguentum de calce, cuius antea meminimus:quo libenter non vtor in facie:quia cicatricem nimis contrahit. vel,

℞.calcis lotæ ℥.j.ceræ albæ ℥.j.ß.olei roſ.℥.iij. ſterc.columb.vſti ʒ.ij.aquæ roſ.℥.j.albumen oui j.Si opus eſt deterſione,vtendum ſequenti.

℞.tereb. lotæ in decocto hord.℥.ij. ſyr.roſ.℥. iiij.myrr.& aloës ſing.℥.j. far.hord.quantum ſuff.

ad craſ-

ad craſſitiem. Deinde vt cicatrix elegans inducatur.

℞. diachyl. communis ℥.ij. vnguenti popul. & olei roſ. ſing. ℥ iij. muccag. ſeminis cydon. in aqua roſ. extractæ ℥. iij. vitellos ij. fiat vnguentum.

Inducta cicatric quotidie ipſam oleo de vitellis ouorum oblinito. Sequens etiam laudatur ab Aëtio poſt cõbuſtionem ad vlceris repletionem.

℞. olei roſ. ℥. viij. olei ouorũ. ℥ j vitri albiſſimi tenuiſſimè pulueriſ. ℥. i. cort. medij ſamb. m̃. i. ceræ albæ, ℥ j. ß coquantur ſimul ac fiat vnguen.

VLCERVM PARTICVLARIVM SANATIO.

De capitis vlceribus. CAP. XVII.

Capitis vlcerũ curatio nõ differt à præſcripta methodo: ſiquidem corrodentia corrodentium, & putrida putridorum methodo curantur: niſi quod externa capitis cutis, valenter exiccãtia ob ſuã naturalẽ temperiẽ deſiderat. Si adſit caries cranij, quomodo ſit agendum, antea dictum eſt.

De achoribus ſeu tinea. CAP. XVIII.

Hic affectus victus rationem tenuem & quę humori tum phlegmatico, tum melancholico aduerſetur, deſiderat: Nec minus humorum euacuationem partim venæ ſectione ſi vires & ætas permiſerint, partim medicamentis purgantibus, de quibus in œdem. & ſcirrho egimus. Quia tamen repetenda purgatio, proderit ſequens opiata.

℞.caſſiæ & cathol. ſing.ʒ ß.triph.perſicæ ℥.j.
myrobal.ind.& citrin. confectarum oleo amyg.
dulc.ſing.ʒ.ij ſennæ orient ʒ.iij.ſyrupi viol.quan-
tum ſuff.fiat opiata.

Poſtea properandum ad topica remedia. Pri-
mò itaque radendum caput, vel tondendum fre-
quenter, ſexque diebus lauandum decocto ex fu-
mar. oxypal. foliis hederæ, oleaſtri, ſalicis, ſiclæ,
acetoſæ,herbæ roberti: Vel lixiuium ex cineribus
ſarmentorum vitis, fraxini & braſſicæ conficito:
in quo calamen. & fol.lauri ſingul.m̃.j chamæm.
mel.l.ſtæch. ſing.pug.ij. coquito & quinque aut
ſex dies caput lauato. poſtea.

℞.olei.laur. & de ſemine lini ſingul. ℥.ij.pin-
gued.ſuillæ ʒ.vj.tereb. ℥ ij pulueris apij riſus ℥.j.
ß.hellebori albi & aluminis uſti ſing ℥.j.ærug.
raſilis & auripig. ſing ʒ.j. fiat vnguentum: tamen
ecria illa medicamenta vlceribus non ſunt admo-
uenda. vel,

℞.nuces communes cum corticibus aſſas xx.
aluminis, vitreoli, ſing.ʒ.ß.lithar ℥.ij.cinabrij ʒ.
ß.olei iuniperi & nucum ſingul ℥.ij reſinæ & pi-
cis quantum ſuff.fiat linimentum quo caput ra-
ſum & panno aſpero ad ruborem vſque priùs fri-
catum liniatur.

℞. emplaſtri oxycrocei ℥ j. ceronei ℥.ij. am-
moniaci, vino albo diſſoluti ʒ.ß. fiat emplaſtr.
quod capiti applicetur. Nos verò caput tonſum
melle illinimus: puluerem reſinæ ſuperaſpergi-
mus, poſtea placentam ex farina triticea in for-
mam pilei applicamus: & exactis octo diebus
pilos euellimus: vnguentumque ſequens vſque
ad

ad integram curationem admouemus.

℞. aluminis vſti, vitreoli ſing. ℥.j. ariſtol. æruginis raſilis ſing. ℥.ß. picis naualis ℥.ij. axung. equi ℥.j. butyri veteris ℔.j. miſce ac fiat vnguentum, quo vngatur caput poſt præcedentium vſum. Hæc enim curatio tutior eſt, ac minorem affert dolorem, quam etiam ſæpe ſum expertus.

Ad pilorum generationem.

Habenda ratio cauſę defluuij, num ex cutis raritate, num alimentorum defectu, num humorum corruptione, vt in morbo gallico: Si cutis raritas, moderatè condenſanda, ſi alimenti inopia, vberiùs alendum. Cùm verò ex corruptis humoribus, præſcribenda victus ratio conueniens, purgandum corpus pro humoris natura, cutis capitis eſt detergenda: deinde in topicis hęc conferunt.

℞. cinerum capillorum veneris ʒ.j. ladani puri ʒ.iij. myrrhæ ʒ.ij. pulueris abrotani vſti ℥.ß. olei ſeſamini, olei myrt. ſing. ℥.ij. vini rub. ℥.j. aceti ʒ. vi. adipis vrſi & anſeris ſing. ℥.ß. ceræ quantum ſuff. fiat vnguentum ad loca depilata. vel,

℞. ſterc. muris, cineris apum partes æquales & cũ oleo roſ. fiat vnguentum: vel ſucci chelidoniæ & ſanguinis muris quantum vis capito, ſub dio exiccato: poſtea cum vitello miſceto, & vngito.

℞. mellis ℔.ij. cineris abrotani ℥.ij. apum vſtarum ℥.j. pollytrici m. iiij. ladani. ℥.j.ß. omnia trita & in vino rubro nouem dies ſub dio macerata, diſtillentur in vaſe duplici.

De oculorum vlceribus. CAP. XIX.

VLcerum eiuſmodi curationem aſſequens victus ratione & euacuationibus, omnibuſque vniuerſalibus remediis dictis ca.de ophthalmia, pro natura humorum corporis. Topica modicè citraque dolorem ac mordicationem detergentia ſunto: vtque propoſita ſunt cap.de vulneribus oculorum: quemadmodum ſyrupus roſ.mel.virgineum, ſaccharum candum, aloë lota, myrrha.

Ad glutinandum capies tuth.præparatam, collyrium de plumbo, collyrium album ſine opio, quæ tenuiſſimè trita ſunt diſſoluenda aquis roſ. plant.caudæ equinæ, vel lacte caprino, vel muliebri: Multæ tamen medicamentorum tam ſimplicium, quam compoſitorum formæ ab auditoribus traduntur: quas parum profuiſſe ſæpè ſum expertus.

De fiſtula lachrymali. CAP. XX.

PRæmiſſa atque præſcriptis victus ratione, purgatione, aliiſque vniuerſalibus, optimùm eſt in principio cùm fiſtula nondum eſt confirmata, capere lanuginem quæ in radice arundinis reperitur: qua vlceris cauitas replebitur, vſque ad integram deterſionem. Proderitque collyrium ex thure, ſarcoc.aloë, ſang.drac.balauſt.antimon.alumine mixtis ad partes æquales, quibus addes quartam partem floris æris, ac conficies collyrium cum aqua pluuia. Ego tamen nihil præſtantius ſum expertus ſequenti.

℞.aquæ vitæ, ſeu vini optimi & mel.roſ.col.

ſing.

ſing.ʒ j. myrrhæ.ʒ.ij. fiat linimentum quo manè & veſperi locus liniatur: Ammoniacum etiam aceto diſſolutum & cum ærugine raſili fiſtulam lachrymalem abſumit. Cum nulla adhuc ſubeſt oſſis caries, ſed tantùm caro calloſa: abſumatur vnguento ægyptiaco, vel puluere mercurij, vel aſphod. poſtea detergatur, ac caro regeneretur. Quando verò fuerit oſſis caries, vtendum cauterio: præſtat enim medicamēto cauſtico: Formam verò cauterij, magnitudo cariei indicabit: in cuius vſu oculo eſt prouidendum admoto bombace imbuto albumine oui & argenteo cochleari ſuperpoſito. Fiſtula inueterata vix curatur, ob magnam cariem: ſi curata verò fuerit, adhuc tamen ex oculo lachrymæ effluent, ob carnem canthi abſumptam.

De naſi vlceribus. CAP. XXI.

IN curatione vlceris naſi quod phagedænicum eſt vel cancroſum (alii noli me tangere vocant) nonnulli, vbi victus rationem & cathartica præſcripſerint, quemadmodum dictum eſt de curatione cancri, vtuntur cauterio: alij cauſticis medicamentis veluti ſequenti, quod capite de polypo ſcriptum eſt: aquam vitæ tertiò deſtillatam cum arſenico albo æquis partibus miſceto: mixtionem in vmbra exiccato: altero die, tertio & quarto iterum aquam vitæ inſtillato & ſubdio ſiccato, puluerem facito: quem cum æqua mellis quantitate dum vti voles, miſceto: Vel ſpongiam in aqua arſenici macerato & addito tantillo olei de euphorbio applicato: Nam

carnem putrem ſeparabit:volunt tamē iis vtendum eſſe tantùm in principio. Idque prudenter agendum, ſæpe enim corrodentium vſu vlcus deteriùs habet, vt experientia docet: Cùm verò cancer eſt confirmatus, ſatiùs fuerit vti curatione fucata. Si verò præſeruare velis, aut vlcus fucare, Victus rationem præſcribito, in qua omnia acria, quæque ſanguinem calfacere poſſunt vitato: Verno tempore venam aperito, cathartica purgantia humores vſtos & melancholicos propinato: qualia ſunt quæ diximus, capite de cancro tumore. Sequens quoque opiata erit in vſu, bis in menſe.

℞. cathol. ℥.j. confect. hamec. & diaſennæ ſolutiui ſingul. ℥.ß. elect. de pſyllio, de citro & de ſucco roſ. ſingul. ℥.iij. ſyrupi viol. quantum ſuff. fiat opiata, qua vtatur bis in menſe. Topica quæ in vlceris virulenti ac cancri curatione dicta ſunt, ac de tumore naſi huc referantur: valent quoque ſequentia.

℞. aquæ roſ. plant. & ſolani ſing. ℥.ii. myrobal. citr. & balauſt. ſingul. ℥.ii. aluminis ℥.ß. bulliant, deinde colentur & vlcus lauetur. deinde,

℞. olei roſ. lb.j. olei myrt. vnguenti roſ Meſuæ, vnguenti pop. ſingul. ℥.j. ſuccorum plant. ſolani & ſemperuiui ſing. ℥.ij. bulliant ad ſuccorum conſumptionem: tandem adde lithar. auri ℥.v. tuth. præparatæ ℥.iiii. ceruſæ lotæ ℥.x. plumbi vſti & loti ℥.vj. caph. ℥.j. ceræ quantum ſuff. In mortario plumbeo horam vnam agitentur. vel,

℞. olei roſ. ℥.v. ſuccorum plant. ſolani ſemperuiui ſing. ℥.j. mali punici contuſi ℥.ij. tuth. præpa-

ratæ ℥.ß.plumbi vſti & loti, ceruſæ lotæ, litharg. & antim. lotorum ſingu ʒ.iij. ceræ quantum ſuff. agitentur diligenter in mortario plumbeo. vel,

℞. olei amygd. dul. recentium, ſucci vtriuſque granati, ſucci ſolani ſing. ℥.j ß. vnguenti de plumbo ℥.j. agitentur in mortario plumbeo, fiat vnguentum. vel,

℞. butyri bubulini loti, ſucci ſemperuiui ſingulorum partes æquales, agitentur in mortario plumbeo, donec fiat forma vnguenti: id maximè dolorem lenit, feruoremq́ue remittit.

Si vlceris labia intumuerint, applicetur puluis mercurij loti diligentiſſimè.

De oris vlceribus. CAP. XXII.

VNiuerſalia primùm pro natura humorum præcedant: Deinde topica præſcribantur, quæ de vuulæ affectibus dicta ſunt. Si vlcus corrodens & ab humore calido & acri, ſequens proderit.

℞. mel. roſ. col. ℥ j ſucci mali punici vel omphacij ℥ j. aquarum plant. roſ. ſeu acetoſæ ſingul. ℥.iij. miſce, fiat gargar. Si vlcus ab humore pituiteo, colluat os vino albo cum modico aluminis vſti: Admoueatur etiam vlceri aqua ſublimata. Iuuat quoque ſequens decoctio in gargariſmate & collutione oris, à quocumque humore ſit vlcus: Calices glandium, nuces cupreſſi, folia oliuæ, ſumac, plantaginem, ſaluiam, roſmarinum, lentes & roſas coquito: ac modicum aluminis vſti & mellis quantum videbitur, vel ſaccharum adiungito: oſque frequenter colluito: Aut oliuæ folia cum ſucco mali punici & mel-

le ad colluendum coquito. Si magna putredo adſit, addunt ægyptiacum. Si vuula corroſa, ſtylo bombace inuoluto & aqua forti imbuto locum vlceratum contingito, deinde os decocto rerum præcedentium colluito. Oris vlcera ſi à morbo venereo fuerint, purgatio præcedat: tenuiter viuat cum decocto guiaci, vel vngatur, vt illa lues requirit; internæ partes confirmentur: Vlcus collutione detergeatur & ad cicatricem ducatur: denique humorum defluxus à cerebro cohibeatur. In topicis bis quotidie aqua ſublimata ſuperius deſcripta, bombace excepta vlcus contingito. vel,

℞. aquæ roſ. & plant. ſingul. ℥ ij. ſublimati ʒ. j. bulliant in phiala vitrea, donec ſublimatum diſſoluatur. Poſtea æger os colluat ſequentibus.

℞. aquæ decoct. hord. quart. iij. aquæ plant. & mellis roſ. col. ſing. ℥. iij. fiat gargariſma. vel,

℞. hord. pug. j. lentium pug. ß. corticis granat. ℥. ß. foliorum oliuæ, ſumac. myrt. lentiſci, balauſt. ſing. m̄. j. fiat decoctio: in col. ℔. ij. diſſolue ſyr. acetoſæ ſimpl. ſyrupi roſ. & diamoron. ſing. ℥. ij. ß. ſucci mali punici. ℥. iii. mellis roſ. col. ℥. ij clarificetur & fiat gargariſma. vel,

℞. aquæ plant. ℔ ß. mel. roſ. col. ℥. iij. ſyrupi myrtini & cydoniorum ſing. ℥. j. ſucci mali punic. ℥. j. fiat gargariſma. vel,

℞. fol. oliuæ, ſumac. myrt. plant. agrymoniæ, ceterac. pilloſellæ ſing. m̄. j hord. integri pug. j. cort. mali punici. ℥. ß. balauſt. & roſ. rub. ſingul. pug. j. berberis ʒ. j. fiat decoctio in aqua ciſternæ & in ℔. j. coll. diſſolue mel. roſ. col. ℥ iiij.

ſucci mali punici ℥.ij dianucum ℥.ij.ß miuæ cydoniorum ℥ j. miſce & fiat gargar. Aut ſuccus pilloſellæ cum vino & melle ſumatur pro collutione: id enim eſt optimum. Obſerua verò initio magis eſſe detergendum, deinde aſtringendum, procedendo à mitioribus ad valentiora. Deinde ad cicatricem inducendam vtere ſequenti.

℞ pulueris roſ. b. lauſt. gallarum, myrobal. citrin. ſing. ʒ.ij, cyperi ʒ ß. miſceto, ac inſufflato, vel potiùs ſtylo bombace inuoluto admoueantur: Nam dum pulueres in os inſufflantur, periculum eſt, ne in aſperam arteriam ingrediantur tuſſimq́ue vehementem excitent. Denique ad defluxionem ſiſtendam conferent ſequentia.

℞ ammoniaci galb ſing. ℥ j. piſtillo calido extendantur in forma emplaſtri: quod occipiti eſt admouendum.

℞ auripig ʒ.j. myrrhæ, thuris, maſt. ſingul. ʒ.ij. ſuffitus communis ℥.ii. ac cum tereb. fiant trochiſci ad ſuffienda capitis ornamenta in cubiculo ægroti clauſo.

℞ boli armen. ℥ ij. gummi arab. tragag. aſſatorum ſing. ℥.j. cort. thuris ℈.ß. cum ſyrupo de roſ. ſiccis, fiant formulæ inſtar lupinorum, quas noctu ore contineat & interdiu ſaccharum candum. Si vlcera fuerint in palato, diligentius eſt occurrendum. Cito enim tum propter humiditatem, tum caliditatem, tum oſſis raritatem fit caries, oſſiſque corruptio: extrahi autem vix poteſt, niſi cauterio, & noxa inde perpetua: quandoquidem loqui poſtea articulatè nunquam poſſunt, niſi occluſo foramine quod remanſit: Occludi-

cluditur verò cera, ſed melius argenteo inſtrumento concauo ad id comparato. Præterea cum oſſe palati os quoque maxillæ ſuperioris facilè corrumpitur: vnde dentes poſtea excidunt.

De aurium vlceribus. CAP. XXIII.

AVrium vlcera victus ratione & catharticis curanda, quemadmodum earũ partium tumores. Poſt purgationẽ ſi in cerebro ſuperſit pituita, quæ vlcus fouere poſſit, vtatur ſequẽtibus.

℞. theriacę veteris ℥.ij. ſtaphiſag. piret. ſing. ℈.j. maſtich. ʒ. ß. fiant maſticatoria, quibus manè ante paſtum vtatur.

℞. ſuccorum anagal. mercurialis, ſampſuci & meliſſæ, quantum videbitur & naribus frequenter attrahantur, decoctum quoque gaiaci confert in topicis: detergentia, valdéque ſiccantia pro natura partis deſiderantur: Oleum de vitellis ouorum, cum melle & tantillo ſarcocollæ eſt inſtillandum: vel cùm adeſt dolor vehemens, oleum de vitellis ouorum ſolùm agitetur in mortario plumbeo, donec fiat fuſcum ſeu liuidum, poſtea inſtilletur in aurem. vel,

℞. aquæ decoct. agrim. & abſynt. ℔. ß. vini albi & mel. roſ. ſing ℥. ij. inſtillentur tepidè. vel,

℞ ſucci mali punici dulcis, ſucci polygoni & virgæ paſt. ſing. ℥ j. mel. roſ. ℥ j ß. coquantur & in aurem immittantur, ſi quidem vlcus recens fuerit, ea ſufficient: ſed in vlcere antiquo ac ſordido opus eſt maiore deterſione: Ideóque diſſoluatur ægyptiacum: Poſt aliquam deterſionem poteſt addi myrrha. Poſſunt etiam diſſolui trochiſci

chiſci andronij in aceto & inſtillari: Eorum verò compoſitio hæc eſt.

℞. balauſt. ℥. ij. aluminis ℥ j. atramenti ſutorij ʒ. ii. myrrhæ ʒ. i. thuris, ariſtol. gal. ſingul. ʒ. ij. ſalis ammoniaci ʒ. j. excipiantur omnia melicrato & fiant trochiſci. Scoriam ferri quinquies vino auſtero extinctam & exiccatam, terito, & cum butyro recenti & vſto in formã linimenti miſceto.

℞. vini auſteri ℥. j. aluminis ʒ j. liquefiant & eo vino aluminoſo imbuantur panni quinquies, atque exiccentur & ex eis fiant turundæ, quæ illinantur præcedenti linimento & admoueantur.

℞. ſuccorum polygoni & hederæ ſingul. ℥. j. pompholigos lotæ, in aqua roſ. & plant. quantum videbitur: miſce & in aurem inſtillentur.

De axillarum & inguinum vlceribus.

CAPVT XXIV.

IMprimis victus ratio & alia vniuerſalia inſtituantur, pro diſpoſitione vlceris & humorum, corporiſque natura. In topicis verò, cùm hæc vlcera frequenter ſint profunda & ſinuoſa cum labiorum duritie, iniectionibus detergentibus & ſiccantibus erit vtendum, vt antea dictum eſt de ſimilibus vlceribus; vel,

℞. lixiuij tonſoris ℥. vj. mel. ℥ j. pulueris præcipitati ʒ. iii. miſce, ac fiat iniectio: quæ in vlcere horas xij. retineatur: Poſtea iniciatur lixiuium cum melle roſ. vel decoctum hord. cum ſacch. vel œnomel, vel valentiora: ad deterſionem prodeſt mundificatiuum de apio, ad partem roborandam ſuperponantur ſtupæ vino auſtero imbutæ. Si orificium anguſtum fuerit, ſpongia, vt

antè dictum eſt, præparata dilatetur, vel radice gentianæ. Si labia dura, renouentur ferro candenti, vel medicamento cauſtico.

De pectoris vlceribus. CAP. XXV.

PEctoris vlcera curantur victus ratione, venæ ſectione, purgatione, pro vlceris & partis affectæ diſpoſitione, ac corporis & humorum natura, pro quibus omnibus recurrendum ad tumorum curationem. In potu, Guido propinat decoctum virgæ paſtoris cum melle, Alij aquam ſtillatitiam agrimoniæ quotidie ad ciathum offerunt: Alij rhab. pulueriſati & mummiæ ſing. ʒ.ß. cum aqua conſolidæ præbent. Quæ non penetrant in partem internam thoracis vlcera, curanda ſunt, vt in capitibus vniuerſalibus dictum eſt. Quæ verò penetrant, ſi anguſtum habeant orificium, ipſum eſt dilatandum, vel ſpongia præparata, vel radice gentianæ, quæ filo appendatur ne in thoracis cauitatem incidat: dandaque opera vt pus foras adducatur, ne in thoracis cauitatē prolabatur. Vbi nullam ob partes internas periculum imminet, accipito calcanthi ℥.j. mel. roſ. ℥.ij. miſceto & cum ſpongia vtitor: Si adfuerit inflammatio, admoueatur vnguentum roſ.

Iniectiones in cauitatem fiant ex melicrato, vel œnomelite. vel,

℞. radicis aſari, gentianæ, ariſtol. ireos, ſingul. ℥.j. fol. agrimon. pentaph pedis columbini, ceterac. centaurij minoris, hyperici ſingul. m̃.j. myrrhę ʒ.ß. fiat decoctio in aquis partibus aquæ & vini

vini albi & in col.℔.ij.diſſolue mel.roſ. col.℥.vj. ac fiat iniectio.

℞. ſucci apij ℥.iiij. ſucci agrim. abſynt.plant. craſſulę ſing.℥.ii.ſucci cynogl.℥.i.far.hord.& fab. ſingul.℥.iii.mel.iiij.tereb. lotæ in aqua plant.℥.ij. pulueris thuris. ℥.ß.myrrhæ ℥.i. olei roſ.& ceræ albæ quantum ſuff.fiat vnguentum.

℞.vnguenti regis ℥.iiij. pulu.ireos, ariſt.myrrhæ,& aloës ſing.ʒ.j.fiat vnguentum ſarcotic.vel,

℞. pulueris rad. arundinis & peucedani ſing. ʒ.j.ß. thuris, maſt.myrrh. ſing.ʒ.ij. pulueris ireos & ariſt. ſing.ʒ.j.cort.pini ʒ.j.ß.vnguenti comitis ℥.mel.roſ. col.quantum ſuff.fiat linimentum.

De ventris inferioris vlceribus.

CAPVT. XXVIII.

VEntris inferioris vlcera, quæ in cauitatem non perueniunt, curantur methodis vniuerſalibus dictis pro natura & ſpecie vlceris.

Quæ verò penetrant in partes contentas, cura fucata ſunt tractanda, potiùs quàm vera, quemadmodum thoracis vlcera in penitiores partes penetrantia: ſi quidem ea in fiſtulam ſæpenumero abeunt: quæ aut raRò, aut nunquam curatur.

De pudendi vlceribus. CAP. XXVII.

PEnis & pudēdi vlcera deſiderant victus rationem, ſæpe venæ ſectionem & purgationem, iuxta corporis & humorum naturam, maximè ſi ſint magna. Quod ad topica verò, Vlcera penis ſuperficiaria ſiccanda aqua roſ. & plant. ſing. ℥.ij. & trochiſcorum alborum raſis ℥.ij.aut aqua

aluminoſa, aut vnguento albo cum caph. Aut vnguento de plumbo: aut puluere balauſt. & bedegaris: vel puluere cucurb. ſiccæ & vſtæ.

Si vlcera recentia & virulenta, ſerpentia, ac corrodentia fuerint, admoueantur mineralia vſta & lota & aloë ac cortex pini, vel,

℞. plumbi vſti & loti ʒ. iij. litharg. ℥. ß. lapidis hæmat. ʒ. j. aloës, ʒ j. ß. tuth. præparatæ ʒ. j. cor. pini ſicci ℈. iiij. ſeminis anethi combuſti, cucurb. ſiccæ & vſtæ ſingul. ℈ ij olei roſ. omphac. ℥. iij. ceræ albæ quantum ſuff. fiat vnguentum. vel,

℞. corticis chamæm. vſtæ ʒ. ij. gallarum, balauſt. malicorij, acaciæ ſingul. ʒ. iij. ærug. raſ. ʒ. ß. pompho. aloës, thuris, ſarcoc. coral. rubri ſing. ʒ. ij. ß. fiat puluis tenuiſſimus: ac cum oleo roſ. & cera fiat vnguentum. Vlcera ſi fuerint putrida, & antiqua puluis mercur. aſpergatur, & foueantur aqua ſequenti.

℞. aquæ plant. ℥. ij. vini albi ℥. ß. tuthiæ præparatę, ærug. raſilis vſtę ſing. ʒ. ij. bulliant modicum: foueto vlcus, poſtea ſequenti pulu. reſpergito.

℞. corticis thuris, aloës lotæ, ſarcoc. myrrhæ, gummi elenij ſing. ʒ. ß. aneti vſti ℈. j. corticis pini ℈. ij. tuthiæ præparatæ, antimonij, plumbi vſti, ceruſæ, ſing. ʒ. j fiat puluis tenuiſſimus, adde ſang. drac. ℈. ij. eo puluere vlcus reſpergatur. vel,

℞. vitreoli aluminis crudi & vſti ſing. ℥. ß. auripig. ʒ. ij. aquæ plant. & roſ. ſing. ℥. iiij. aceti albi ℔. ß. bulliant ſimul, poſtea adde ærug. raſilis ℥. iij. foueatur vlcu. vel,

℞. vini albi ℔. j. aquæ plantag. & roſ. ſingul. quart. j. auripigm. ℥. ij floris æris ʒ. j. terantur tenuiſſimè:

nuiſſimè; modicū bulliā; & fiat collyrium. Nonnulli loco auripig. ponunt alumen vſtū: quod faciēdum cenſeo in vlc. nō admodū putrido. vel,

℞. oua iiij. ad duritiem elixa: vitellos tere diligenter: affunde aqua vitæ ℔. ij. adde aluminis ℥. ß. caph ℥. ij. ærug. raſilis ℥ ß. & facta colatura, linamenta ea aqua imbuta tertiò aut quartò quotidie admoueantur & miraberis effectum. Atqui lixiuio cum melle primò vlcus fouent: poſtea lixiuio cum alumine vſto, deinde lixiuio cum oſtraciorum puluere, denique aqua vitæ cum puluere oſtraciorum. Poſt lotiones paulò antè dictas, laudant puluerem mercurij, vel ægyptiacum, ſi vlcus ſordidum vel virulentum. Si verò gangrænæ periculum immineret, profundè ſcarificato & cauterium, vel medicamenta cauſtica admoueto: ac vlceris ambitum vnguento de bolo munito. Accidit etiam frequenter, vt penis vſque adeò intumeſcat & maximè præputium, vt balanus vndique præputio obtectus videri non poſſit, nec vlcus inter balanum & præputium eſſe conſpicuum, nec detergeri: atque cataplaſma tunc conficies ex decoctione maluæ, ſeminis lini, cui addes butyrum, ouum integrum. Quod ſi cataplaſmatis applicatione non detumeſcat, nec balanus poſſit diſcooperiri & interea vlcus magis ac magis corrodat (quod dolore percipies) tunc præputium in longitudinem forficibus eſt incidendum, vt vlcus in conſpectum veniat & detergatur. Si vlcus exiguum, ſufficiat fortaſſe inijcere collyrium dictum, vel aliud ex præſcriptis. Si vlcus maiuſculum, addes alte-

to die collyrio aloës & myrrhæ ſingul. partes æquales, alterum vero puluerem mercurii.

Cæterùm ſi vlcus ita corrodat vt ad meatum lotij perueniat, & vrina effluat, eodem collyrio dicto cum puluere myrrhæ & aloës curabitur: ſi verò iis non ceſſerit, cauterium eſt admouẽdum. Dolor autem ſi premat, vnguentum popul. cum ſucco ſolani, plant. ſemperuiui, farina hord. oleo violaceo & oui albumine admoueatur. Vlceri penis cancroſo, cum labiis duris conferunt, ablutiones ſuperiores. vel,

℞. vini albi cyathum, aquæ roſ. & plant. ſing. cyathum mediũ, aluminis cocti ℥ ii. mel. quart. j. roſ. pug. j. coquantur & ea decoctione locus foueatur: vel fiat iniectio, ſubinde applicentur vnguenta dialth. & aureum ad emolliendum. Poſtea puluis mercurij, & ceratum de minio.

De vuluæ ac vteri vlceribus. Cap. XXVIII.

VVluæ atque vteri vlcera expetunt victus rationem & purgantia, pro vlceris diſpoſitione atque humorum, corporiſque natura, recrementa ad eam partem per vrinas minimè adducenda: nec aluus vehementer mouenda, ſed vocenda: venæ ſemitus etiam ad reuulſionem proderit: venæ ſectio quoque nonnunquam erit ex vſu: denique vſu guaiaci poſt purgationem. Iuuabitque ſequẽtis opiatæ vſus ſemel in hebdomade.

℞. caſſiæ recenter extractæ. ℥. iiij. tamarind. ℥. ji. pulpæ prunorum & ſebeſten. ſing. ℥. j. ß. mucilag ſeminis pſylij. ℥. j. ſennæ orient. ℥. iij. aniſi ℥. ß. liquitiæ raſæ tenuiſſimè pulueratæ ʒ. ij. cum

cum ſyrupo roſ.ſolutiuo, fiat opiata, de qua capiat ſemel in hebdomade inſtar nucis, cum decocto mercurialis.

Ad humorum præparationem.

℞.ligni ſancti ℥.iiij.corticis eiuſdem ℥.j.ß.infundantur in ℔.iij. aquæ bug. cichorij & abſynthij, coquantur lento igni ad medias, & in col. diſſolue ſyrupi de fumo terræ ℔.j. capiat manè & veſperi ℥.vj.vſque ad finem. deinde.

℞.polypod. quercini recent. ℥.ß.paſſul.mundat.prunorum,ſebeſtē.ſing.par.v.tamarind.℥.iij. ſennæ orient. ℥.ß. fol.mercur.& borag.ſing.m.ß. flor.trium communium ſing.pug.ß. fiat decoct. & in quart.j.colaturæ diſſolue confect.hamec.℥.ij.elect. diacart. ℥ j. ſyr.roſ.ſolut. ℥.ij. fiat potio quam ſumat abſoluta decoctione præcedenti.

℞.conſeruæ rad.bugl.℥ j.conſeruæ cort.citri. ℥.ß.pulu̇er.diamarg. frig.& diarhod.abb. ſing.℥. ij. pulueris de gemmis ℥ j. cum ſyrupo capill. ven.fiat opiata, de qua capiat bis vel ter in hebdomade,ſuper bibendo parum vini.

In topicis ea erunt vtilia quæ penis vlceribus conferre diximus: vtraque enim valenter ſiccantia ſine morſu deſiderant. In vlceribus vuluæ & vteri vti poſſumus inſeſſionibus,ſuffitibus & fotibus, lotionibus & reliquis.in principio lauabitur vlcus,vel fiet iniectio ex ſero lactis cum ſacc. aut ex vino cum mel.roſ. vel decocto hord.cum ſyrupo roſ.& melle roſ.vel ſacch.roſ. vel,

℞.hord.integri parum torrefacti pug.ij corticis gaiaci ℥ j.ß. rad.ireos ℥.j. paſſul. ℥ j. myrobal.citrin. ℥ ij.fiat decoctio in aqua fabrorum &

in ℔.ij. diſſolue mel.roſ.col.& ſyrupi roſ.ſingul.℥.iij. iniiciantur in principio, etiam dum vtitur ſyrupo humores præparanti. poſtea ſequenti,

℞. hord.integri modicè aſſi pug.j.lini ſancti ℥.ij.pilloſel.ceterac. ſing.m̄.ij. virgæ & burſæ paſtoris ſingul.m̄.j.plant.& abſynt.ſingul.m̄.ß.cort. mali punici ℥.j.ſumac,℥.ß.roſ.rub.pug.j.fiat decoctio in aqua,in qua plumbum extinctum fuerit & in ℔.iiij. diſſolue mel.roſ.col.& ſacc.roſ.vel ſyrupi de roſis ſiccis ſing ℥.iij & fiat iniectio poſt vſum præcedentis. deinde,

℞.vnguenti pomphol.℥.iiij.ceruſę lotæ,plumbi vſti & loti,antimonij, ſing.℥ j.aloës lotæ,ſang. drac.thuris,maſtic. ſingul.℥.ß. olei roſ.℥.iii.ceræ rub.℥.ij.fiat linimentum,quo illinantur peſſi:vel diſſoluatur in vna parte iniectionis ſuperioris & iniiciatur.Si hæc vlcera ortum habeant à lue venerea eidem linimento addi poſſunt ℥.ij. hydrargyri. Vlcera huiuſmodi ſi ſint virulenta,corrodentia & cacoëthea,ſtatim in principio poterit admoueri puluis mercurij,vel idem puluis iniicietur cum decocto hord.cui parum aluminis ſit permixtum: vel diſſoluetur vnguentum ægypt.vel apoſtolorum, vel aliud ex mundificatiuis ſuperioribus,ſi vlcus ſordidum fuerit. Vbi verò ſatis deterſum videbitur, præcedentibus iniectionibus,ac linimento vtendum,deinde aſtringentium doſis augenda, vel pulueribus in linimento præſcriptis,vlcus reſpergatur ad inducendam cicatricem. Ad maiorem quoque exiccationem,vtilis erit ſuffitus ſequens,maximè ſi cætera non profuerint.

℞.corti-

℞. corticis thuris ʒ.ij. maſtich gummi, hederæ & iuniperi, ladani puri & hypociſt. ſingul. ʒ.ß. auripigmenti rubri vel citrini ʒ.iij. cinabrij ʒ j. vel ʒ.ß. excipiantur terebinthina & fiant trochiſci qui in ignem iniiciantur & per infundibulum fumum ſuſcipiant.

℞. olei maſtich. ʒ.iij. olei de abſynth. & roſ. ſing. ʒ j. ceræ parum, fiat linimentum, quo liniatur regio vteri, & dum fiet litus addatur modicum vini. Cùm vlcera ſunt à lue venerea, viuere debent tenuiter cum decocto gaiaci, vel vtendum vnctionibus vniuerſalibus ex hydrargyro.

Si inflammatio ſuperuenerit fouendum decocto hord. cum muccag. ſeminis pſyllij & cydon. iniubarum, ſebeſten cum ſucco plant. portul. lacte bubulo, aqua roſ. oui albumine & ſacc. vel,

℞ hord. integri, lentium ſingul. pug. ij. portul. plantag. virgæ paſt. ſingul. m. j. capita tria pap. roſ. rub. pug. ij. fiat decoctio in æquis partibus aquæ fabrorum & roſ. & in ℔. ij. diſſolue ſyrupi de roſ. ſiccis ʒ.iiij. trochiſcorum alborum raſis ſine opio, vel cum opio (ſi vehemens ſit calor & dolor) ʒ.ß. croci ℈.ij. paſſi ʒ.iij. miſce, fiat iniectio: cui addere potes vitellos j. vel muccag. ſeminis pſyllij. Dolor acerbus leniendus eſt inſeſſionibus ex vino in quo chamæm. melil. roſæ & alia anodyna coxerint.

Vlcus, ſi cancroſum effectum fuerit, curatione fucata tractabitur. Itaque tunc proderit & in omnibus vteri vlceribus decoctum tapſi barbati & collyrium præcedens. Poſtea parabitur vnguẽtum ex ſucco ſolani in mortario ac piſtillo plum-

beis agitato ad mel. craſſitiem. Potes vti aliis vnguentis acrimoniam humoris obtundentibus & exiccantibus, de quibus capite de cancro egimus.

De hæmorrhoidibus. Cap. XXIX.

HÆmorroidum curādarum ratio expetit victum ſatis tenuem, ex iiſque quibus laudatus ſanguis ſolet generari, maximeque vitanda acria & melācholica, ac craſſa: interdum vena erit ſecanda iecoraria: purgationibus aſſueſcendum, quibus purgandi humores acres melancholici & craſſi. De huiuſmodi verò purgationibus & victu, recurrendum ad tumorum curationem. Cùm tamen fluere ſolitæ ſunt & diutiùs retinentur, ſuntque aperiendæ, commodè ſcalpello aperientur, vel hirudine in cannula applicata loco prius tincto ſanguine, vt hirudo citius pungat: vel aperientur litu ex aloë & felle bouis cum aceto: vel fiet ſuffitus ex decoctione calaminthi, origani, maluæ in vino facta: deinde fiet cataplaſma ex helleboro nigro mixto cum ſucco cepe, aut lacte ficus: aut ex ſtercoris columbi ℨ.j. & ſucci thytimali ℥ j.ß. præſtantius erit, ſi addideris fel bubulum & pul. ſtaphyſag. vel cyclaminis: idem efficit folium ficus tritum.

℞. fellis taurini, ſterc. columbi ſing. ℥ j.ß. ſeminis ſtaphyſag. ℨ iij. amyg. amararū ℨ j. colocynth. ℨ.ß. ſucci cyclaminis & cepe ſing. ℨ.ij. olei de abſynth. & amyg. amararum quantum ſuff. fiat forma emplaſtri.

Cæterùm cùm hæc aperientia inducant inter-

dum

dum dolorem vehementem, & qui difficile ab ægrotantibus perferatur, nullum aliud eſt conſilium, niſi vt forficibus incidantur ſi appareant, vt inde ſanguis effluat. Interea tamen ad dolorem demulcendum, profuturus eſt fotus ex decocto altheæ, maluæ, chamæm. melil. ſeminis lini. vel,

℞. maluæ parietariæ, tapſi barb. chamæm. melil. ſing. m. ß. ſeminis lini ℥. iij fiat decoctio ad fouendum anum. Poſtea vitellum oui cum oleo roſ. vnguento popul. opij, granis ij. & tantillo croci miſceto & ano immittito. vel,

℞. butyri recentis ℥. j. olei de pap. ʒ. ij. ſucci ſolani ſenſim mixti ℥. ß. agitentur diu in mortario plumbeo: aut cepe aſſum cum butyro miſceto: aut oleum de ſemine lini cum butyro & ouo: aut oleum de vitellis ouorum: aut oleum de nucleis perſicorum. aut,

℞. olei de ſemine lini & butyri recentis ſing. ℥. ß. ſagap. ʒ. ß. ſucci tapſi barb. & mali punici ſingul. ℥. j. ſcarabeos vi. bulliãt ad ſucci conſumptionem & facta colatura vtere intus & extrà. Empirici quidam admouent ſcrophul. vel ſcab. aiuntque eas herbas etiam latas prodeſſe. aut,

℞. olei lumbricorum ℥ j. ouum j. opij ʒ. j. miſce & cum bombace admoue. aut,

℞. rad. tapſi barb. & alth. ſingul. ℥. ij. chamæm. pug. j. ß. coquantur: & adde vitellos ouorum elixatorum duos, aloes, myrrhæ, croci ſing. ʒ. j farinæ ſeminis lini & fœnug. ſingul. ʒ. vi. butyri ſine ſale, quantum ſufficit, fiat forma emplaſtri: cui ſi addas opii ʒ. j. erit præſtantius. Quod ſi hæmorrhoides intus lateant, cucurbitulis ſunt attra-

hendæ: vel bombace immittendum vnguentum præcedens ex oleo lumbricorum ad dolorem ſedandum.

Quando hæmorrhoides immoderatè fluunt, victus ratio eſt inſtituenda ex vſu aſtringentium & incraſſantium. Cathartica quando proderunt pro humoris natura: quæ tamen laxando relinquant aſtrictionem, vt ſunt myrobal. tamarindi rhab. Proderit etiam vſus ſequentis electuarij.

℞. myrobal. embelit. indarum & bellericarum lotarum in aqua plan. donec amarorem exuerint ſingul. ℥ ß. rad. tapſi barb. ℥. iij. zinzib. cinamomi, nucis muſc. galangæ, olibani ſing. ʒ j. ſpicę nardi, ſquinanthi, ameos ſing. ʒ ß. ſcoriæ ferri præparatæ in aceto coctæ ʒ. iij. conſeruæ roſ. veteris, ſucci de ribes & de berberis ſing. ℥. ß. ſacch. quantum ſuff. fiat elect. in morſulos. In topicis, foueatur anus aqua chalybeata, in qua nuces cupreſſi, alumen vſtum & alia aſtringentia coxeris & eorum ſuffitum excipiat: vel ex iiſdem fiat balneum, vel inſeſſio. hyeme verò,

℞. abſynth. m̄. j. ſaluiæ m̄. ß. matricariæ quartam partem m̄. j contundantur, in ſartagine frigantur cum oleo roſ. & in forma emplaſtri applicentur ano: intro verò immittatur vnguentum ſequens.

℞. roſ. myrt. centinodię ſingul. ʒ. ß. thuris ℥ j. ſang. drac. ℥. ij boli arm. terræ ſigil. ſing. ℥ iii. tuth. præparatæ, lithar. vtriuſque ſing. ʒ. j ß. farinæ volatilis & f. b. ſing. ʒ. ij. ſucci tapſi barb. caudæ equinæ, plant. ſymp. maioris ſing. ʒ. iij. album ouorum ij omnia miſceantur & excipiantur pilis leporinis inciſis in minutiſſima. vel,

℞. pſydiæ,

℞. pſydiæ, balauſt. conchillæ marinæ aduſtæ, pulueris pilorum leporis vſtorum, thuris, maſtic. ſang. drac. telæ araneæ, terræ ſigil. ſing. ℨ. j. ß. miſceantur cum ichthyocolla & glutine fabrorum lignariorum diſſolutis aqua pluuiali chalybeata, fiat emplaſtrum.

℞. extremitatum roſ. ℥. ij. albumina ouorum ij. lapidis hæmat. ℨ. j. gypſi ℥. ß. fiat emplaſtrum. Denique quæcunque immoderatum menſium fluxum retinent, eadem & hæmorrhoides & præter medicamenta, omnia reuulſionum genera.

Raſis ad roborandum hepar, ipſius regioni admouet maſtichem, ſpicam, calamum aromaticū, cyperum, ſquinanthum, crocum & myrrham.

De ani fiſtula. CAP. XXX.

ANi vlcus fiſtuloſum, quod in carne eſt tantùm, ea methodo qua antea de fiſtula diximus curandum: nam præſcripta victus ratione tenui & laudata & medicamentis purgantibus potiſſimum per ſuperiora, ſi neceſſarium videtur, atque etiam venæ ſectione, orificium vlceris eſt dilatandum, ſubſtantia calloſa abſumenda.

Quando verò in inteſtinum penetrat, digitus oleo roſaceo illitus in anum immittendus, ac ſimul falceolus, qui fiſtulam incidat: eóque digito in anum immiſſo ita ducatur falceolus vt non erret in calloſam ſubſtantiam incidendo, venas hęmorrhoidas etiam ſimul incidat, inciſio autem magis mihi probatur, quàm calli detractio, quæ fit ligatura. Poſt inciſionem admoueatur albu-

men oui cum puluere reſtrictorio: deinde digeſtiuum ex tereb. & oleo. Animaduertendum verò ne callus in inteſtinum vltra iiij. digitorum longitudinem penetret: alioqui curatione tantùm fucata erit vtendum, vel cùm ad veſicam, vel os ſacrum peruenit, vltra ſphyncterem progrediens: ſiquidem incideretur ſphyncter, atque ſequeretur inuoluntaria fæcium excretio. Tunc itaque vino decoctionis tapſi barbati quotidie bis fouebitur, ipſumque decoctum intrò iniicietur.

De fiſſuris ani aliarumque partium.

CAPVT. XXXI.

Fiſſuræ quacunque ſint in parte, oblinendæ ſunt oleo de vitellis ouornm, vel de ſemine lini cum mellis tertia parte. vel,

℞. mel roſ. col. olei roſ. ſing. ℥.j. ceræ citrinę ℥.ß. myrrhæ & zinzib. ſingul. ℈.ij. litharg ℈.iiij. fiat vnguentum, ante cuius applicationem fiſſura maleſiat ſaliua ægrotantis: prodeſt quoque manmillarum & labiorum fiſſuris, quod experientia me docuit. Vel foueatur decocto ex radice alth. & ſemine lini in vino & aqua. deinde,

℞. olei de ſemine lini ℥.j. ouum vnum litharg. ℥.ij. fiat vnguẽtum, quod lenit dolorem, ac mollit fiſſuræ duritiem.

℞. olei amygd. dulc. olei de pap. ſingul. ℥.j. vnguenti albi raſis cum caph. ℥.j.ß. aloës, myrrhæ, corticis thuris, aluminis ſingul. ʒ.j.ß. terræ ſigil. ʒ.j. albumina ouorum ij. miſce, fiat vnguentum, quod tum fiſſuris, tum vlceribus ani erit conueniens. vel,

℞. muc-

℞. muccac. ſeminis lini extractæ in aqua maluarum ℥.i. butyri recentis, nucum cupreſſi, ſeminis lini ſing. ℥.ß. ceræ quantum ſufficit, fiat ceratum. Oleum quoque lini ſolùm, aut oleum nucum applicatum prodeſt.

De femorum, tibiarum & pedum vlceribus.

CAPVT XXXII.

EArum partium vlcera qualiacunque, aut cuiuſcunque ſunt ſpeciei, curantur methodis vniuerſalibus. Expetunt enim victus inſtitutionem, quandoque venæ ſectionem & cathartica medicamenta, prout exigunt tum corporis habitus, tum humorum qualitas, tum vlceris diſpoſitio ac ſpecies, de quibus conſule quæ de tumoribus curandis fuerunt explicata. In topicis maximè huiuſmodi partium natura eſt animaduertenda, in quas ob ſitum, corporis totius excrementa facilè delabuntur: id verò potiſſimum erit cohibendum, tum vniuerſalibus, tum topicis, tum ſitu conuenienti: æſtate ea erunt lauanda aqua plantaginis, in qua aliquid aluminis ſit eliquatum: vngenda quoque vnguento de minio: & ſi rotunda fuerint, cauterio in aliam figuram adducantur, ac perpetuò partes quieſcant.

LIBER QVARTVS

DE FRACTVRIS ET LVXATIONIBVS.

De fracturis. CAPVT. I.

FRACTIS aliquot partibus, ad earum curationem quatuor nobis ſcopis eſt opus. Primus, vt oſſis fracti partes in naturalem formã reducantur. Secundus, vt extrema oſſis fracti ad amuſſim coniuncta, ſic immota permaneant.

Tertius, vt os fractum ac reunitum poro ſeu callo agglutinetur. Quartus, vt accidentia quæ ſuperuenire ſolent cohibeantur, aut corrigantur.

Primum ſcopum aſſequemur, cùm os tranſuerſim eſt fractum, atque ſua ſede depulſum, ita vt alterum ſuper alterum efferatur, cùm depreſſum attollemus & ſublatum deprimemus, minimo quàm fieri poterit dolore. Ægro itaque pro rei exigentia debitè collocato, duobus miniſtris iubebimus, vt manus apponant fracturæ: quorum alter infernè ſurſum, alter verò supernè deorſum: vel alter à dextro in ſiniſtrum, alter in contrarium trahat. Si valentiori eſt opus intentione, ſeu extentione, funes ac veluti habenas ex linteo firmiſſimo parabimus: quibus fractum mem-

membrum circundabimus: altera parte ſuperiorem fracturæ regionem, altera lintei parte inferiorem firmiter ligantes: atque iis funibus alter miniſter vnam in partem, alter in contrariam, vt dictum eſt trahere conabitur. Cauendum tamen ab immoderata tenſione, præſertim in ſicciori-bus corporibus: ne vehementiores dolores, febres, conuulſiones, ac reſolutiones ſubſequantur. Cauendum quoque ne inter diſtendendum, aliquid oſſium extantium frangatur; quo fieret vt curationem difficilius aſſequereris. Vbi paulò longiùs membrum eſt extenſum, quàm naturaliter eſſe debet: ſenſim erit diſtenſio remittenda, ac manibus fracturæ admotis, oſſa in ſuas ſedes reducenda. Hoc autem indicio, oſſa rectè conſtituta cognoſces, ſi dolor remittatur, ceſſetque punctionis ſenſus. Alius oſſium reducendorum modus ab Hippocrate libro de fracturis traditur per gloſſocomium, veluti iudicis ſententia, tortores in quæſtione reos extendunt: hic tamen nobis eſt familiarior & facilior. In luxationibus verò in quibus maiore vi eſt opus, eo interdum vtimur.

Secundum ſcopum perficiemus, ſi oſſa coniuncta, vnitáque retinebimus, totum membrum vngentes oleo roſ. calenti, vel myrthino, vel maſtichino & aſpergentes puluerem maſtiches. poſtea,

℞. boli arm. terræ ſigil. farinæ volatilis ſingul. partes æquales: excipiantur albuminibus ouorum, ac ſtupis tenuibus & optimè pexis, oxycrato prius imbutis & expreſſis: quibus pannus

lineus etiam oxycrato imbutus ſuperponatur. Denique faſcia molli ſed firma, duobus initiis obuoluta & oxycrato imbuta fractura tertiò aut quartò circumuoluatur: poſtea altera faſciæ pars ſurſum, altera deorſum ducatur & iterum in partem ſuperiorem reducatur. Oportet itaque eam partem eſſe multò longiorem ea faſciæ parte, quæ ſurſum membrum inuolueret. Faſciarum autem & longitudinem & latitudinem metiemur, pro fracturæ ac membri magnitudine. Sed interea prouidendum, ne nimis arcta, nimiſque laxa ſit ligatura. Nam arctior dolorem & inflammationem excitat, alimentum ac vitalem ſpiritum communicari prohibet: excrementorum euaporationem impedit, laxior verò oſſa inter ſe coniuncta non ſatis retinet. Tamen in loco fracturæ arctior debet eſſe ligatura, quod eo cognoſcemus, tum tactu noſtro, tum ægrotantis ſenſu. Poſt ligaturam ferulæ ſunt circumponendæ, etiam initio: (tametſi nec Hip. nec alij veteres eas admoueant ante diem ſeptimum) eas autem circumponimus initio, non vt conſtringant, alioqui & dolorem & tumorem accerſerent: aut præſentem exacerbarent, ſed vt adaptationem membri contineant: oſſaque ſedibus ac locis ſuis reſtituta, vtrinque fulciant. Principio itaque non ſunt arctius vinciendæ ferulæ, ſed expectandum donec à dolore & inflammatione tutus ſit ægrotus: tuncque erunt arctiùs vinciendæ. Sint verò ferulæ leues & planè æquabiles, ex tenui ligno, vel charta papyracea, vel corio. Quidam ferularum loco arborum corticibus vtuntur,

tuntur, ſed non ſatis oſſa ſtabiliunt. Quod ſi ob membri inæqualitatem ferulæ non poſſint accommodari, partes magis concauæ ſunt ſpleniis implendæ & ferulæ ſtupa aut lana inuolutæ in orbem, non minore quàm vnius digiti ſpatio inter ſeſe diſtantes, fracturæ ſunt accommodandæ, ac vinciendæ: vt ſedibus ſuis non dimoueantur: cauendumq́ue ne articulus aliquis & præcipuè flexus interior ab iis attingatur. Obſeruandum quoque ſi dolor vel phlegmone adeſt, neque eam deligaturam neq; ferulas applicandas, ſed membrum ſtupis oleo vel albuminibus, vel ambobus imbutis contegendum, ſatiſque erit, vt ligatura paululum membrum fulciat & medicamēta huic ſymptomati idonea contineat. Porro vbi rectè membrum ligaueris, de appoſita figura eſt prouidendum. Ea autem eſt conueniens, quę maximè abeſt à dolore: quæque naturalis & conſueta & in qua diutiùs æger conſiſtere valeat.

Rectiſſimam figuram vocat Galenus, quæ venas, arterias & muſculos rectiſſimos habet. Figura angularis, brachio eſt rectiſſima. Ad membri itaque ligati conſeruationem quidam panno lineo ſuunt arctiſſimè ſtramen, inſtar puluilli & membrum in medio ſtatuunt & ligant: alij capſulam eodem vſu parant: Quando verò nec pruritus, nec dolor, nec phlegmone, nec vlcus, nec aliud ſymptoma adeſt, recteque fractura eſt reſtituta, debent & ligamenta & ferulæ in diem quintumdecimum ſic permanere, fouendo interim membrum in circuitu oleo myrtino & maſtichino. Proderit quoque vngere partem

ſuperiorem membri defenſiuo noſtro, ſaltem primis diebus Exactis diebus quindecim faſcias reſoluemus: partem vino decoctionis abſynthij & roſ. cum ſale fouebimus & rurſum medicamentis iam dictis vtemur aliis vij. diebus: Deinde poſtquam locum, vt dictum eſt, fouerimus, vtemur emplaſtro quod oxycroceum appellant.

Quod ſi aliquod ſymptoma ſuperuenerit, vel fracturam non rectè procedere arbitrabimur: tertio quoque die Hippocrat. reſoluere faſcias iubet, atque ſymptomati occurrere.

Tertius ſcopus ad calli generationem pertinet: quem victus ratione abſoluemus, paululum quàm in principio pleniore: vtatur verò cibis boni ſucci & qui multum nutriant (niſi vulnus adſit) & qui ſuccos craſſos & tenaces gignant: tales enim ſunt poro efficiendo idonei. Proſunt itaque oriza, triticum eodem quo oriza modo paratum, extrema & inteſtina animalium, præſertim hœdi & veruecis. Initiò autem victus debet eſſe tenuis: Nam vino & carnibus in diem decimum eſt illi abſtinendum, quo callus incipit generari. Cùm fractura eſt in partibus inferioribus, raró aluum mouemus, nec per clyſteres, nec per cathartica: ſed interdum venam ſecamus ad defluxionem cohibendam. Callum plus iuſto minorem adaugebit perfuſio moderata aquæ modicè calentis & emplaſtrum ex pice, ac frictiones: hæc enim alimentum in partem affectam attrahunt. Quæ verò digerendi vim obtinent medicamenta, ea callos recentes iam effectos maiores ex Galeni ſententia minuunt, veluti

luti lamina plumbea ſuperpoſita & arctè ligata & fricatio immodica, aut quæ fit ex oleo & ſale ac nitro, aut fotus multus ex aqua calenti, & vomitus, ac tenuis victus.

Quartus ſcopus eſt in correctione accidentium: inter quæ poteſt numerari iam dictum: accidit quoque interdum cum fractura vulnus in carne: in quo diligenter conſiderandum, num ſint aliqua oſſium fragmenta, quæ pungant, ea enim eſſent ſtatim initiò eximenda & reliqua vt in vulnere contuſo perficienda. Hippocrates fracturam cum vulnere eodem modo curat, atque eam quæ eſt ſine vulnere: niſi quòd laxiorem efficit ligaturam in loco vulneris quàm ſi vulnus non adeſſet: Plures etiam faſcias applicat: quoniam laxiorem efficit ligaturam: tardius verò ferulis vtitur, ac victum tenuiorem præſcribit. Si phlegmone oriatur, præſidiis ad eam rem efficacibus, vt in tumoribus diximus, vtendum. Si magna carnis contuſio extiterit, ob quam impendeat gangrænæ periculum: partem affectam ſcarificato: at ſi gangræna iam occupauerit, ad caput de gangræna recurrito. Ligatura ex Hippocratis ſententia eadem non erit, quæ in fractura abſque vlcere: ſed nos faſciam ab vtraque vlceris parte obliquè in longitudinem collocabimus ad ſimilitudinem græcæ literæ x. vt remaneat vlceris locus apertus, eique mederi poſſumus, faſcias non reſoluendo. Si ſuperuenerit pruritus, vel puſtulæ, aut membrum liueſcat, ob ligaturam arctiorem, vel ſanguinem concretum, admoueatur ſequens vnguentum, quod roborat: inflamma-

tionem, & dolorem prohibet.

℞. boli arm. terræ ſigil. ſing. ℥. ß. lapidis calaminaris, ceruſæ, litharg. ſing. ʒ. j. ſantali albi & rub. ſing ʒ j. olei roſ. vel viol. ℥ iij. ceræ ℥ j. ß. caph. ʒ. j. fiat vnguentum: huic rei etiam prodeſt ceratum ſantalinum. Si pruritus augeatur ligatura eſt diſſoluenda: parſque aqua, aceto & ſale fouenda: poſtea vnguentum præſcriptum, vel vnguentum album, vel pomphol. vel nutritum eſt applicandum. Cùm tumor ob cacochymiam ſuccedet, vel cachexiam partis, ſequentibus vtendum.

℞. farinæ cicerum ℥. j. balauſt. acaciæ, licij, aloës ſing. ʒ. ij. bdellij in aceto diſſoluti ʒ. iij. olei chamæm. myrt. ſing. quantum ſuff. albumen oui i. miſce, ac fiat linimentum, vel forma pultis.

Quando membrum indecentem habet figuram, eſtque callus frangendus.

℞. foliorum cicutæ m. iiij. fiat decoctio qua foueatur pars & folia terantur cum axungia ſuilla vel gall. fiatque cataplaſ. quod applicetur poſt fotum, hoc enim porum iam genitum mirum in modum emollit: adeo vt intra nouem dies facilè frangi poſſit, ac commodè reſtitui membrum. In fine confert pannus lineus ſequenti medicamento imbutus, quem ſpanadrap appellant.

℞. thuris, maſtic. farinę volatilis, boli arm. ſing. ℥ ij. ceræ & ſebi arietini ſing. ℔. ß. reſinæ ℥. ß. olei ro. ʒ. j. liqueſiant cera & reſina cum ſebo & oleo, & iis eductis ab igni pulueres iniciantur, & fiat emplaſtrum: Vel panni immergantur & fiat quod vocant ſpanadrap.

Porum quoque molliunt decocto capitis, pedum

pedum & inteſtinorum veruecis, corticis medii vlmi, radicis altheæ, cum farina ſeminis lini, fœnug. chamæm. melil. quæ coquantur in vino & aqua, cuius fumum membrũ recipiat panno coopertum: deinde foueatur eo decocto, & applicetur aliquot ex ſequentib. vnguent. vel emplaſt.

℞. vnguenti dialth. & agrippæ ſingul. ℥.i. olei chamæm. de lilio & amygd. dulc. ſingul. ℥ ß. olei laurini ℥.i. pingued. gall. medullæ cruris vituli & vaccæ, œſypi ſing. ℥. ß. muccag. ſeminis lini, & fœnug. ſingul. ℥.i. ceræ quantum ſuff. fiat vnguentum. vel,

℞. radicis alth. ℔.i. ireos & ſcyllæ, ſing. ℥. ii. iuæ art. herbę paral. cynog ſing m̃. i. coquantur, terantur, exprimantur & col adde ping. gall. & anſeris ſingul. ℥. ii. butyri recentis ℥. i. ß. axung. ſuil ℥. i. amurcæ olei irini, & de lilio ſing. ℥ ii. ceræ, tereb. gummi hederæ, galb. ſingul. ℥ ß. coloph. reſinæ, ſing. ℥. i. fiat vnguentum. vel,

℞. olei laurini, maſtichini & muſtellini ſing. quart. i. olei irini, vulp. & tereb. ſing. ℥. i. axung. aſinin. vel vitulinæ, taxi, cerui, vel ſuis ſing. ℥. ß. aliptæ & gallæ muſc. ſtyracis vtriuſque, bdellij, ſarcoc. œſypi ſing. ℥. ß. ammoniaci, in aceto diſſoluti ℥. j fiat vnguentum. Alij vulpem in vino perfectè coquunt, carnes terunt, exprimunt & ſuccum cum vino iterum coquunt ad mellis craſſitiem & ℔. j. addunt maſt. caſtor. bdellij, & myrrhæ, bacchatum lauri ſing ℥. ß. euphorb. ℥ j. & vnguentum conficiunt. aliud,

℞. muccag. alth. ſeminis lini, fœnug. & pſyll. extractæ in ſucco, braſſicæ, ℔. ß. myrr. maſt. ſing.

℥.ß. furfuris trit. & fab. ſingul. ℥. j. olei chamæm. quantum ſuff. fiat catapl. Poſtremò confert ſuffitus, ex aceto in lapides murales, ac candentes iniecto, quemadmodum in ſcirrho ex Galeni ſententia, maximè quando durities eſt antiqua.

De luxationibus. CAP. II.

LVxationum curandarum methodus, tot atque eoſdem ſcopos expetit cum fracturis.

Primus eſt, vt luxatus articulus in proprium locum, naturalemque ſedem reducatur.

Secundò vt articulus ſuo iam loco reſtitutus, in eodē perſiſtat: neque deinceps ſede excidat.

Tertius, vt affectum articulum omnibus modis à dolore ac inflammatione vindicemus.

Quartus eſt, vt reliquorum accidentium aduentum prohibeamus: vel ſi superuenerint, corrigamus. Primum ſcopum conſequemur, ſi membrum luxatum extenderimus: atque quod os ſuo loco excidit, ab ea parte in quam prolapſum eſt, in contrariam impulerimus & in ſuum ſinum reduxerimus. Non eſt autem in omnibus vna & eadem extendendi ratio: ſed alia atque alia pro natura luxatæ partis & neruorum, tendonum & oſſium diſpoſitione, ac ſitu & articulatione. Modò enim ſolis manibus, modò iniectis funibus, vt de fracturis diximus: modò quibuſdam machinamentis (quale eſt gloſſocomium) vtimur. Secundum ſcopum perficiemus roborando ac confirmando membrum luxatum, vnctione ex oleo roſ. myrtino vel maſtichino, ac poſtea

poſtea pannus lineus roſaceo delibutus applicabitur, deinde ſtupæ lenes ac panni ouorum candido & puluere aſtringentium imbuti admouebuntur: poſtremò faſciis poſca madidis pro particulæ magnitudine longis latiſque vtemur: Quinetiam ferulæ ex corio vel denia papyro applicabuntur. Ita tamen vt arctior non ſit ligatura, ne dolor aut phlegmone accerſatur. Quibus omnibus certo ordine, certaque methodo peractis, membrum debitè collocatum in ſeptimum vel decimum diem, niſi ſymptoma ſuperuenerit, ſic relinquetur. Cùm ſecundo, ægroto medeberis, aqua calenti membrum fouebis, tum ad dolorem (ſi quis adſit) demulcendum, tum quod in laborante particula coniunctum eſt diſcutiendum. Vbi ita membrum fouerimus, mox ei emplaſtrum admouebimus ex puluere aſtringente & ouorum albuminibus, poſtea membrum arctius ligabimus. Tertium ſcopum perficiemus, ſi humoris in partem affectam influxum modis omnibus prohibuerimus: Si enim fluxio ſuperuenerit, ſtatim dolorem ſentiet ac phlegmonem experietur: quæ tum in luxationibus tum in fracturis maximè vitanda ſunt. Hæc autem vitabimus, ſi roborantia & repellentia parti admouerimus: ac initiò tenuem frigidamque victus rationem præſcripſerimus, venam que ſi vrgeat neceſſitas ſecuerimus, & aluum, niſi liberè fluat, ſubduxerimus. Obſeruandum tamen ſi antequam curationem auſpiceris, pars luxata iam dolore aut phlegmone infeſtetur, non prius in locum ſuum reducenda, quàm dolor ceſſauerit,

& phelegmone conquieuerit: Proinde quidquid ſuo loco motum eſt, ante phlegmonem eſt reponendum ex Hippocr. ſententia. Porrò ſedato dolore & finita omnino phlegmone pleniore victu laborans refici poteſt, cibiſque boni ſucci, ac moderato vini vſu. Sub finem verò curationis, ſi res ex animi ſententia ceſſerit, luxatum membrum perfuſione decocti roſ abſynthii & muſci arboris quercini roborabis. Peracto fotu oxycroceum imponi poteſt, ac membrum ad ſuos vſus ſenſim, ac leniter æger poterit promouere. Quartus ſcopus docet qua ratione dolorem demulcebimus & phlegmonem moderabimur. Ad dolorem leniendum admouebimus lanam ſuccidam, aqua, oleo & aceto calentibus aut tepidis imbutam. Ad phlegmonem cerata refrigerantia & quæ de phlegmonis curatione dicta ſunt, prohibendam, iuuabunt. Cæterùm ſi luxatis oſſibus vulnus quoque acceſſit, multa diligentia & prouidentia eſt opus: dum enim hæc reponuntur, ingens periculum, nonnunquam etiam mortem afferunt. Nam cùm ex diſtentione adiacentes nerui & muſculi facilè inflammantur, dolores acerbi, conuulſiones magnæ, ac febres acutæ oboriuntur, præſertim in magnis articulis. Quanto enim principibus membris luxati cum vulnere articuli viciniores ſunt, tanto maior timor eſt de accidentium huiuſmodi aduentu. Itaque ex Hippocratis ſententia nihil tutò reponi poteſt, præter digitos, plantas & manus: atque in iis quoque prudenter eſſe agẽdum admonet: nec quicquam

quàm temerariè aut præcipitanter. Ergo vt rem in ſummam colligam, luxatos articulos ſtatim inter initia dum pars adhuc phlegmone vacat, reducere oportet in ſuum naturalem locum: prolapſum verò cùm vulnere articulum mediocri intentione (validam enim citra periculum perferre non poteſt) reponere tentabimus. Quod ſi iuxta animi inſtitutum euenerit: tantùm danda erit opera vt phlegmone non ſuperueniat. Si verò phegmone aut conuulſio aut aliud oriatur, oſſibus iam in ſuam ſedem reſtitutis: rurſus ea (modò ſine vlla vi fieri poſſit) ſuis locis propulſabimus. Si autem id ſine vi fieri non poſſit, ſatiùs fuerit cùm luxata ſunt membra maiora, luxationis reſtitutionem differre, donec inflammationis aliarumque ſymptomatum periculum tranſierit. Cumque iam non expectatur phlegmone, aut iam ipſa conquieuerit, id autem fit ferè poſt ſeptimum vel nonum diem, præfati periculum apud neceſſarios ægrotantis conabimur minima cum violentia oſſa in ſuas compellere ſedes. Vlceris verò curatio eadem erit, atque dictum eſt, capite de fractura. Cæterùm ſi luxatio cum fractura, ſine tamen vulnere acciderit, communi ratione membrum eſt extendendum, ac manibus confirmandum, vt in ſimplicibus fracturis diximus: ac primùm luxatio, ſi fieri poteſt: deinde fractura erit curanda. At ſi ante fracturæ curationem luxatio reſtitui minimè poſſit: fracturæ curationem primùm aggrediemur: deinde cùm callus in fractura iam fuerit obfirmatus: luxationis

curam ſuſcipiemus. Quòd ſi ob temporis diuturnitatem inter oſſa luxata calloſa quædam durities contracta fuerit, decocto altheæ, maluæ & aliorum mollientium locus erit perfundendus: eáque peragenda, quæ à nobis capite de fracturis dicta fuerunt.

Arthritis à materia calida. Cap. III.

ARthritidis calidæ curatio his remediorum generibus perficitur. Primum eſt in victus ratione conuenienti, quæ incraſſet, refrigeret & bilis acrimoniam obtundat, vel ſit temperata: Aër ſerenus & temperatus, ne calidior augeat defluxionem, frigidior verò impingat materiem, Cibi euchymi & coctu faciles: hordeatum & auenatum proſunt ob vim deterſoriam: Panis furfuraceus laudetur: vino parcendum niſi in declinatione, ſit autem oligophorum & ſubrubellum: Somnus diurnus, coitus & animi pathemata fugienda: acetum vitandum tanquam partibus neruoſis inimicum, niſi ſit paſſulatum. Aluus ſemper liberè fluat.

Secundum remedium eſt in venæ ſectione, ſi materia eſt ſanguini permixta, idque in principio, alioqui venæ ſectio plus detrimenti, vtilitatis verò minus afferret. Secunda vena in brachio è directo cruris affecti, & ita in reliquis obſeruanda oppoſitio. Tertium eſt in humorum præparatione & purgatione: itaque materiæ feruor remittendus & acrimonia obtundenda, ac tenuitas incraſſanda, frigidis & incraſſantibus, atq; aſtrin-

aſtringentibus, ne materia tam facilè in locum affectum influat: ad quam rem proderunt ſyrupi roſ. viol. granatorum, cydoniorum, nymph. cum aquis roſ. plant. ſolani, acetoſæ & ſimilibus in dupla proportione ad ſyrupos, quibus erit vtendum donec ſignum coctionis in vrina appareat: humor purgabitur ſequenti potu.

℞. florum trium communium ſing. pug. j. liquir. & paſſularum mundat. ſing. ℥. ß. mirobal. citrin. ℥. j. ß. hermodact. ʒ. j. fiat decoctio & in quarto. j. col. diſſol. elect. de ſucco roſ. ʒ ij. elect. de caſſia. ʒ. vj. rhab. electi ℈. iiij. miſce & fiat potus, aut ſi malis, pilulas.

℞. pilul. de hermodact. minorum ℈. ij. ß. rhab. ℈. j. ſpicæ gran. iii. & cum ſyrupo granatorum fiant pilulæ vij. Parum tamen probandæ pilulæ cùm arthritis eſt à materia calida, nam pilulæ, humores calidiores efficiunt ac tenuiores atque ad fluxionem paratiores: Quod verò à practicis præſcribuntur pilulæ de hermod. minores cùm eſt materia calida, id etiam parum probandum, nam etſi hermodactyli articulis conferre dicuntur, materiam tamen quæ iam influxerit retrahere non poſſunt: ſed eſt topicis opus. Quartum remediorum genus eſt in vſu topicorum: itaque ſtatim venæ ſectione, vel poſt lene medicamentum laxans repellentibus anodynis vti decet (antè verò euacuationem tutum non eſſet.) Repellentia verò quæ loco affecto admouebuntur non valde refrigerent, oportet: nam quæ valde refrigerant humorem impingunt, & reſolutionem contumacem efficiunt: quemad-

modum calida humorum fundunt & ad defluxionem præparant & partes relaxando ad maiorem defluxionem recipiendam præparant: itaque initio vtemur oleis roſ. viol. ſuccis roſ. end. plan. ſolani, vel aquis earum herbarum, lenticula aquæ, ſumac, virga paſtoris ouorum albuminibus, farina ord. muccagine ſeminis pſyllij & cydoniorum, lacte muliebri, bolo armenio, terra ſigillata & ſimilibus. ex quibus variæ fient compoſitiones. liniemus locum oxyrhodino ſi materia profundior fuerit, vel oleo roſ. & vino ſi magis in ſuperficie, vel; miſcebimus oleum roſ. ouorum albumina & ſuccum ſolani vel eius aquam, ac diligenter agitabimus, vel vngemus vnguento roſ. vel pop. vel vtroque cum oui albumine & oleo de nymph. Vel cerato albo Galeni: Vel Cataplaſma admouebimus ex mica panis ſecalei lacte imbuta & cocta, additis vitellis oui, oleo roſ. vel nymph. & croco. Si dolor intolerabilis, adde opium. aut,

℞ opij & croci ſing. ʒ.j & cum tribus ouorum vitellis & oleo roſ. miſceantur & applicentur: aut catap. fiat ex ſemine vel foliis hyoſ. caulium, viol. maluarum, muccag. ſeminis pſyllij, vnguento pop. oleo nymph. vel pap. far. hord. & lacte mulieb Sed animaduertẽdum, cùm coacti fuerimus vti huiuſmodi narcoticis & ſtupefacientibus, poſtea parteis eſſe fouendas calfacientibus: ſecus partes debiles effectas ob intemperiẽ frigidiorẽ perpetuò recipiendæ fluxioni obnoxias relinquemus. Ad eum verò finem proderunt chamæ. melil. fœnug. origanum, ſatur. in vino auſtero cocta.

cta. Sequens etiam verè eſt anodynum.

℞. medullæ caſſiæ recenter extractæ ℥.j. olei roſ. ℥.iij. muccaginis ſeminis pſyllij extractæ, in aqua iuæ arthrit. ℥.j.ß. pulueris hermod. ʒ.ß. croci ʒ.ß. fiat forma catap. Deniq; quod influxit diſcutientia & reſoluentia poſtulat, ad quam rem proderit fotus ſuperior: cui addi poſſunt roſæ, abſynth. ſtæch. flores ſaluiæ & anthos & ſimilia, à mitioribus ſemper incipiendo, vt ab oleo chamæ. & anethino. Proderit ſtercus bubulum adhuc calens, farina fab. lentium, furfur. Coquentur autem herbæ diſcutientes ad fotum & miſcebuntur farinæ, olea chamæm. anethi, & pingued. gall. & anſeris ad catap. conficiendum. Vel lac caprinum cum ſulphuris exigua quantitate miſcebis in formam nutriti: quod dolorem leniet ac reſoluet. Poſſumus quoque aſtringentia diſcutientibus miſcere, ita vt horum vel illorum maior ſit quantitas pro diuerſis intentionibus, quemadmodum in tumoribus contra naturam dictum eſt.

Arthritis à pituita & bili.

Arthritidis mixtę curatio eoſdem habet curandi ſcopos, quos præcedens: Quorum primus eſt in victus inſtitutione. Sit autem omnib. in rebus victus tẽperatus habita humoris ratione vt ſi magis redundet pituita ei magis aduerſetur victus. Idem de bili ſentiẽdum. Semper autem & vinum & venus fugienda. Secundus ſcopus ad humorum tũ præparationẽ, tum purgationem ſpectat. Vnde initiò materia auertetur pillulis de her-

mod. minoribus de quibus dabuntur ℈.ij. cum rhab.℈.j.vomitus quoq; ſaluber ſi ad eum ſit propenſus ægrotus. Deinde materia coquenda mel. roſ.col.ſyrup.de hyſſopo, ſyr.de ſtæch.& ſimilib. cum aquis beton.ſaluiæ, abſynth.iuæ arthrit. primulæ veris & ſimilibus quibus etiam miſcebuntur, ea, quæ bili aduerſantur, eſt enim bilis, pituitæ vehiculum. Vt,

℞. mel.roſ.col.℥.ij.ſyr.de ſtæch ℥.j.ſyr.de roſis ſiccis ℥.ß.aquarū beton.abſynth.& acetoſæ, ſing. ℥.iij.miſce & fiat iulep.clarificetur, & aromatiſetur cum ſantali citrini & nucis moſc.ſing.ʒ.j.capiat in iij doſibus, & iteretur ſi opus fuerit: aut maiorem quātitatem capies ſyruporum & aquarum præparātium bilem iuxta humoris dominiū. Fugienda verò diuretica, niſi corpus iam purgatum fuerit, & neruis inimica vitanda, vt acetum & ſyrupi qui ex aceto fiunt, vt ſyrupus acetoſus, oxyſacchara, oxym.niſi exigua præſcribātur quātitate, & cum aliis miſceātur: tunc enim antequā vis aceti ad partes neruoſas peruenerit obtunditur, & interea humores viſcidi inciduntur & binoſi obtunduntur. Poſtea materia euacuāda valentibus medicamentis, vt pilulis hermod.maiorum & cocciis: quibus ſemper addes rhab.vel aliud cholagogum. Præſtat autē pilulis vti cum pituita eſt educenda, quàm potionibus: nam pilulæ diutiùs in vētriculo manent, à remotioribus partib attrahūt, & vt dictū eſt calfaciūt, incidunt, & tenuant. Poterit tamen decoctum parari ex iua arthrit.liquir. paſſul.floribus ſtæchad.& communibus, cartamo agar.polypodio, in quo diſſolues, cathol.

catholſ.diacart.& elect.de ſucco.roſ. Vel,

℞.ſennę,hermod.ſing.℥.j.turb.℥.ß.diap.ſolut. ℥.j. cinamomi ʒ ij. cum oxymel. ſcyllitico, vel ſyr.de ſtæch.fiat forma opiatæ; de qua ſumat ʒ. vj.in aurora nulla præcedente cœna. Si materiei euacuatio per purgationes fieri non poſſit: ſaltem fame & inedia humores abſumendi; ac frequentes clyſteres iniiciendi. Tertius ſcopus eſt ad topica referendus: Erunt autem anodyna & diſcutientia admouenda. Ex anodinis ſequens proderit,quod etiam diſcutit.

℞.micæ panis infuſæ in decoctione chamæm. abſynth.maioranæ,ac parum coctæ ℔.j.cui adde caſſiæ recenter extractæ ℥.j.oui vitellum vnum, olei chamæm. & myrt. ſing.℥.j.croci ℈.j.fiat catap. Poteſt etiam catap.parari ex far.fœnug.puluere melil.cum oleo chamæm,mel.& aceto. Aut ſtercus bubulũ cum oleo chamæ. & vulpino frixũ.Muccago etiam fœnug.extracta cum aqua & aceto,adiecto poſtea melle,multis probatur tanquam efficax remedium,ſi triduo hæreat. Vel,

℞.ſucci caulium,aceti acerrimi ſing.partes æquales,miſceantur cum farina ſeminis lini & fiat catap. Vel,

℞.far. hord.℥.iiij. hermod.℥.j.croci ʒ.j.vitellos duorum ouorum: & cum oleo roſ.fiat catap, quod dolorem lenit,ac reſoluit: Aut,

℞.viſci quo capiuntur aues ℥.ij.ſtyracis liquidæ,œſypi ſing.℥.j.ß.hord.pug.j.roſ.℥.j.miſce. Si iis non vincatur dolor ad ea quæ dicta ſunt de arthritide à materia calida confugiendũ.Demum humoris reliquiæ ſunt diſcutiẽdæ, moderatè ta-

mē ne tenui reſoluto craſſum maneat, & in ſcirrhoſam ſeu lapideam duritiem conuertatur. Ad eam rem cōferunt folia altheæ cocta & cum hordeacia far. trita & appoſita : Aut altheæ radix in aqua mulſa cocta & admota: Vel catap. ex eadem radice cum foliis & farina fœnug. & lini, ac floribus chamæ. melil. quibus adde olea chamæ. lil. vulpini, quibus etiam ſolis vti poſſumus.

Poſſunt quoque ea coqui in vino, & addi ſaluia, maiorana, roſmarinus, & fieri fotus & ſuffitus : commodè etiam addes rutam, betonicam, pulegium, calamintum, origanum, abſynthium, laurum, ſabinam, ebulum, puluerem èx ſtercore bubulo, vrinam pueri, oleum commune, acetum: & poſt fotum & ſuffitum, poteris ex magmate catap. componere. Aqua ſtillata ſaponis cypri in alembico vitreo optima cenſetur, vt & ſequens.

℞. ſaluiæ, rutæ, hyſſopi ſing. m̄. i. ſulph. & ſalis ſing. ℥. j. ß macerentur in octo ℔. vini optimi, diſtillentur & panni ea aqua imbuti ſæpe admoueantur, aut vnguentum paretur ex oleo irino, laurino, adipe ſuillo, butyro, medulla ceruina, galbano, tereb. & cera, cui miſcere poterimus altheam, fœnugr. & hyſſopum.

Cæterùm quoniam tophi ſeu nodi duri ſubinde in articulis remanent, vel ob humoris craſſitiem, vel ob immoderatum diſcutientium vſum: ad eos depellendos conferunt ea, quæ diximus de tumore lienis & ſub finem capitis præcedentis, maximè vnguentum de vulpe, & quæ præſcripſimus de ſcirrho. Proſunt etiam cataplaſmata ex rad. alth. & bryoniæ, ex foliis mal. brancæ vrſ.

vrticæ, abrotani, marrubij, coctis, & cum adipe ſuillo, caprino, anſerino & gummi ammoniaci, bdell.j, galb. opop. Vetuſtiſſimus etiam acerrimuſq; caſeus cum pedum ſuillorum & naſturtij decocto præpingui tritus & admotus. vel,

℞. ammon. bdellij diſſolutorum in oleo de lil. ſing. ℥ j. caſei antiquiſſimi & acerrimi ℥. j. ß. ſeminis naſturtij ℥. ß. miſceantur & fiat emplaſt.

Verùm antè illius vſum poterit vti emollientibus, quemadmodu fotu ex decocto mal. alth. ſeminis lini, fœnug. florum ſambuci, anthos, ſtæch. in vino rubro vel aqua. deinde,

℞. emplaſtri filij zach. diachyl. ireati ſingul. quart. i. axung. gall. anſeris, anatis & ſuis ſingul. ℥. j. ß. medul. cruris vituli & cerui ſing ℥. ii. pulueris hermod. ℥. i. fiat emplaſtrum conuenientis magnitudinis quod vi. aut vii. dies locis calloſis applicabitur poſt fotum. Deinde capiti fumum marchaſitæ ignitæ & cum aceto extinctæ applicabis ii. dies, & poſtremo emplaſtrum de caſeo. Præcautio verò ab arthritide multa quoque requirit. Primo quidem victus temperantiam, ac ſobrietatem, vtantur cibis euchymis, quique aduerſentur humori ex quo genita fuit arthritis. Nunquam vino vtantur niſi ventriculus ſit admodum imbecillus, tuncque vti poterunt vino ſubrubello & oligophoro: nunquam tamen bibant inter paſtus dum ſit concoctio. ne vinum ducat cibum ſemicoctum in ambitum corporis. Omnino dent operam vt ſint laudatæ concoctiones. Vitent venerem & immoderatam exercitationem partium affici ſolitarum: liberè ſem-

per excernantur excrementa: proderit ſequens puluis à paſtu.

℞.coriandri præparati ℥.v. diacydonit.ſine aromatibus ʒ.iij.cinamomi ʒ.ij.ß.macis ʒ.ß. pulueris roſatæ nouellæ ℥.j. ſacch. roſ. tabulati ad pondus omnium fiat puluis, quo vtatur à paſtu, nec ſuperbibat. Quia verò vix fieri poteſt quin aliqua in corpore materia gignatur arthritidi efficiendæ idonea, ea erit diligenter vacuanda, tum venæ ſectione, tum purgationibus. Proinde vere & autumno, ſi omnia conſenſerint, vena ſecanda & iiſdem temporibus ac crebriùs ſi videbitur corpus repurgandum. Vnde proderunt ſequentes pilulæ in vſu frequenti.

℞.agar.troc.ʒ.ij.aloës lotæ, rhab.elect.ſing.℥.j. myrobal.citrin.& cebul.ſingul.ʒ.ß.iuæ arthrit.& maſticis ſing.℈.ij.ß.fiat maſſa pilularum, de qua capiat treis pilul. magnas, ij. horis ante cœnam, bis in hebdomade. vel,

℞ pilularum de hyera. ſimpl.agar.troc.ſing.ʒ. ij.rhab.elect.℥.j.ß. tamarind & myrob. citrin.& cebul. ſingul ℈.ij. cum ſyrupo roſ.æſtate & cum ſyrupo de aceto, hyeme: formentur pilulæ vj. pro ℥. capiat tres, aut iiij. aut v. poſt primum ſomnum, idque frequenter. Præterea roborandæ partes principes: quam ad rem conferunt conſerua roſ. cortex citri conditus, myrobal. conditę, diarhod.abb. triaſant. diamarg. diamoſc. roſata nouella, aromaticum roſatum, conſerua acori, anthos & florum ſaluiæ, ex quibus parari poterunt opiatæ: in quibus omnibus ſemper animaduertendum quis humor magis in corpo-

corpore redundet, & quæ partes imbecilliores, vt magis confirmentur. Denique etiam partes externæ confirmandæ, vnde ex Oribaſio, Sal minutim in oleo tritus, ac articulis affrictus manè & veſperi toto vitæ ſpatio præſens eſt remedium, niſi præter modum ſicca intemperie ſint prædíti: Sal enim materiam incidit, tenuat, abſumit, ſiccat & aſtrictione partem roborat: oleum verò lenit, Balnea etiam, fotus & ſuffitus ex aſtringentibus & roborantibus proſunt.

De ſcabie, pſora & lepra. CAP. IV.

AFfectus huiuſcemodi cum ſint affines, eandem curandi methodum deſiderant, tantum ſiquidem diſcrimen eſt in ratione maioris & minoris.

Primò itaque victus ratio conueniens eſt præſcribenda, à cibis bilem atram, ſalſamve pituitam gignentibus abſtinẽdum: qui verò qualéſve ſint, de cancro & aliis tumoribus curandis diximus. Vtendum verò iis cibis qui facilè concoquuntur, & ſanguinem laudatum procreant. Vinum bibendum tenue & antiquum, ac oligophorum ſeu aquoſum, aut ſatis dilutum.

Secundò ſi plenitudinis affuerint indicia, vena cubiti, vel media vel baſilica eſt incidenda, tantumque ſanguinis educendum, quantum partim plenitudo expetit, partimque vires ſufferũt. Humores quoq; tum bilioſi, tũ atri, tum aduſti, tum ſalſi & præparandi & purgandi ſequentibus.

℞. tryphera perſicæ ℥.j. ſacch. quantum ſuff. fiat bolus, vel diſſoluatur in decocto paſſul. &

mercurialis & fiat potus.

℞. ſyrupi end. bugl. & fumariæ an ℥. j. ß. aquarum lupuli, cichorij & end. an. ℥. iij. pulueris triaſant. ʒ. ß. cinamomi ℥ j. fiat iulep. clarific. & aromat. pro iij. doſibus. vel,

℞. rad. lapathi acuti ℥. ij. rad. enulæ campanæ & cichorij an. ℥. j. ſcariolæ, fumar. lupuli, bugl. boraginis, acetoſæ, ſcabioſæ, an. m̄. herbarum capillarium, vtriuſque hepaticæ & mercurial. an. m̄. ij. paſſul. mundatarum, prunorum ſebeſten. an. par. xv. quatuor ſeminum frig. maiorum an. ʒ. iij. aniſi ℥. ij. ſeminis cuſcutæ, medullæ ſeminis cartami, ſennæ orient. ſummit. thym. an. ℥. ij. polypodij quercini ℥. iij. tamarind. electorũ ℥. j. ß. myrobal. citrin. confricatarum cum ſucco roſarum ʒ. iij. florum geniſtæ, bug. borag. ann. pug. j. florum violarum recen. pug. ij. fiat decoctio in libris ij. colaturæ, diſſolue ſyrupi de fumo terræ compoſiti ℥. vj. ſucci roſ. & mercurial. ann. ℥. ij. ſacch. qaantum ſufficit, fiat ſyrupus, cuius pars media coquatur perfectè in ſyrupum, ac de eo ſumentur ℥. iij. ſingulis hebdomadis poſt purgationem, cum decocto mercurial. hordei paſſul. & viol. Alteram partem capiet tribus aut quatuor diebus hora matutina: poſtea purgabitur: vel vtatur ſequenti.

℞. fumar. borag. bugl. an. m̄. iij. cichorij & florũ viol. an. m̄. iiij. mercurial. m̄. ii. foliorum ſennæ orient. ℥. j. fiat decoctio ad ℔. ij. in col. diſſolue ſacc. albiſſimi ℥. iiij. triaſant. ℥. ij. fiat apozema clarific. & aromat. pro iiij. doſibus. vel,

℞. ſucci mercurial. ℔. ß. ſeri lectis tantundem, ſennæ

ſennæ orient. ℥.ß.ſacch.quod ſufficit, fiat ſyr.clarificatus & aromatiſatus, vt iam dictum eſt, capiat ℥.iiij.pro doſi. Quod ſi aluus ſatis ſubducta non fuerit, vtendum purgatione ſequenti.

℞. rhab.electi in aqua end. infuſi & expreſſi ʒ.j.ß. elect.diacart. & confect.hamec.an ʒ.iij.ſyrupi præordinati ℥ j miſce & fiat potus,qui manè ſumatur cum cuſtodia. vel,

℞. confect.hamec. ℥.ß.cathol.ʒ.vj. elect. de pſyllio ʒ.j.ß.ſacch.quantum ſufficit, fiat bolus, vel vtendum *pilulis* de fumo terræ. Deinde ad roborandas parteis principes, ad intemperiem corrigendam.

℞.conſeruæ florum cichorij & bug. ſing.℥.j. cõſeruæ roſ.℥ j.ß.pulueris diarhod.abbat.& triaſant.an.ʒ.ij.pulueris diatragac.frigidi & diapap. albi recenter diſpenſati ſing ℥ j ſyrupi capill.ven. quantum ſuff.fiat opiata,de qua capiat inſtar fabæ, & poſtea bibat aquæ cichorij modicum.

℞.vnguenti roſ.℥ ij.cerati ſantal.℥.iiij.olei roſ. & nymph. ſing.ʒ.j.ſpicæ nardi ℈.ij. fiat vnguentum,quo vngatur hepar tepidè,addendo parum vini albi, idque fiat dies aliquot poſt vſum balnei. vel,

℞. vnguenti roſ.℥.iij. ſeminis ſcariolæ, endiuiæ,plant. & portul.an ʒ.j.caphuræ ʒ.ß. ſantalorum ℥.j.coralli rub.boli arm.ſing.ʒ.ij.ceruſæ lotę in aqua roſ.& cichorij ℥ j.olei roſ.℥.iij.ceræ parum,fiat vnguentum quo vngatur, vt dictum eſt. Poſt vniuerſales purgationes vtendum balneo ſequenti,quod mollit,abſtergit & ſiccat.

℞.rad.& foliorũ lapathi acuti m̃.iij.rad.enulę

camp.℔.ß.rad.acori & brionię ſing.℔.j.mal.viol. ſcabioſæ, fumariæ,chelidon.ſaponariæ, calaminti,hederæ, ſing.m̄.ij.hordei integri, lupinorum, fab.lentium, ſing.℔.j.ß. furfuris ℔.j hellebori m̄. ii. coquantur in aqua pro balneo conficiendo: quod tribus matutinis ingredietur, in eóq; manebit quãtum poterit:deinde in lecto modicum ſudet. Deinde aliis tribus diebus addantur balneo ſalis communis ℔.ii.aut iii. & aluminis ℔.i. vitreoli quart.i. ac ſimiliter balneum ingrediatur:ſed neque in balneo,neque in lecto tunc ſudabit. Priuſquam tamen balneum ingrediatur vngendus eſt vnguento ſequenti.

℞.ſucci lapathi acuti & enulæ campanæ ſing. ℥.iii.ſucci calaminti, fumariæ,chelidon.ſing.℥.ii. ſucci limonum vel omphacii. ℥.iiii.tereb. ℥.iii.litharg.℥.iii.ceruſæ lotæ ℥.i.tuthiæ ℥ ß. ſalis communis ℥.ii.ſulp.viui ℥.i.ß. hellebori ℥.i. mercur. ℥.ii.olei roſ.& myr.ſing.℥.ii.miſce & fiat in modum nutriti , quo vngatur ſerò & manè , balneum ingredietur, vt dictum eſt. vel,

℞ rad.enulæ camp. & lapathi acuti ſing.℥.ii. coquantur in aceto acerrimo,terantur, cribroq; traijciantur:adde ſulph. viui ℥.ii. ſalis communis torrefacti ℥ i.ß.ſucci limonum ℥.ii.vnguenti albi raſis,& vnguenti enulati cum argento viuo ann. ℥.iii. butyri parum vſti , olei de tartaro, & ceræ albæ quantum ſufficit, fiat linimentum , quo liniatur poſt vſum balnei.

Pro ſcabie puerorum.

℞.tereb.nouies vel decies lotæ ℥.iiii.butyri ℥. ii.ſalis ℥.j.ſucci citranguli quantum ſuff. vitellos duorum

duorum ouorum, olei roſ. ℥.j. fiat vnguentum. aut,

℞. axung. ſuillæ ℥.iiij. ſulphuris viui ℥.j. ſalis albi ℥.ß. terebinth. abietis in aqua roſ. lotæ ℥.j. albumina duorum ouorum, butyri recentis ʒ.j. muſci grana iij. miſce, & fiat vnguentum.

LIBER QVINTVS, DE MORBO VENEREO.

De lue venerea. CAP. I.

VENEREI affectus profligandi prima pars ad victus inſtitutionem eſt referenda: in qua aër debet eſſe temperatus, cibi euchymi, coctuque faciles, & qui humores nec craſſos & viſcidos, nec tenues & acres gignant. Altera pars in purgationibus conſiſtit: in quibus clyſter ex decoctione communi, caſſia & cathol. primum locum habebit: vel potionem ex caſſiæ ʒ.vj. cathol. ʒ.iij. rhab. in puluerem redacti ʒ.ß. cinamomi granis ij. aquæ bugl. ℥.iij. ſyrupi viol. vel roſ. ℥.j. dabis: aut bolum ex caſſia, cathol. & diaſenna offeres. Poſtea ſequenti die, ſi plenitudinis ſigna apparuerint, venam ſecabis, iecorariam quidem, ſi magis ſint affectæ partes inferiores, vel cephalicam, ſi

ſuperiores, vel mediam ſi omnes ex æquo partes
afficiantur. Sanguinis verò educendi quantitas
indicationem habebit à natura virium, ætatis, ac
morbi. Si tamen mulier afficiatur, vtile eſt, vena
malleoli ſecta, ciere menſes, ſi retineantur, quo
tempore fluere ſolebant. Deinde humores præ-
parandi: qui ſi bilioſi & tenues videantur, quales
ſunt in iis qui vlcera habent virulenta: exhibebis
ſyrupos de fumar. de lupulo, de bug. endiuiæ, viol.
cum aquis fumar. cichorij. end. borag. bug. ſolani
viol. vt tamen ſit aquarum ad ſyrupos proportio
dupla: quibus adde triaſant. vel diamarg. frig. ʒ. j.
ß. videbiſque num plus huius ſyrupi vel aquæ,
minus autem illius ſit miſcendum. Si verò pitui-
toſos, craſſóſque humores magis redundare puta-
ueris, ſitque affectus cum arthridite, aut tumori-
bus ſcirrhoſis coniunctus, tum proderunt mel
roſ. col. oxymel. ſimpl. ſyrup. de fumar. compoſi-
tus, ſyrupus conſeruationis, acori de ſtæchade,
oxymel. ſcyll. & aquæ beton. meliſ. hyſſopi, ſaluiæ,
primulæ veris, iuæ arthriticæ & ſimiles: addes au-
tem puluerem cinamomi, vel nucis moſc. vel dia-
rhod. abb. ad ℈ iiij. vel apozemate ſequenti hu-
mores præparabis.

℞. ligni ſancti & cort. eiuſdem in ℔. viiij. aquæ
infuſorum ſing. ʒ. iiij. coquantur ad medias: adde
rad. ruſci, graminis & aſparagi ſing. ʒ. j. rad. & fo-
liorum enulæ campanæ, bugl. borag. end. lupuli,
fumar. lapathi acuti, ſcabioſæ, adianti, polytrici,
roſtri porcini ſingul. m̄ j. liquiritiæ contuſæ ℥. vj.
medul. ſeminis cart. ſennæ orient. ſingul. ℥. j. ſe-
minis citri. cucurb. melonum ʒ. j. ſeminis aniſi

& fœnic.

& fœnic.ſingul.℥.j.paſſul.mundat. iuiubarum & ſebeſten. ſing.par.viij. trium florum cordialium ſingul.pug.j. fiat decoctio in aqua lupuli,vel fumar. cape de col.℔.ij. in quibus diſſolue ſacch. quantum ſuff. ſantali moſcat. & cinamomi ſing. ℥.j ß. fiat apozema clarific.& aromat.pro vj.doſibus. Quando humores ſunt heterogenei,& capitis atque articulorum doloribus æger infeſtatur:proderit ſequens.

℞. ligni ſancti & corticis eiuſdem ſicut dictum eſt infuſorum & coctorum ſingul.℥.iiij. rad.acori,galangæ craſſæ ſing.ʒ vj.rad.ruſci, graminis,aſparagi,filicis, enulæ camp.lapathi acuti cum foliis ſingul.℥.j.betonicæ,ſaluiæ,meliſſæ,galitrici, chamæd.chamep.primulæ veris,trifolij,fumariæ hepaticæ,end.bugl. quinque capill.ſingul. m̄.j. ſeminis melonum ℥.j. ſeminis aniſi & fœnic.ſingul.℥.ß.liquirit.contuſæ ℥.j ß.paſſul.mundat. ℥.ij. prunorum & ficuum ſingul. par viij. polypod. querc. & medullæ ſeminis cart. ſingul. ℥.ij. ſennæ orient.℥.j.ß.agarici troc.℥.ß. hermodact. ʒ.iij. colocynt. ℥.ij. hellebori nigri ℥.j.ß. myrobal. indarum & cebul. cum oleo amygd. dulc. confricatarum ſingul.ʒ.ij. thymi & epith. ſingul.ʒ.j.trium florum communium,ſtæchad.& florum geniſtæ ſing.pug.j. fiat decoctio in æquis partibus ſucci fumariæ & ſeri caprini : cape de col.℔.ij. in quibus diſſolue mel.roſ. & ſyrupi roſ. ſolutiui ſingul.℥iij.ſacch. quantum ſufficit, fiat apozema mediæ decoctionis , clarificetur & aromat. cum cinamomi & diarhod.abb.ſingul.ʒ.j. capiat bis in hebdomade, vel frequen-

tius ℥.iij. pro doſi. Poteris ex iis nonnulla detrahere & alia adiungere pro natura affectus. Et ſi ventriculi ſubuerſionem timeas, prætermittes helleborum & colocynt. Si mulier afficitur, non ſunt omittenda quæ vterum iuuant, vt ſunt matricaria, verbena, ſabina, ſyrupus de artemiſia, & de radicibus. Humores iam præparatos, ſic vacuabis.

℞. elect. de pſyllio, & de ſucco roſ. ſing. ℥ j.ß. cathol. & trypheræ perſicæ ſing. ʒ.iij. rhab. electi in ſero caprino infuſi ℈.iiij. cinamomi grana v. ſyrupi viol. ℥ j. aquarum lupuli & fumar. ſing ℥ j. ß. miſce, & fiat potio. vel,

℞. decoctionis communis (cui adde polypod. querc. & ſennæ ſing. ℥. ß. hermodact. ʒ.ij) quantum ſuff. in qua diſſolue cathol. ℥ vj. confect. hamec. & diaphen. ſing ʒ.ij. fiat potio.

℞. elect. indi maioris & diaphen. ſingul. ʒ.iij. diacart. ʒ ij. aquarum beton. & bug. ſing ℥.ij. ſyrupi roſ. ſolutiui ℥.j. miſce & fiat potio.

℞. conſeruæ rad. bug. & florum ſtæch. ſingul. ʒ.j ß. theriacæ veteris ℈.iiij. ſacchari modicum, fiat bolus: qui detur poſtridie medicinæ. Poſtea bibat aquarum bugl. & fumar. ſingul. ℥.j.ß. Loco potionis, hyberno præſertim tempore, purgari poterit humor pituitoſus pilulis de agar. cocciis, fœtidis, lucis, & de hermod. & arthriticis. Bilioſus autem, aureis, aggreg. aſſaieret, ſine quibus, de rhab. de quinque generibus myrobal. de fumar.

Tertia pars huius affectus curandi ad roborantia pertinet. Vtile etenim fuerit opiatam præſcribe-

ſcribere, qua manè & veſperi vtetur ad cerebrum, hepar & ventriculum roboranda. Fiet autem ex conſeruis radicis acori, elenii, florum ſaluiæ, anthos, cichorii, bugl. cortice citri condito, theriaca, diamarg. frig. elect. lætitiæ Galeni, diarhod. abbatis, triaſant. & ſimilibus. Proderunt quoque myrobal. conditę ſed diuitibus, ob ſumptum: Epithema etiam cordi applicabitur ex floribus communibus, meliſſa, corallo, ſantalis, ſemine citri & ocymi, diamarg. & ſimilibus.

Vſus aquæ philoſophicæ.

QVarta curandi pars eſt in vſu cuiuſdam aquæ, quam philoſophicam, vel theriacalem appellant, qua vtendum poſt vniuerſales purgationes, iuxta humoris peccantis naturam. Poterit ergo ſequens parari ad morbum profligandum.

℞. raſuræ ligni ſancti optimi ℔.ß. vini albi dulcedinis expertis ℔.ij. aquæ defæcatiſſimæ ℔.viij. aquarum fumar. cichorii. chamæm. ſing. ℔ i. polyp. querc. ℔ ß. macerentur ſimul horas xii. adde epith. ℥.ii. aſplenii ℥.vi. ſeminis iuniperi ℥.ii. corticis citri ℥.i. conſeruæ roſ. cichorii, bug. & borag. ſing. ℔. ß. conſeruæ enulæ campanæ & theriacæ veteris ſingu. quart. i. diſtillentur in diplomate: poſtea addes ſaccharum & cinamomum ad ſaporis ſuauitatem: dabiſque huiuſmodi aquæ ℥.iii. aut iiii. aut v. pro viribus ægrotantis, ac morbi magnitudine: nam ea ſua tenuitate humores tenuat, poros aperit, ſudo-

res mouet, ac recondita facultate huic morbo aduerſatur. Cui poteris addere conſeruam acori, iridem, aut alia quæ magis tuę intentioni accommoda videbuntur. Liberum quoque erit longè à cœna cùm ibit cubitum totidem vncias illius aquæ ſumere. Interea verò dum ea vtetur cubiculo non egredietur niſi à prandio, cœloque ſereno & aëre calido: victu vtetur tenui & exiccante, vinum bibet oligophorum : menſemq́ue integrum ita viuet cum huiuſmodi aqua, vel etiam diutiùs, pro virium & affectus magnitudine; cúmque aluus fuerit aſtricta, clyſtere molliente ſubducetur. Nonnulli in principio paſtus ℥.iij. huius aquæ exhibent cum tanta vini albi quantitate: nec eam veſperi propinant.

Qui vſus ligni indici. Cap. III.

SOlemus etiam poſt vniuerſales purgationes hunc morbum vſu ligni ſancti curare: ſic vero parabitur.

℞. ſcobis ligni indici ℔.j. corticis eiuſdem ℥.iiij. macerentur horas xxiiij. in ℔.x. aquæ puriſſimæ in fictili vitreato: coquantur ad medias prunis luculentis v. aut vj. horas & percolentur: poſtea quotidie in aurora illius aquæ dabis ℥.vj. & ægrum cooperies vt ſudores moueantur: moderatè tamen ne vis corporis diſſoluatur : ſubinde ſudor detergatur : corpus fricetur & caput : cibum non ſumat niſi horis vj. à potu exactis : eiuſdem aquæ totidem vncias offeres v. horis à cœna: ſudores tamen tunc non mouebis. Deinde in

de in idem lignum iam coctum aquæ ℔.xv.iniicies, & iterum coques ad tertias: ſub decoctionis finem addes liquirit. raſæ & contuſæ ℥.ß. paſſularum mūdatarum ℥.ij. abſoluta decoctione addes cinamomi ʒ.v. ad ſaporis iucunditatem: eóque decocto vtetur in paſtu. Nonnulli ſub finem primæ decoctionis addunt fumar. lupuli, borag. bugl. ſingul. m̄.j. Alij radicem cyclam. cardui benedicti & olibanum ad ℥ j. ſingulorum: alij rad. enulæ camp. in puluerem redactæ, mummiæ ſing. ℥.ß. carabæ ʒ.ij ß. pulueris hermodact. ʒ.ij. ſennæ oriental. ℥.ß. alij mediam partem vini albi: alij tres partes vini & vnam aquæ iniiciunt: quod profuturum putauerim corporibus pituitoſis ac robuſtis, atque cùm nerui ac tendines non afficiuntur: cùm verò corpora ſunt imbecilla, ſatius duxerim, magiſq́ue profuturum, ſi decoctio in ſola aqua fiat: imò cùm corpus imbecillum, bilioſum, aut ad tabem propenſum, ſæpe gaiaco vſum ipſum contabeſcit, inflammantur vrinæ, dolores augentur. Itaque cùm corpus eſt bilioſum, loco aquæ communis vtor aquis cichorij, bugl. viol. fumar. in decoctione, quarum vſu ſæpe ſum expertus rem fœlicius ſucceſſiſſe. Sunt quoque qui primo decocto adiiciunt helleborum, eſulam, colocynth. turbith. diagri. agar. rhab. quod præter rationem fieri videtur: illa ſiquidem humores naturamque exagitant, ac vires diſſoluunt: fiunt enim duæ euacuationes contrariæ: vna quidem ligni ſancti ad exteriora per ſudores: altera vero medicamentorum laxantium ad

interiora per alui deiectionem. Proinde illis ſum nunquam vſus, neque vti ſuaſerim. Alii decocto gaiaci nihil adiiciendum eſſe ſentiunt: ne aliorum mixtione vis ligni in prouocandis ſudoribus impediatur. Quod ſi aliquid miſcere placet, id partibus affectis ſit accommodatum, vt in hepatis obſtructione addantur capillares: vel quæ vim gaiaci adiuuent, veluti carduus benedictus. Aliqui ſequentes vſurpant decoctiones, veluti artis arcana quædam.

℞. ligni ſancti ℔.i. corticis eiuſdem ℔.ß. aquæ puriſſimæ ℔ x. macerentur, vt dictum eſt xxiv. horas, atque coquantur ad tertię partis conſumptionem. Prætere à rad. enulę camp. dactylorum ab oſſibus ſeparatorum ſingul. ℥.i.ß. ſennæ oriental ℥.i. macerentur in ℔.vi. vini albi horas 24 ſuper cineres calidos, ita vt propemodum vinum ferueat: deinde exprimantur & huic vino miſceatus præcedens decoct. poſtea adde ſacc. ℔.ß. cinamomi ℥.i. & exactis iiii. horas ab ea mixtione, traiiciantur per colatorium vini aromatitis, ac ſingulis matutinis capiat ℥.v. aut ſex & ante cœnam, vel cùm ſe in lectum recipiet, tantundem. Iterum in dictum lignum iniice aquæ ℔ xv. bulliant ad tertias: adde ſacchari & cinamomi quantum videbitur ad ſaporis gratiam. Animaduertendum verò non vnam eandemque decoctionem omnibus temperaturis eſſe parandam, ſed interdum valentiorem, interdum verò imbecilliorem, habita virium ac morbi & cæterarum rerum, tum naturalium, tum contra naturam, ratione. Idem quoque dicendum

dum de victus inſtitutione. Dum autem eo decocto vtetur, ita victus inſtituendus, vt conſuetudine in ciborum quantitate perſpecta primis quinque aut ſex diebus quarta pars detrahatur: aliis ſex, tertia: aliis ſex diebus media: deinde eodem ordine ad priſtinum viuendi modum reducatur. Vtatur carnibus euchymis & aſſis, ac ſale minimè condiantur: Nam ſal vt aiunt vim decocti impedit. in prima menſa offerantur aliquot pruna cum ſacchar. in poſtrema autem paſſulæ. Panem bis coctum comedet, cui, cùm flatus torquent, aut adeſt ventriculi imbecillitas, adiiciendum nonnihil aniſi & fœniculi, Sic verò viuendum tenuiter 30. vel 40. dies, pro viribus ægri ac morbi magnitudine. Nonnulli ſæpe ſolùm panem cum prunis & paſſulis offerunt. Quòd ſi, ob virium imbecillitatem, vinum in paſtu permittere cogaris, primi decocti vſum in ſex hebdomadas protrahes. Cùm verò aluus non fluet liberè, erit, vt dictum eſt, clyſtere ſubducenda, vel drachmæ aliquot ſennæ in decocto veſperi macerandæ & manè leni præcedente ebullitione & expreſſione offerendæ. Vel ſyrupus ſequens in vſum parandus, de quo ℥. iiij. cum decocti gaiaci ℥ ij. exhibebis, & illo die non moueantur ſudores.

℞. polypod j quercini recentis ℔. ß. foliorum mercurial. borag. fumar. iuæ arthriticæ ſingul. ṁ. j. paſſul. prunorum, ſebeſten. ſingul. par. xxx. aniſi ℥ j. tamarind. ℥. ij. ſennæ orient. ℔. ß florum viol. bugl. & borag. ſingul. pug. ij. fiat decoctio ad ℔. iiij. in col. diſſol. mel. roſ. col. & ſacch. ſingul. ℔. j.

ſyrupi roſ.ſolutiui & ſyrupi de fumo terræ compoſiti ſing. ℥ vj. fiat ſyrupus perfectè coctus, qui vſui ſeruetur, deque eo capiat bis vel ter in hebdomade, vt dictum eſt. Cæterùm cùm videamus decoctum gaiaci non ſufficere ad hunc affectum profligandum, quòd tenues humores abſumat: craſſos verò frequenter relinquat: poſt huiuſmodi decocti vſum, nos leuioribus ſolemus vti vnctionibus ex hydrargyro & aliis: quibus quod reliquum erat craſſorum humorum abſumitur, & partim per os, partimque per aluum & vrinas educitur. Tres verò vel quatuor tantum vnctiones efficimus, aliquo ex vnguentis infrà ſcriptis, à quo doſim mediam argenti viui ſubtrahimus, vt mitius, imbecilliúſque ſit vnguentum. Vtiliúſque exiſtimamus dierum tãtum triginta diætam præſcribere, ac poſtea ita vngere, quàm 40. dierum diætam ſine vnctionibus.

Quomodo vtendum radice china.

CAPVT IV.

ALia ratione curatur hic morbus, quæ non eſt præcedenti admodùm diſſimilis: fit autem decocto radicis chinarum quæ apio dicitur. Itaque poſt vniuerſales purgationes, præſcribimus victum tenuem, non tamen vſque adeò ſiccum atque cum decocto gaiaci; ſiquidem decoctum radicis chinarum vehementiùs ſiccat quàm gaiaci, quod ex ſiti facilè deprehenditur: ſic autem parabitur.

℞. radic. chinæ in tenues orbiculos ſectæ ℥. j. aut

aut ℥.j.ß. coquantur in x.℔. aquæ in vaſe terreo vitreato, ad medias: vas verò tam exactè cooperiatur, vt nihil exhalet: deinde coletur decoctum, ac ſuper cineres continuò calidum ſeruetur. Huius decocti dentur ℥ 8. vel 9. pro viribus ægrotantis, ac ſudet tres horas: ſudor diligenter abſtergatur, prandeat hora 9. vel 10. & rurſum hora tertia à meridie eandem decocti doſim ſumat: lectum ingrediatur & ſudet, cœnabit autem hora ſexta, ac frugalior erit cœna quàm prandium, loco vini ſecundo decocto vtetur: quod parabitur ſi inieceris aquę ℔.12. in fœces ſuperioris decocti, deinde coxeris ad tertias. Poteſt tertium & quartum fieri decoctum, ſi addideris radicis ʒ.ij. Si tamen vino abſtinere non poſſit, eo ſaltem decocto vinum diluatur. At huiuſmodi doſis, non eſt ſeruanda perpetuò, ſed vel augenda, vel minuenda pro virium & morbi magnitudine. Deberque decoctum huiuſmodi quotidie vel alternis diebus parari: nam facilè aceſcit, vireſque amittit, ſi diutius ſeruetur.

Vnguentorum adminiſtrandorum ratio.

CAPVT V.

QVinta pars huius affectus curandi, ad vnguenta ſudores mouentia eſt referenda: in quibus non ſunt ponenda quæ valenter ſiccant, niſi vlceribus laboret, quibus ſiccantia proſunt, ſed ſudores cohibent, qualia ſunt præcipitatum, tuth. litharg. ſed vſurpanda quæ molliunt, laxant & leniter diſcutiunt, vt adipes, medullæ, butyrum, olea liliorum, chamæm. anethi, amygd.

laurinum, lumbric. vnguentum reſump. dialth. & ſimilia cum argento viuo: quod frequentiſſimè ſum expertus, etiamſi abſque præparatione applicaretur, profuiſſe, modò eo rectè vtamur, hoc eſt iuſta quantitate atque totius corporis perſpecto temperamento & viribus ægri. Non improbo tamen illius præparationem ex aquis calfacientibus & tenuantibus: imò vero puto potiùs ita eſſe præparandum, quàm cum aceto. Quod verò nonnulli etiam doctiſſimi viri, illius vſum improbare conantur, multis modis quæ ex eius vſu ſequuntur incommoda demonſtrantes, ea certè humoris potiùs acrimoniæ, aut eorum qui vtuntur ignorantiæ tribuenda exiſtimo, quàm mercurio. Multa enim ſunt medicamenta, quæ plurimam nobis vtilitatem afferunt, ſi rectè illis vtamur, contrà verò iacturam maximam, mortemque immaturam veluti opium, papauer, & alia. Aliorum tamen rationes refellere, aut contrarias in medium proferre mei non eſt inſtituti: ſed affirmare auſim eos, qui tantoperè mercurij vſum improbant, aut nunquam aut non vt decet illius periculum feciſſe, ſed vt ſit, ego tamen confirmo illius vſum me nunquam fefelliſſe, qui quamplurimos ab hac deteſtanda lue, etiam inueterata, (quę hîc, ſi alibi vſquam eſt frequentiſſima) Dei beneficio, liberauerim. Vt autem ad rem veniamus, poſt vniuerſales purgationes, poterunt ſudores hoc pacto moueri.

℞. axung. ſuillę ℔. j. pingued. gall. butyri recen. ſing. ℥. j. olei chamæm. & lil. ſing. ℥. iiij. olei laurini & anethini. ſingul. ℥. ij. thur. maſt. myrrhæ ſingul.

gul.℥.ß. argenti viui ℥.v.tereb. lotæ in aqua vitæ ℥.iij.reſinæ pini ℥.iiij. miſce, fiat vnguentum: quod erit doloribus profuturum, ſi addas vnguentorum calidorum ℥.iij. aut plus minúſve pro doloris vehementia, & ſtyracidis liquidæ ℥.ß. Proderit quoque tophis & ſcirroſis tumorib. ſi addideris gummi, bdellij, ammoniaci, galbani, diſſolutorum in vino albo & aqua vitæ ſing.℥.j. pingued. anſeris, anatis & medul. cruris vituli ſing.℥.ij. Vlcera verò iuuabit augendo doſim puluerum, & addendo lithargyrum & ceruſam vel minium. Vt tamen rem dilatemus, explicemuſque magis perſpicuè, poterunt vnguenta ſequentia ſingulis affectibus particularia parari. Primò quidem in morbo cum puſtulis ſine articulorum dolore.

℞. radicum & foliorum enulæ camp. lapathi acuti, altheæ, maluæ, ſcabioſæ, fumar. lupuli, roſtri porcini, agrimon. bugl. viol. ſingul. m j. lentium, lupinorum & hordei parum contuſorum ſingul. pug.ij. hellebori nigri triti ℥.ij. ſulph. viui ℥.j. fiat decoctio pro balneo, quod ægrotus ingredietur veſperi, longè à cœna, poſtea in lecto ſudabit & dormiet: mane verò vngetur ſequenti linimento admodum vtili.

℞. rad. enulæ camp. & lil. alborum ſing.℥.j.ß. ſummitatum abſynthij, lupuli, fumar. ſcab. ſingul. m. ß. cicerum, lentium, hord. ſingul. pug.j. florum chamæm. melil. ſamb. ſingul. pug.j. fiat decoctio, cape de col. ℔.j.ß. adde olei ros.℥.ij. olei maſt. & laurini ſingul. ℥.iiij. butyri recen. ℥.v.

axung. ſuillæ ſalis expertis ℔. ß. bulliant omnia ſimul ad decocti conſumptionem, poſtea miſce thuris, maſt. myrrhæ ſing. ℥. j. ß. ſarcoc. & ceruſæ ſingul. ℥. j. aluminis ʒ. vj. litharg. ʒ. j. ß. tereb. ℥. iij. ſtyracis liquidæ ʒ. x. argenti viui in ſucco limonum extincti ℥. iij. vel plus minúſve pro ægrotantis viribus, agitentur diligenter in mortario marmoreo, fiatque linimentum. Si dolor ſine puſtulis articulos & caput maximè afficiat, vtendum ſequenti.

℞. axung. gall. anſeris & anatis ſing. ℥. j. medul. crur. vituli & bouis ſingul. ℥ j ß. axung. ſuill. ℔. j. hydrarg. in ea axungia extincti ℥. v. vel vj. vel vij. pro viribus ægri, thuris, maſt. baccarum lauri ſingul. ℥. ij. ſarcoc. myrrh. ſing. ʒ. j. ß. cinabrij ʒ. ij. euphor. ʒ. ß. reſinæ pini ℥. ij. ß. tereb. lotæ in aqua vitæ ℥. iij. ſublimati ʒ. j ß. olei lumbric. amurcæ, olei de lil. chamæm. & vulpini ſing. ℥. iij. agitentur in mortario marmoreo, addendo ſtyracis liquidæ ʒ. x. Si tophi in capite & vlcera magna cum carie oſſium, vel ſine carie, in diuerſis corporis partibus, ſicque ægrotus debilis, ſolæ corporis partes extremæ ſunt vngendæ & adenes, atque à ſuperiori linimento cinabrium, ſublimatum & euphorb. ſunt detrahenda: miſcere autem poteris aliquid vnguenti reſumptiui & agrippæ, ac aliorum calidorum, cum bdellio & ammoniaco. Cùm verò adeſt dolor articulorum cum tophis, hoc vtitor.

℞. rad. acori, enulæ camp. ireos, ebuli, alth. hermod. ſingul. ℥ j. beton. ſaluiæ. iuæ arthrit. ſing. m̄. j. florum hyperici, ſtæch. ſing. pug. j. coquantur in ℔.

in ℔.ii.vini & col.miſce axung. ſuillæ ſalis expertis ℔ j.axung. gal.anſeris,anatis,medul. cruris vituli ſing ℥.j. vnguenti agrippæ,martiati, dialth. ſingul.℥.j.ß.olei lumb.vulp.de lil.chamæm.anet. laur.maſtic. ſing.℥.j.ß thuris,maſt. ſing.℥.j.myrrhæ ℥.ß.baccarum lauri ℥.i.ß.euphor ʒ.ij. reſinæ pini in oleo lumb. liquefactæ ℥.iij. tereb.lotæ in vino albo ℥.ij. mercurij in aqua vitæ & ſaluiæ loti,exiccati, & axungia extincti ℥.vj. ſtyrac. liquidæ ℥.ß.fiat vnguentum. vel,

℞.axung.ſuil.℔ j.opop.galb.ſagap.bdel.diſſolutorum in aqua vitæ ſing ℥.j.reſinæ pini liquefactæ ℥.iiij.olei rut.℥.ij.olei lumb.de ſpica,chamæm. laur.ſingul.℥.iij.vnguenti dialth.℥.v.thur. maſt.myrrhæ ſingul.℥.j.euphorb.℥.ß.cinab. ʒ.iij. hermod.℥.ß.fiat linimentum.

Curatio per emplaſtra. CAP. VI.

AT qui vnctiones pati nolunt,poterunt vti cerato, vel emplaſtro Vigonij de ranis, quo poſt vniuerſales purgationes circumuoluentur omnes articuli,vel brachia & crura tota,& in lecto aut domi ſe continebunt. Quod ſi pruritus naſcatur, fouendus locus vino decoct. roſ. chamæm. melil. & ſimilium, deinde applicandum emplaſtrum. Vis autem eorum ſi nimium fuerit imbecilla, vnam aut alteram vnctionem iis adiunges.

Curatio per pilulas mercuriales. CAPVT VII.

NOnnulli poſt purgationem vniuerſalem ſequentibus pilulis affectum curant.

℞. rhab. ℥.x. ſcammon. ʒ.iij. terantur, ſuccum vel ſyrupum de limon. affundendo, argenti viui panno concluſi, vt granis minimis effluat ℥.ij.& ʒ.vj. extinguatur diligenter eodem ſucco, cumq́ue ſatis extinctum & mixtum fuerit, ſæpe de eodem ſucco vel ſyrupo affundendo adde farinæ triticeæ ℥.ii. moſci ℥.i. fiant pilul. v. pro ʒ. diligenter deauratæ: nam aurum Dioſcoridi, mirificè hydrar. noxam reprimit, ſumat quotidie vnam, vi. horis ante cibum, illiſq́ue triginta dies vtatur. Interea verò nullo alio vtatur medicamento nec cathartico, nec topico: ſed bis in hebdom. tantùm bibat aquæ fœnic. ℥.j. & aquæ vitæ ℥.ß

Alia curatio per potionem & vnguenta.

CAPVT VIII.

ALii affectum inueteratum præſcripta victus ratione, ac purgationibus ſequentibus, potione & vnctione curant.

℞. zinzib. nucis moſc. caryoph. pip. ſing. ℥.i. vini albi ℔.vi. macerentur horas xxiiii. & coquantur donec ad ℔.iiii. redeant: bibat ad nouem dies vel plures illius decocti ℥.iiii. pro doſi ſingulis matutinis.

℞. hydrar. ℥.iii. olei laur. iiii ℥. baccarum lauri ℥.ii. euphorb. aquæ ſaluiæ, & vitæ, modicum; vngantur extremæ partes corporis & ſpina dorſi proximè ignem manè & ante cœnam, poſtea ſudet. Eam autem curandi rationem in robuſtis, & pituitoſis non improbarim.

Vltima

Vltima curatio per ſuffitus.

CAPVT IX.

POſtrema curandi ratio in ſuffitibus conſiſtit, quę mihi parùm probatur: non enim poſſunt ſuffitus hunc morbum curare niſi vehementes fuerint, qui non poſſunt fieri ſine magno partium principum periculo, ac ſæpe inducunt ſyncopen ob ſpirituum reſolutionem, aut paralyſim, aut conuulſionem. Cùm tamen reliqua medicamenta non profuerint, illis tandem vti poterimus in ſequentem modum.

℞. cinabrij ℥. ß. thuris, maſtich. ſing. ℥. j. calami aromatici, zedoariæ ſing. ℥. iij. olibani, ſandaracæ veræ ſingul ʒ. ii. ceruſæ ℥. ß. excipiantur tereb. & fiant trochiſci pro ſuffitu.

℞. cort. thur. ʒ. ij. maſtich. gummi hederæ & iuniperi, ladani, hypociſt. ſing. ℥. ß. auripig. rubri vel citrini ʒ. iij. cinabrii ℥. i. excipiantur tereb. & fiant trochiſci. vel,

℞. cinab. ℥. ij. ladani ʒ. ij. cort. citri ſicci ℥. ß. ſublimati ℥ j. thur. maſt. ſtyracis calam. radicis dictamni veri ſing. ʒ. j. ß. cum debita theriacæ veteris quãtitate, fiant trochiſci ponderis ʒ. j. ß. qui viciſſim coniiciantur in carbones. Si verò fuerit fluxus humoris in pulmones, poterimus ſublimatum detrahere & illius loco auripigmentum miſcere. Solis illis ſuffitib. contenti erimus, vel poſt ſuffitum vngemus extremas partes imbecillo vnguento, quo vtendum eſſe diximus poſt vſum guaiaci, optimúmq; erit in vlceribus, quæ cacoëthe dicuntur. Si poſt vnctiones ſuffitu vti velimus ad abſumendas morbi reliquias, detra-

ctis cinabrio & auri pigmento, cardiaca miſcebimus, quæ vim incidendi, tenuandi, ac diſcutiendi habeant. Modus autem vtendi ſuffitu is eſto: Æger nudus collocabitur ſub conopæo in ſedili, oculis clauſis ne ſuffitus tenuitate lædantur & in vaſe ignis ex prunis luculentis, in quem conijcientur trochiſci ℨ.j. vel ℨ.j.ß. pro viribus ægrotantis & indicationibus varijs, ſi fumus valentior fuerit paululum caput educet, deinde reducet, ac ſi fieri poſſit moueatur ſudor, poſtea in lecto reclinetur æger, ac ſudet, fiatque ſuffitus manè ante cibum, vel ſi virtus imbecilla, ſumpto tantùm oui vitello & tantillo vini, vel ℥ ß diamarg. frig. vel modico cort. citri vnguenti. Vnguentis, vel emplaſtris, vel ſuffitibus erit vtendum, donec morbi materiam abſumptam putaueris, manè autem tantùm ieiuno ventriculo vnguentis vel ſuffitu vrêris, vel alternis tantùm diebus, ſi æger imbecillior. Quòd ſi natura tarda ad expellendum & robuſta fuerit in fine, bis in die ſine periculo vngere poteris, vnges verò partes extremas, & adenes, ac ſpinam, caueбiſque regionem partium principum, fiet autem vnctio proximè ignem, vel in lecto ſi æger imbecillior, non autem in thermis, vel hypocauſtis, Denique his notis materiam ſatis abſumptam deprehendes, dentes dolebunt, lingua intumeſcet, vlcera naſcentur in ore, ſaliua multa effluet, vlcera exiccabuntur, remittentur dolores, aderit laſſitudo ferè ad ſyncopem, diſtendentur nerui & aluus profluet, perſeuerandumque erit in vſu eorum medicamentorum, donec aliquid eorum ſubſequatur.

Quomo-

Quomodo occurrendum ſymptomatis.

CAPVT X.

SYmptomatum, alia præcedunt, vt ardor vrinæ, bubones, vlcera pudendi, quæ etiam ſine morbo venereo accidere videmus: alia ſequuntur vt puſtulæ, vlcera in toto corpore, alopecia: alia ſuperueniunt ex imperfecta curatione, vt dolores fixi, nodi cum carie oſſium, vlcera omnis generis, herpes, maraſmus, & alij morbi varij: alia ſuperueniunt inter curandum, vt oris inflammatio, cum vnguentis vtimur, aut ſuffitu, vlcera in ore excitantur ob recrementorum tranſitum, potiùs quàm vi vnguentorum, niſi quòd hæc vehementiùs humores educant, decoctum verò gaiaci vel chinæ ſenſim. Quod autem id potiùs humoribus quàm vnguentis ſit aſcribendum patet, nam multos videmus oris inflammatione laborare ante vſum vnguentorum.

Oris vlceratio.

Cui ſymptomati occurrimus ſi primis quatuor aut quinque diebus vtamur gargariſmate ex iure pulli cum ſacch. Vel decoctio hord. cum ſyrup. violaceo; ita vt ℔. decoctionis miſceantur ℥. v. ſyrupi, tutum enim non eſt primis diebus vti repellentibus, nec medicamentis aluum mouentibus, quemadmodum nec nimium detergentibus ob dolorem, qui ſi ſuperuenerit, linietur gargariſmate ex lacte bubulo, in quo chalybs candens extinctus fuerit, vel ex muccagine altheæ, lactucæ, ſeminis lini, cum decocto hordei. Quòd ſi affectus vehemens fuerit, impetus naturæ ſiſtendus eſt, tum clyſterib. acribus, tum

repellentibus gargariſmatis dictis de vuulæ inflammatione & oris vlceribus, emplaſtrum de maſtiche, vel contra rupturam collo & temporibus admouendum & capiti quæ ſiccant & roborant ſuffumigia dicta de vlceribus oris, ac vlcera contingenda aqua ſublimata. Cucurbitulæ ſcapulis affigendæ, manè caput fricandum, deinde brachia, denique crura, aut grana aliquot foliorum auri, per ſe, aut in ſuis iuſculis, tranſglutienda, aurum enim vt antè dictum eſt ex Dioſco. noxam hydrarg. corrigit, aut parentur ſequentia garg. ad dentes roborandos, gingiuarum inflammationem tollendam, vlcera oris tum detergenda tum glutinanda.

℞. piloſel. plant. ſummitatum oleæ, rubi, lentiſci ſing. m̄ j. liquir. ℥. j. hord. pug. j. fiat decoctio ad ℔. j. in qua diſſolue mel. roſ. vel ſyrupi roſ. vel nymph. pro affectus magnitudine ℥. iij. ſucci mali punici ℥ ij. fiat garg. vel,

℞ piloſel. plant. ſolani, caprifol. agrim. ſummitatum oleæ, rubi, mori, caudæ equinæ ſing. m̄. j. fol. & baccarum myrti ſingul. ℥. j. licij. ʒ. iij. nuces cupreſſi iij. lentium pug j. ß. fiat decoctio in aqua chalybeata in col. ℔ j. ß. diſſolue ſuccorum cydon. & roſ. ſing. ℥. ij. ß. mel. roſ. vel diamorum ℥. ij. aluminis ℥. ß. fiat garg.

Inteſtinorum eroſio.

Sæpe etiam accidit vt inteſtina ob humorum acrimoniam erodantur & excorientur, vnde tormina & dolores intolerabiles oriuntur, cui ſymptomati ſic occurrimus.

℞. hord. integri ℔. ß. mal. viol. ſing. m̄. ij. fiat decoctio,

coctio, & in ℔.j. diſſol. vitellos duorum ouorum, olei viol. ℥.iij. pingued. capræ ℥.ij. olei roſ. ℥.j.ß. fiat clyſter, qui calens iniiciatur, ne concreſcat pinguedo, ac diu agitetur & iterum atque iterum iniiciatur, ſi opus fuerit, hoc enim clyſtere bis iniecto, perpetuò ſymptoma profligaui.

Lipothymia.

Accidit etiam interdum lipothymia & vires nonnunquam adeo deiectæ, & proſtratæ, vt ſe mouere non poſſint, huic autem ſymptomati prouidebimus, ſi ægroto exhibuerimus iuſcula ex vitellis ouorum, vel ex carnib. pullorũ expreſſis cum cinamomo & nuce moſc. diamarg. frigidum, diamoſcum dulce, confectio Alkermes, & alia cardiaca etiam huic ſymptomati vtilia.

Ardoris vrinæ curatio.

Ardor vrinæ ſtatim profligabitur ſi fieri poſſit, nec audiendi qui dicunt profuturum eſſe, ſi diu perſeueret, quod eos continuo fluxu à lue venerea præſeruari putent, imò verò ſæpe viſum eſt eos in luem veneream prolabi propter venenũ, quod humoris acrimonia augetur, & partes principes conſcendit, vel in iis partibus generantur vlcera, quæ vix aut nunquam curantur. Proinde in aëre frigido & ſicco verſabitur ægrotus, vitabit omnia acria, ſalſa, flatulenta, vtetur vino tenui & oligophoro, vel aqua: in lecto plumeo non dormiet, à venere abſtinebit. Omnes animi affectus vehementes fugiet, corpus moderatè exercebit. Purgationibus vtetur pro humorum dominio, in quibus maximè vitanda diuretica, & medicamenta valentiora, quæ ſcammonium

recipiunt, niſi timeamus luem veneream, ſed potiùs refrigerantia & mollientia exhibenda. Itaque mal. cichorium, end. hord. ſemina frigid. liquir. paſſulæ, dactyli, myrob. citrin. & indæ, ſyrupus viol. & de nymph flores tres communes erunt ex vſu, & frequentes iniicientur clyſteres ex decocto maluæ & caſſia. Prodeſt rarò venæ ſectio (niſi adeſſet plethora) maximè cum eſt ſympto ma venerei morbi. Sed purgato corpore vtemur emulſionibus ſequentibus, vel ſimilibus.

℞. quatuor ſeminum frig. maiorum mundat. ſing. ʒ. ij. granorum pini & amygd. dulc. mundat. ſingu. ʒ. ß. aquarum portul. & plantag. ſingul. ℥. ij. aquæ roſ. ℥. j. decoctionis liquir. ℔ j. ſacch. albi & ſyrupi viol. ſingul. ℥. j. ß. fiat emulſio, qua vtatur manè & veſperi ante cœnam.

℞. emulſionis quatuor ſeminum frig. maiorum extractæ cum aqua hord. ℔ j. ſyrupi viol. & de iuiubis ſingul. ℥. iij. vtatur quotidie manè, ac iteretur.

℞. liquir. raſæ & paſſul. mundat. ſingul. ℥. ß. ſeminis lactucæ, pap. albi, hyoſc. aceroſæ ſingul. ʒ. j. ſeminis mal. biſmal. cucum. ſingul. ʒ. ß. fiat decoctio in aqua parietariæ ad quart. iij. in col. diſſolue ſyrupi de limon. & viol. ſing. ℥ j. diamarg frig. ʒ. ij miſce & vtatur vt antè. Poſſunt etiam ſemina frigida teri cum ſero lactis, & addi trochiſci alkekengi, ſacch. & ſyrupi dicti. Poſſunt etiam præſcribi ʒ. ij. tereb. venetæ lotæ in aqua end. donec acrimoniam dimiſerit, cum pulueris liquir. ʒ. iij. & rhab. ℈. ij. ex quibus formabuntur orbiculi ſumendi in pane azymo, deinde bibet aquæ

parie

parietariæ ℥.iij. Confert etiam vſus caſſiæ ſumptæ,horam ante prandium.

In topicis primò vtetur leniter detergentibus, veluti decocto hord.cum melle,vel ſyrupo viol. vel ſero lactis cum ſaccharo. Quòd ſi dolor adſit vehemens, vtetur muccaginibus ex ſemine mal. lactucæ,pſyllij lini,cidon.extractis cum aqua caprifolij : cuius ſuccus creditur vrinæ ardorem & gonorrhœam curare. Iniiciatur autem per catheterem ægro ſupinè exiſtente, vt facilius iniectio ad paraſtatas perueniat. Quod ſi opus fuerit maiore abſterſione, ſic fiat.

℞.aquæ.plant.& roſ.ſing.℥.iij.vnguenti ægyptiaci ʒ.j.ß. albumen vnius oui, diſſoluantur ſimul & fiat iniectio duobus diebus. Deinde vtatur ſiccantibus magis citra acrimoniam : quale eſt ſequens.

℞.aquæ plant.℥.iij.aquæ roſ.℥.j.troc.alborum raſis ʒ.j. diſſoluantur & fiat iniectio poſt deterſionem : poteſt addi emulſio ex ſeminibus frigidis extracta cum aqua roſ. Proderunt etiam troc. à Gordon. deſcripti, cap.de vlceribus veſicæ, & in lacte diſſoluti,vel in aqua aluminoſa ſuperiùs dicta. Dum verò hæc fiunt,regio renum & peritonæum ſunt vngenda cerato ſantal. vel infrigidante Galeni ex caphura,vel ſimili.

Bubo venereus.

Bubonis venerei curatio iam tradita eſt,quemadmodum vlcerum pudendi. Verùm quia vlcera omnis generis ſequuntur hunc morbum,præſcriptis vniuerſalibus, recurrendum erit ad ſingulorum vlcerum curationem iuxta eorum na-

tiram. Hoc autem ſummè notandum: nunquam vtendum vnctionibus vel decoctis, niſi vlcere priùs abſterſo. Præterea argentum viuum vnguentis & emplaſtris miſcendum.

Quomodo tophis medendum.

Tophi ſeu nodi curantur ad morbi curationem, ſi ſine oſſium carie fuerint, cum topicis ſequentib. quæ molliunt & ſenſim reſoluunt: itaq; curationem ſcirrhi ferè recipiunt, niſi quòd argentum viuum perpetuò addimus: ad tophos ergo & dolores præſcribitur fotus, vnguenta, cataplaſmata, cerata & emplaſtra, vt ſequitur.

℞. rad. acori ℥. ij. cyperi, calami arom. ſing. ℥. j. fol. beto. meliſ. primulæ veris, iuæ arthrit. ſing. m̄. j. fœnug. ℥. j. ß. florum vtriuſque ſtæch. anthos, ſambuci, chamæm. melil. ſing. pug. ij. coriandri ℥. j. fiat decoctio in aqua & vino albo, ac foueatur locus. vel,

℞. rad. ebuli, cucum. agreſt. enulæ camp. bryoniæ, cyclam. alth. ſing. ℥. iii. mal. viol. brancæ vrſ. matricar. ſing. m̄. j. florum chamæm. melil. ſambuci ſing. pug. j. caricarum pinguium par. v. fiat decoctio in vino albo & iure capitis & inteſtinorum ac pedum veruecis, & eo decocto foueto locum: deinde rad. & herbæ terantur, quibus adde ſeminis lini & fœnug. ſing. ℥. iij. axung. ſuillæ recentis ℥. vj. pingued. gall. anſeris, anatis & medull. cruris vituli ſing. ℥. ij. butyri recen. & œſypi ſingul. ℥. j. ſtyrac. liquidæ ʒ. x. fiat cataplaſma. Poſt vſum fotus, vel cataplaſm. proſunt ſequentia.

℞. litharg auri ℥. iiij. cerulæ ℥. ij. amurcæ olei de li-

de lilio, chamæm. ſambuc. irini & lumb. ſing. ℥. ij. olei antiqui ℥. iij. macerentur noctem, bulliant ad craſſitiem: poſtea adde bdellij & ammoniaci diſſolut. in aceto ſcyl. vel oleo ſeſamino ſing. ℥. j. ß. cumque ab igne ſubduces, adde argenti viui in axung. ſuilla extincti ℥. iiij. pulueris iridis, hermod. ariſtol. rotundæ, enulæ camp. ſing. ℥. ij. fiat maſſa. vel,

℞. maſſę emplaſtri filij Zachar. & diachyl. ireati ſing. ℥. j. emplaſtri de Vigo ℥. ij. ammon. in aceto ſcyll. diſſoluti ℥. j. vel ß. & cum oleo de lilio, fiat maſſa. vel,

℞. ammoniaci, bdellij, galbani in aceto ſcyl. diſſol. ſing. ℥. j. adde muccaginis ſeminis lini, fœnug. altheæ ſing. ℥. ß. litharg. ℥. ij. bulliant donec cerati conſiſtentiam habeant, ſemper agitando: poſtea miſce emplaſt. diachyl. ireati & de melil. ſing. ℥. ij. emplaſtri filij Zacharię, & apoſtolici chirurgici ſing. ℥. j. ß. olei laur. ℥. ij. euphor. ℥. ß. thur. maſt. ſingul. ʒ. iij. hermod. ʒ. j. tereb. lotæ in aqua vitæ ℥. ij. ß mercurij extincti ℔. ß. fiat maſſa emplaſtri. vel,

℞. rad. alth. & bryon. coctarum & piſtarum ſingul. ℥. j. axung. ſuillæ recen. ℥. j. ß. pingued. gal. anſeris & anatis ſing. ℥. ß. medul. cruris vituli ℥. ij. olei lumb. liliorum, & de vitel. ouorum ſingul. ℥. ß. ſtyracis, calamitæ ℥. j ß. gummi arab. ℥. ij. bdellij & gummi hederæ ſingul. ℥. j. ß. tereb. ℥. iij. œſypi ʒ. vj. emplaſtri de Vigo ℥. ij. emplaſtri de melil. & diachyl. ireati ſing. ℥. j. mercurij in ſaliua hominis ieiuni extincti ℥. ij. miſce & manibus lotis aqua vitæ, fiat emplaſtrum. Si autem

eorum medicamentorum vim augere velis, locus priùs erit vngendus, ſequenti linimento.

℞. axung. ſuiliæ ℥. vj. mercurij in ea extincti ℥. iiij. euphor. ſtaphyſagriæ ſingul. ℥ j ß. helleb. albi ℥. ß. ſacc. ℥. iij. ca. ʒ ij. olei de tereb. ℥. iij. fiat vnguentum, quo vngatur locus affectus ante vſum emplaſt. Quòd ſi iis tophus non cedat, indicium erit cariei in oſſe: tuncque nouacula erit vtendum, oſque radendum, vel applicandum cauterium; cuius vſum, vide cap. de vlcere cum oſſis corruptione.

Herpetis curatio.

Ex imperfecta curatione interdum accidunt herpetes, quorum curationem ſuperiùs tradidi: maximè verò habenda ratio hepatis, ac loci affecti. In topicis, emollientibus deinde valde ſiccantib. vtendum: fiat itaq; fotus ex rad. lapathi acuti, bryoniæ, altheæ, ex mal. viol. pariet. branca vrſina, ficubus, ſeminibus lini & fœnug. floribus chamæm. & melil. ſimul coctis. deinde,

℞. ſucci rad. oxylapathi, ſucci elenij ſing. ℥. ij. aloës ℥ ß. ſublimati ʒ. ij. aceti ſcyll. ℥. ß. olei de tartaro modicum, fiat linimentum: vel ſi hoc non profuerit, vtere ſequenti,

℞. ſuccorum oxylapathi, elenij, ari ſing. ℥. j. olei de tartaro ℥. j. ß. argenti viui in ſucco limonum extincti ℥. iij. ſublimati ʒ. ij. aloës ʒ. j. ß. miſceantur cum axung. hirci & ℥. iij. terebint. lotæ in aqua vitæ, ac fiat linimentum: quo liniantur loca ſerpigine laborantia, manib. aut pedib. ita oblitis, mox excipiatur in ſella pertuſa fumis ſuffiti: poſtremo in lue venerea deſcripti ad ʒ. ij. aut ℥. ß. eas

ß. eas partes optimè cooperiendo. Deinde in lectum ſe recipiet aut cubiculum non egredietur, neq; particularib. illis vtetur niſi corpore probè vacuato vniuerſalioribus, ac ſi expedit vſu gaiaci: Proderit quoque aqua ſublimata c. de vlceribus malignis deſcripta.

Alopecia ſanatio.

Alopecia ex morbo venereo curabitur victus ratione purgationib. dictis, vnctionib. & roborantibus. Poſt purgationem vtendum ſequenti balneo.

℞. rad. & fol. enulæ camp. oxylap. alth. maluæ ſingu. m̄. ij. rad. lil. ℔. ß. rad. ebuli, pedis columbini ſing. ℥. iij. viol. brancæ vrſ. fumar. ſcab. ſing. m̄. ij. ſeminis melonum & raph. ſing. ℥. j. ß. ſeminis lini & fœnug. ſing. ℥. ij. florum chamæm. melil. viol. roſ. nymph. ſingu. pug. j. fiat decoct. pro balneo. à balneo prodeſt vnguentum vniuerſale ſequens.

℞. axung. ſuillæ recentis ℔. ß. mercurij in ea extincti ℥. iij. vnguenti citrini ℥. ij. litharg. ceruſæ ſing. ℥. j. tereb. reſinæ pini ſingul. ℥. ij thur. maſtic. ſing. ℥. j. tartari ℥. iij. ſtaphyſa. ℥. j. ß. ſtyracis liquidæ ℥. ij. olei roſ. ℥. iiij. olei chamæm. laur. ſing. ℥. ij. ſuccorum lapathi acuti, ſcabioſ. limonum ſing. ℥. j. fiat vnguentum ex arte. Poſt vſum vnguenti roborandæ partes internæ hoc modo,

℞. conſeruæ rad. bug. conſer. roſ. ſing ℥. conſer. viol. florum cichorij ſing. ℥. ß. elect. diamarg. frig. & diarhod. abb. ſingul. ℨ. ß. diatragag. ℈. iij. cum ſyrupo conſeruationis myrobal. embelit. fiat opiata: qua vtatur quater in hebdom. cum aquis bug. & fumariæ. Iuuabit etiam opiata ſe-

quens, de qua bis in menſe ſumatur, ut paulatim vitioſi humores repurgentur.

℞. cathol. ℥.i.ß. tamarind. cum aqua end. extractorum ℨ.x. diaſennæ ſolut. & cõfect. Hamec. ſingul. ℨ.ij.ß. rhab. puluerisati ℈.iiij. cinamo. grana v. caſſiæ ℥.ij. ſyrup. roſ. ſolut. quantum ſuff. fiat opiata: de qua capiat ℥.j. vel ℨ.x. bis in menſe, per ſe, vel cum aqua bug.

Quomodo à recidiua præcauendum.

Poſteaquam ægrotum ab huiuſmodi lue venerea curaueris, cauẽdum ne ex reliquiis humoris maligni in eandem relabatur. Quod optimè fiet ſi ſuperiora, quæ cordi, hepati, ventriculo robur addunt ei præſcripſeris: aut ſequentem aquam, quæ humoris reliquias abſumit, ſi illius ℥.iij. vel iiij. manè & ſerò exhibeantur.

℞. ſcobis ligni gaiaci ℔.j. ther. veteris ℥.ij. conſeruæ roſ. borag. & bugl. ſingul. ℥.iij. conier. elenij & anthos ſing. ℥.j. polypod. querc. ſantali albi & roſ. ſing. ℥.ij. pulueris elect. de gemmis & lætitiæ Gal. ſing. ℥.ij. macerentur horas xxiiij. in ℔.ix. vini albi & totidem aquæ puriſſimæ, diſtillentur in vaſe duplici ſuper cineres calentes: poſtea adde cinamomi & ſacch. quantum ſuff. ad ſaporis gratiam. Proderunt etiam ſequentia in purgationib.

℞. confect. hamec. diaſennæ ſolut. ſing. ℥.j. elect. de citro ſolut. ℥.ß. cathol. ℥.ii. caſſiæ quart. ß. rhab. ℨ.ij. cinamomi ℈.j. ſyrupi viol. quantum ſufficit, fiat opiata: de qua capiat quater in menſe ℥.j. Potes etiam vti in eadem conficienda triph. perſica, diaphen. indo, diacart. vel,

℞. turbit. albi præparati, agar. troc. hellebori nigri

nigri ſing.ʒ.j.ß. polyp.ʒ.iij. zinzib.mithri.ſing.ʒ. iij.diagrid.ʒ j. cinamomi,charyoph.ſing.℈.ii.galangæ.pip.longi,nucis moſc.cubeb. ſpicæ ſing.ʒ. ß.ſacch. quantum ſuff. fiant morſuli. vel ſyrupi quantum ſufficit,fiat mixtura: de qua dabis ℥.ß. vel plus minúſve,vt videbitur. vel,

℞.polypod. querc. & medullæ ſeminis cart. ſing.ʒ.j.ſennæ orient.℥.j.ß.tamarind.ʒ.vj.prunorum dulc. par.vj. cort.myrob. citrin. cebul.indarum ſing.ʒ.j. fiat decoctio in æquis partibus aquarum bug.end.lupuli: & col. miſce rhab.ʒ.ij. ſpicæ grana vij. agar.troc.ʒ.ß. lapidis lazuli præparati ℈.ij.diaſennæ ʒ j.hermodact.ʒ.ß.diarhod. abb.& triaſant.ſing.ʒ.ß.ſacchari quantum ſufficit,fiat elect.in tabellas ponderis ℥.ij.ß. vel,

℞.pilul.de hiera.ʒ.j.ß.pilul.cocc.℈.iiii.aggregat.maiorum ℈.ii. agar.troc. ʒ.i. cum ſyrupo de ſtæch.fiat maſſa, formentur pilul.vj. pro ʒ.capiat quater in menſe. Proſunt quoque pilulæ aſſaieret, de fumaria, ſine quibus,de agar.de hermodact.de ſagapeno.

FINIS.

[illegible]

[illegible]